
LIBER QUI DICITUR VITASFRATRUM COMPOSITUS PER B. FRATREM IORDANUM DE...

Iordanus : de Quedlinburgo




NAZIONALE
CENTRALE V. E. II
ROMA
8K
43C
20


LIBER QVI DICITVR VITASFRATRVM

COMPOSITVS PER B. FRATREM
Iordanum de Saxonia Ordinis Fratrum
Eremitarum S. Augustini

Nunc primum latina lingua, qua ab Auctore conscriptus fuit, Editus, & Notis illustratus.

In quo de quadruplici Communione Regularis disciplinæ, Origine & progressu eiusdem Ordinis agitur, & sancti Augustini Regula declaratur.

AD S. D. N. SIXTVM V. PONT. MAXIMVM.



ROMAE, Apud Ioannem Martinellum. 1588.
Cum Priuilegijs, Et Superiorum permissu.

BEATISSIMO PATRI ET D. D. SIXTO V. PONTIFICI MAX.

FRATER AVGVSTINVS FIVIZANIVS Palatij Apostolici Sacrista.



Vae me superioribus annis caussæ, Sixte Pontifex Sanctissime, mouerunt, vt initio augustissimi Pontificatus vestri B. Iordani librum, cui Vitasfratrum nomen esse voluit, in Italicam nostram linguam translatum Sanctitati vestræ offerrem ac dicarem; illæ ipsæ planè coegerunt, vt eundem latina, qua conscriptus fuit, lingua à me rursus editum sanctissimo nomini vestro consecrarem. Cum enim nunc Italiæ fines, quibus antea continebatur, non egrediatur modo, sed vniuersi orbis spatium sit peragraturus, atque ad extremos vsque Indos penetraturus, apud quos Augustiniani nostri cœptum propagandæ fidei, tuæq; auctoritatis amplificandæ opus, tanto labore atque constantia prosequuntur, longè magis tui nominis clypeo, illum indigere nemo est qui non intelligat. Hinc porro &

illud

illud fiet, quod & admirabili, ac certissima Dei prouidentia, summaq; in nos charitate euenturum certa spe confido, vt huius clarissimi, ac felicissimi syderis splendore, ac ductu, liber hic post ducentos circiter annos à primo suo ortu, sepultus iacens, ac iam denuo rediuiuus in lucem prodiens, excitet iam tandem Germanos ciues suos, vt disiectis tenebricosissima tot obscurissimarum, ac pestilentium hæresum nube, caligine, ac morte, in veram Euangelicæ veritatis lucem, viam, ac vitam conuertantur. Et sicut ex sententia accidit sapientissimis illis Magis, qui nouæ, ac splendidissimæ stellæ visu, mundi Redemptorem natum inuenerunt, agnouerunt, & venerati sunt, atque in domo illa panis, verum panem gustantes, spreto perfidissimo Herode, alia via in patriam, aliaq; & vera religione, in regionem suam reuerterunt: ita etiam nunc primum, quasi renascens, ac huiusmodi lucentissimo nominis tui sydere, ceu duce comitatus apparens scriptor hic apud Germanos, atque Saxones, vbi natus est, eorum cordis duritiem, ac frigiditatem, quæ illorum nomen significare uidetur, emolliat et incendat ita, ut lumen veritatis accipientes, atque saluberrimas, et lympidissimas aquas huius Iordanis ebibentes, fœtidas, turbidas, ac letiferas hæresum aquas, quibus ha

ctenus

ctenus præfocati sunt, cum earum auctoribus aposta tis reijciant, ac detestentur. Sanctissimasq; huius Patris ad eos tanquam è cælo missi, monitiones amplexantes, & obseruantes, in veritatis semitam, quam eorum Maiores calcarunt, aliquando reducantur. Quod si præstiterint, vt spero, & conijcio, maiori profectò cum ratione, collaudabunt ipsi Jordanem hunc, quàm fecerit Naaman Syrus fluuium eundem apud Judæam: ille enim Elisei monitu, ipsius præceptis obsequens, Dei munere, corporis lepram abluit. At hi mentis lepra mundati, cæcitateq; abiecta iterum in Ecclesiam admittentur, ac fidei lumen agnoscentes & recipient, & cautius asseruabunt. Neque vero id quod præsagire videor fieri non omnino posse existimare quisquam debet. Difficiliora enim, & quæ antea nedum fieri non posse, sed desperata penitus videbantur, hoc fulgentissimo vestro sydere illucescente, P. Beatissime, & facillima reddita, & optatissimum exitum sunt sortita. Testantur id maximarum rerum actiones, quas magnificè, prudenter, et fortiter aggressus perfecisti. Agis vero hoc potissimum, vt Germani aliquando resipiscant, missis in eam prouinciam viris præstantissimis, ac religiosissimis, qui in hoc vnum præcipuè incumbant, atq; in eo toti versentur. Præ-

ſtabit uerò plurimum adiumenti liber hic, qui ab eorum ciue conſcriptus ſalutaria continet monita, iucundiſsima, ac ſaluberrima exempla. Quod vbi primum apud Germanos & Saxones fieri viderimus, non iniuria de illo dicemus: Iordanis conuerſus eſt retrorſum: Montes exultarunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium, à facie Domini, qui mouit terram, conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Ex huius porrò auctoris lectione capiet quilibet vtilitatis, et iucunditatis plurimum, eritque maximè proficuus pijs, & religioſis omnibus, nedum qui regularia inſtituta profitentur, ſed qui in ſæcularibus curis verſantes aliquam aliquando religioni operam præſtant, & quæ ad ſalutem ſpectant documenta, perquirunt. Idque non meo, ſed doctiſsimorum, & grauiſsimorum virorum teſtimonio. quod reipſa, ex illius lectione poterit quiſque facile percipere, percipiet verò facillimè, ſi Beati huius viri ſcripta manibus aſsiduè terens, moribus etiam vitam & inſtitutum imitari conabitur. Eſt enim ad vtilitatem è ſacris ſcriptoribus capiendam, morum integritas, ac vitæ ſanctitas ſanè quàm acommodatiſsima. Accipiat igitur Sanctitas veſtra iterum Iordanum ſuo veſtitu prodeuntem, & ſicut omnibus auctoritate, & maieſta

te præ-

te præstans, desiderio salutis Christiani gregis flagrat: ita, quæ ad hoc desiderium spectant, hilari vt solet fronte complectatur. Ego verò studij singularis atq. obseruantiæ meæ in Sanctitatem Vestram testimonium hoc qualecumque edidi, in quo quantum laboris & operæ posuerim, cognoscet Beatitudo Vestra quàm facillimè. Nouit enim iam longo vsu, quod fuit, & est Beatitudinis suæ in iuuanda & promouenda re Christiana, perpetuum, atque ardens studium, quid sit ex vetustis, ac diuersis, plerumq. autem corruptis, exemplaribus auctorem aliquem suo nitori, ac veritati restituere. quòd si omnia præstare non potui, illud tamen curaui, vt quò fieri posset, emendatior liber in publicum exiret. Erit autem apud omnes receptissimus, si benedictione vestra illum munierit. Rogabitq; profecto auctor, quod et ex animo optant boni omnes, vt Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram summis istis curis, & conatibus, quæ ad Christianæ religionis augmentum in momenta suscipit, molitur, ac parat parem omnino faciat, ac quàm diuitissimè incolumem tueatur.

REVERENDISS. PATRI GREGORIO PETRVCHINO ELPARENSI

Priori Generali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

F. AVGVSTINVS FIVIZANIVS APOSTOLICI *Palatij Sacrista*, S.



AMETSI in hac secunda B. Iordani editione nullam cuiquam Epistolam inscribere decreueram, præter illam, qua Summo Ecclesiæ Præsuli meritò egregium hoc auctoris opus dedicatur, & consecratur; aut si scribenda iudicaretur, ad illos potissimum erat dirigenda, quibus latinum Iordanum iam circiter biennium exhibiturum me significaueram: At nunc, mutata sententia, scribendam censui, & ea potissimum caussa tibi nuncupandam, quòd eodem ferè temporis momento, quo ad vltimam suscepti laboris metam perueneram, accidit, te grauissimorum totius Ordinis Patrum suffragijs, Priorem eiusdem Ordinis Generalem fuisse renuntiatum. Quamobrem & vt tibi, quemadmodum debeo, gratularer, & vt publico hoc testimonio omnibus patefacerem non mediocrem lætitiam, qua animus meus est perfusus, & recreatus, quòd vnus inter tot, & tam egregios viros ad Generalem nostri Ordinis prę̨fecturam delectus fueris; non putaui hanc mihi opportunè oblatam occasionem vllo pacto esse omittendam. Noua isthęc electio multis mihi nominibus iucunda, sed eò potissimum gratissima extitit, quòd existimem honori, decori, & communi statui nostræ Religionis vtilissimam, & omnibus eius infirmitatibus, si quę sunt, valde opportunam esse futuram. Inde præterea auguror nescio quid felicitatis, ac boni euentus operi huic, quòd cum primùm vulgari lingua Italica in lucem prodijt, fausta, felicia, fortunataque reperit vniuersalis Ecclesię pastoris tunc electi initia: a quo

omnes

omnes ingentia commoda, & virtutum omnium expressa quædam,& quasi viua exempla & receperunt,recipiunt, & recepturi sunt:nunc iterum emendatum, ac proprium indumentum vestitum egrediens, te nouum quoque inuenit Augustinianæ Religionis moderatorem,& ducem,qui Ordinem nostrum sis amplificaturus,& illustraturus,omnesque tibi subditos pro virtutum, & meritorum varietate, & qualitate debitis pręmijs affecturus. Ego vero hoc etiam solatio fruar, quòd hoc tempore in ista noua præfectura,quam iniuisti,non solum phaleratis verborum lenocinijs,comptoque sermone (vt fit) tibi gratulaturus aduenerim; sed oblato pulchro,& pretioso munere,cuius ope Religioni huic nostrę plurimùm prodesse,illiusque commoda multum promouere possis. Habet enim B. Iordanus documenta salutaria, præceptaque plurima, quibus Pręsules admonentur quemadmodum erga subditos, & vicissim subditi quomodo erga Prælatos,& mutuo inter sese gerere debeant, vt & in officio retineantur,& à malo submoueantur,& regularem obseruantiam piè, ac religiosè custodiant, & omnes suas actiones ita moderentur, & regant; vt tandem ad ęternæ felicitatis portum rectà valeant peruenire. Ad quæ omnia capessenda frequentibus commonentur,excitantur, ac denique veluti accenduntur & inflammantur exemplis. Hinc futurum spero,vt quemadmodum magnus ac fidelis pater Iacob memoria repetens ingens Dei beneficium,qui sibi familiam auxerat, & multiplici bonorum genere ditauerat, spe etiam maiora concipiens, quasi maior se factus, & mente, & animo consternatus dixit: In baculo meo transiui Iordanem istum,& nunc cum duabus turmis regredior, ita & tu merito dicturus sis: Beato Iordane comite profectus Ordinem meum lustraui,& nunc meritis cumulatus reuertor. Faxit Deus, vt non solum mea, sed cæterorum etiam vota,qui Ordinis nostri honorem,& propagationem desiderant,te eũ regente,& gubernante, iamdiu desideratũ,& concupitum finem feliciter consequantur. Cõsequentur verò non difficulter cum multis aliunde adhibitis pręsidijs,tũ verò in primis,si nationibus præsertim exteris,& longè remotis, in quarũ potissimum gratiam opus hoc latino sermo

ne sicut

ne ſicut ab auctore conſcriptum fuit, nunc primum typis excuſum editur, commendaueris, eoſdemque pio, & verè paterno affectu cohortatus fueris, vt aſſidua eius lectione vtantur. Iam quantum ad ipſum opus attinet, non dubito, quin ex collatione plurium exemplarium, quorum ope multa vel contorta, uel deprauata ſuę integritati reſtituta ſunt. Item ex conſultatione cum multis eruditis uiris iudicio pollentibus inita, quos ſępe adire, & conſulere oportuit, eò redactum ſit, vt abſque hęſitatione, vel offenſione, & legi, & intelligi queat. Cui tandem ea facta eſt acceſſio, quæ non minus vtilitatis quàm auctoritatis operi eſt allatura. Cum enim lege ſeruata illorum quibus incumbit imperio antequam liber imprimatur iudicandus alicui viro perito committatur, ac Iordanus hic noſter eo conſilio aſſignatus fuiſſet Domino Marco Antonio Maffæ Salernitano, viro cum primis pio, & omni diſciplinæ genere ornato, & mihi non ſolum ob ſingulare ſuum, & egregium virtutum ſpecimen, ſed omnibus quoque probis, & litteratis noto, & caro. Is Iordani lectione recreatus, non modo de catholica auctoris doctrina luculentum perhibuit teſtimonium, verumetiam maiori ſtudio & diligentia negotiũ aggreſſus, vt mihi, qui eum virum, vt debeo, colo & obſeruo, rem gratam faceret, & auctorem hunc redderet illuſtriorem, nullum fere caput, nullum obſcurum, vel ambiguum locum prętermiſit, cui breuibus, doctis tamen, & eruditis notis interpretationis lucem non attulerit. Et quemadmodum è re eſſe putaui & ad operis nitorem, & auctoritatem plurimum conducere, eas notas conuenientibus locis inſertas ſimul cum opere ipſo imprimere: ita muneris & officij mei eſſe exiſtimaui liberè & ingenuè profiteri quis hęc præſtiterit: vt cui habendæ gratiæ ſint, omnibus innoteſcat. Hæc ſi proficua, multiſque (vt ſpero) in primis vero coeremitis noſtris, eſſe proſpexero, huiuſque libri lectioni (vt debent) ſedulam operam nauabunt, animoſior fiam, vt alia præterea noſtrorum Patrum ſcripta, quæ temporum incuria incognita ferè hactenus in tenebris deliteſcunt, ad decus, honorem, & publicum in primis commodum Ordinis noſtri in lucem proferam. Vale.

DOCTO-

DOCTORVM QVORVNDAM VIRORVM de beato Iordano Saxonico, qui Vitasfratrum compilauit, testimonia.

IOANNES TRITEMIVS ABBAS, IN LIBRO de Scriptoribus Ecclesiasticis.



IORDANVS Ordinis Fratrum S. Augustini de Eremo natione Theutonicus, vir deuotus, & scripturarum diuinarum explanator, & interpres egregius; in declamandis Sermonibus excellentissimi ingenij, scripsit plures elegantes, & deuotis Fratribus vtiles tractatus, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit. E quibus tamen pauca in manus nostras peruenerunt. Fuerunt autem ista.

In Apocalypsim Ioannis.	liber vnus.	
Apologia Ordinis sui.	lib. I.	
De passione Domini.	lib. I.	Inspice, & fac.
Sermones de tempore.	lib. I.	
Sermones de Sanctis.	lib. I.	Ecce dabit voci suæ.
Quadragesimale.	lib. I.	
Quæstiones variæ.	lib. I.	

Et alia multa.

Artmanus Schedel, in Chronicis magnis, De histories ætatum mundi.

IOrdanus item Alemanus, eruditus Theologus ob ipsius doctrinam, & multarum antiquitatum indaginem magno in pretio fuit; qui inter cætera pulchrum Quadragesimale edidit, Apocalypsimque pulchre explanauit.

Iacobus Bergomensis, lib. 14. Supplementi Chronicorum, post commemorationem Bartholomæi de Vrbino eiusdem Ordinis, de eodem B. Iordano loquitur in hæc verba.

IOrdanus insuper Alemanus, eius instituti & Religionis Theologus, & ipse per hoc tempus, ob ipsius doctrinam, & multarum antiquitatum indagationem, vniuerso Ordini magno fuit in pretio; qui inter cætera pulchrum Quadragesimale edidit, & diffusam nostri Ordinis Apologiam condidit, Apocalypsimque pulchre explanauit: Sermones, Tractatusque, & quæstiones diuersarum rerum post se scripto reliquit.

Episcopus

Episcopus Signinus in Chronica Ordinis.

IOrdanus Saxonicus in Quintelingeburgensi patria natus, ex illo Theologorum numero, qui in Germania diuinam sapientiam profitebatur, princeps agnitus, doctrinæ suæ eminentia obtinuit non solum suprema in gymnasijs Germanorum subsellia, sed & per vniuersam Germaniam totius Ordinis prefecturam. Scripsit autem plures elegantes, & vtiles tractatus, & libros, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit; e quibus tamen pauci ad manus nostras peruenerunt; nempe,

Liber qui dicitur VitasFratrum : Spiritualis pulchritudinis.
Apologia Ordinis.
Vita sanctæ Monicæ.
In Apocalypsim beati Ioannis.
De passione Domini. Inspice, & fac secundum exemplar.
Sermones de Sanctis. Dan catulis Leonis.
Hoc opus tanta est exuperans doctrinæ fœcunditate, tamq; distincto digestum ordine, vt ad sui lectionem omnes, præsertim diuini verbi concionatores meritò prouocet. Impressum est Parisijs apud Damianum Teichman, in vico S. Iacobi sub signo quatuor elementorum commorantem.
Sermones de tempore, siue opus postillarum, & sermonum de Euangelijs Dominicalibus librum primum. Iordanis ripas aluei. Et est impressum Argentinæ. Anno Domini 1483.
Quadragesimale. lib. 1.
Quæstiones variæ. lib. 1. Et multa alia.
Obijt Viennæ Austriæ, & in eodem tumulo, vbi iacent Thomas, & Gregorius Priores Generales, sepultus est. In suo libro, qui inscribitur VitasFratrum, narrat se fuisse in Italia, & Bononiæ vixisse eo tempore, quo erat Prior eius monasterij Ioannes de Lana, frequentemque sibi adolescenti fuisse cum Henrico de Vrimaria, viro non minus doctrina, quàm sanctitate præstantissimo, consuetudinem, ac familiaritatem.



INDEX

INDEX CAPITVM QVATVOR LIBRORVM OPERIS BEATI IORDANI DE SAXONIA, QVOD DICITVR VITASFRATRVM.

Capita XXI. Primi Libri.




Capita

Capita XV. Quarti libri.

In

F I N I S.



INDEX

INDEX EORUM QVAE IN HOC OPERAE CONTINENTVR.




b Augu-

B. Ni-

FINIS.

Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam. Iob. 8.

Mementote qualiter salui facti sunt Patres nostri. 1. Machab. 4.



VITAS




VITAS FRATRVM BEATI IORDANI DE SAXONIA

ORD. FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI

LIBER PRIMVS,

IN QVO AGITVR DE COMMVNIONE cohabitationis localis Regularium.



De quadruplici communione, quæ debet esse in sacra Religione. Cap. I.



VLTITVDINIS credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quisquam, eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Act. 4.

Beatissimus pater noster, & sacræ Religionis plantator Augustinus intendens vitam Apostolorum renouare, super prælibatis verbis totam suam intentionem fundauit. Vnde ipse in sermone 11. De cōi vita cle- To. 10. ser. 53. ad frat.

ricorum; fundamentum institutionis Regulæ suæ eius professoribus aperire volens, pro exordio sermonis sui hunc eundem Scripturæ passum primo per Lazarum diaconem legi fecit, deinde per semetipsum legit, subiungens: *Audistis quid velimus, orate vt possimus*. Porro diligenter inspiciendo intẽtionem beati Augustini, tam in Regula, quàm in illis sermonibus, quos fecit De cõmuni vita clericorũ, quàm etiam in alijs dictis suis commonitorijs; inuenimus, quòd ipse totam Religionem suam super communitate, vel melius communione, fundauit. Hæc autem sacræ Religionis communio quadriformis est.

B. Aug. Regulam suã fundauit super quadruplicẽ cõitatem ex c. 4. Actuũ Ap. Cõio quadriformis. Prima cõmunio. Psal. 132. Act. 4.

Prima est communio localis cohabitationis: quando videlicet plures in vnum habitant: de qua in Psalmo dicitur: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*. Et hæc innuitur in verbis præmissis, vbi dicitur: *Multitudinis credentium*, scilicet in vnum congregatæ per cohabitationem: & ad literam, Apostoli, & alij fideles, de quibus eadem verba loquuntur, simul in cœnaculo habitabant, vt infra patebit.

Secunda cõmunio.

Secunda est communio spiritualis vnionis: quando videlicet aliqui velut vnum cor, & vnam animam habentes, vnius moris, id est, vnius obseruantiæ in communi vita existunt: de qua in alio loco psalmus de Deo loquens, dicit: *Qui habitare facit vnius moris in domo*. Et hæc communio exprimitur, cum additur: *Erat cor vnum, & anima vna*.

Psal. 67.

Tertia cõmunio.

Tertia est communio temporalis possessionis, quando videlicet de bonis temporalibus nemo aliquid possidet proprium, sed habent omnia in communi. Et hæc exprimitur cum subiungitur: *Quotquot autem possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*.

Quarta cõmunio.

Quarta est communio proportionalis distributionis, quando videlicet, vnicuiq. in illa communione datur proportionaliter prout opus sibi est. Et hæc communio describitur vbi dicitur: *Neque enim egens quisquam erat inter illos. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat*. Et quia super hac quadruplici communione beatus Augustinus fundauit Regulam suam, ideo hæc quatuor in principio Regulæ præmittit. ait namque: *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti. Primum, propter quod in vnũ estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo*. Hoc quantum ad primam communionem. *Et sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo*. Hoc quantum ad secundam. *Et non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia*. Hoc quantum ad tertiam. *Et distribuatur vnicuique vestrum à Preposito vestro victus & tegumentum; non æqualiter omnibus; quia non æqualiter valetis omnes; sed potius vnicuique, sicut cuique opus fuerit*. Et

hoc

hoc quantum ad communionem quartam. Et quòd hæc regula sit secundum vitam Apostolicam, ostendit, cum subiungit: *Sic enim legitis in Actibus Apostolorum,* &c. Denique ad has quatuor communiones omnia statuta O.dinis tam in Regula, quàm in Constitutionibus reducuntur. Et secundum hoc, præsens opusculum in quatuor partes distinguitur, ita quòd circa materiam primę communionis versatur prima pars operis. Circa materiam secundæ, secunda. Circa materiam tertiæ, tertia. Et circa materiam communionis quartæ, quarta pars versatur. Diuisio operis in quatuor libros

De prima communione, scilicet, localis cohabitationis, quando incœpit, & qualiter vita cœnobitica primitus inoluerit. Cap. II.

Sicut dicit glossa super illo verbo ad Hebræos 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci.* Communio (inquit) est charitas, qua omnia putantur communia. quæ reuera communio etsi suo modo esse debeat inter omnes fideles; specialiter tamen requiritur, vt sit inter religiosos eiusdem professionis. Et cum hæc sit quadriformis, vt dictum est, de prima prius tractandum est.

Prima igitur communio in sacra Religione obseruanda, est localis cohabitationis, vt, videlicet, aliqui habitent in vnum corporaliter: in vna videlicet domo, claustro, vel monasterio. Et hæc sacra communio primò ortū habuit in veteri Testamento sub Samuele, qui primus conuentus religiosorum instituit, vt ait Magister in historijs super illo verbo 1. Reg. 10. *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium,* &c. Et dicebatur conuentus eorum cuneus, quasi couneus: & dicebantur prophetare, id est, iugiter Deum laudare: & fortè quandoque aliqui ex eis prophetabant, vt ibi ait Magister. Et quòd religiosorum personam gesserint prophetę, testatur Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum: *Filij* (inquit) *prophetarum, quos monachos dicimus, in veteri Testamento ædificabant sibi casulas propter fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant.* Deinde ipse Christus conuentum Apostolorum instituit, Regulam Euangelicam eis tradens. Quam sanctissimam communionem, Apostoli post Domini resurrectionem semper retinuerunt; & tunc etiam cohabitare in vnum corporaliter incœperunt. Legitur etiam in Actibus Apostolorum, quòd post resurrectionem, vndecim Apostoli simul habitauerunt in Hierusalem [a] in cœnaculo

Prima cōio localis incępit sub Samuele. Hist. Ec. in 1. Reg. 10

To. 1. epi. 4

Act. 1.

culo grandi strato : & erant omnes ibidem perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Omnes quidem tam Apostoli, quàm alij discipuli, necnon & mulieres habitabant in illa parte Hie-
1. Reg. 5. rusalem, quæ dicitur Mello, scilicet in monte Sion, vbi constituerat sibi Dauid palatium,& ibi cœnaculum erat istud, in quo habitabãt vndecim Apostoli: cęteri verò discipuli, & mulieres habitabant circumquaque per diuersa hospitia: vt dicit Magister in historijs. Et ibi in cœ
Matth. vlt. naculo apparuit Dominus in die Ascensionis præcipiens vt egrederentur in montem Oliueti : quod & fecerunt. Visa autem Ascensione Domini, regressi sunt in Hierusalem ad idem cœnaculum, cohabitãtes ibi vsque ad diem Pentecostes. Et erant ibidem centum viginti congrega-
Act. 1. ti, quando superuenit Spiritus sanctus. Ab hac igitur sancta cohabitatione Apostolorum in nouo Testamento primò sumpsit exordiũ communio Cœnobiticæ disciplinæ : quæ scilicet cõmunio Apostolica successu temporis pullulauit,& multiplicata est triplici propagine.

Ex cõione Apostolica pullularunt tres propagines.

Prima propago.

Primò namque duodecim Apostoli receperunt ad communionem suæ Religionis cęteros discipulos, & fideles alios ad eos conuerti cupientes, qui vendentes prædia, posuerunt pretia eorum ante pedes Apostolorum, quibus omnibus omnia erant communia. Et erat illa sanctissima congregatio summæ perfectionis, & intensissimi feruoris: de qua
Io. Cassia. coll. 18. c. 5 scribitur in Collationibus Patrum quòd talis erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in Cœnobijs inuenire difficile est. Et hæc fuit huius sacræ apostolicæ communionis propago prima. Qualis etiam in summa perfectione vigebat Alexandriæ sub Marco Euangelista, vt nar-
Ioan. Cass. coll. 18. c. 5 & lib. 2. Instit. c. 5. rat Philo in Ecclesiastica historia,& Ioannes Cassianus in Institutis Patrum.

Secunda propago.

Deinde cum per Apostolorum prædicationem, credentium multitudo creuisset, & de alienigenis, & diuersis gentibus ad fidem Christi multi confluxissent, à quibus ipsi Apostoli pro ipsius fidei rudimentis, & inueterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi vt
Act. 15. & 21. ab immolatitijs idolorum, & fornicatione, ac suffocatis, & sanguine abstinerent. Atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiæ perfectionem, quę in Hierosolymis consistebat, paulatim contaminare cœpisset; ac per hoc primæ illius fidei feruor refrigesceret; non solum ij, qui ad fidem Christi de gentibus confluxerant, verũ etiam illi, qui videbantur illius Ecclesię principes,& rectores, ab illa districtione laxati sunt, existimãtes id quod videbant gentibus pro infirmitate cõcessum, sibi etiam fore licitum. Vnde factũ est, quòd ij, quibus adhuc Apostolicus feruor, inferbuit memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à ciuitatibus

suis

suis, & ab illorum consortio, qui sibi remissioris vitæ negligentiam licitam esse dicebant, ad loca suburbana, & secretiora secesserunt; & quæ ab Apostolis meminerant instituta, priuatim, ac peculiariter exercere cœperunt. & ita coadoleuit disciplina eorum discipulorum, qui se ab aliorum contagio sequestrauerunt. Et hæc fuit propago secunda.

Consequenti autem tempore, cum & hi paulatim crescente vel indigenarum, vel aduenarum numero, quorum nonnulli: vtebantur vxoribus propter occupationes rei familiaris, vt suis vxoribus & liberis prouiderent, à perfectione Euangelica refrigescerẽt, ac per hoc etiam alij illorũ contaminati exemplis tepescerent. Quidã eorum, in quibus adhuc Apostolicus feruor [c] inferbuit à coniugijs abstinentes, à parentũ se consortio, mundique istius conuersatione secreuerunt, & singularem, ac solitariam vitam elegerunt, seorsum à turbis habitantes in vnum. Qui propter solitariæ vitæ discretionem monachi appellati sunt: & ex communione consortij Cœnobitæ dicti sunt. Cellæ quoque, ac diuersoria eorum cœnobia vocata sunt. Et hæc fuit Apostolicæ communionis propago tertia. Et durauit per annos plurimos, vsque ad tempora sancti Pauli primi eremitæ, & sancti Antonij. Denique inter cœnobium, & monasterium, hoc interest, quia monasterium nomen est diuersorij, nihil aliud quàm locum, id est, habitaculum significans monachorum: Cœnobium verò etiam professionis ipsius qualitatem, disciplinamque designat. Et monasterium potest etiam vnius monachi habitatio nominari: Cœnobium vero appellari non potest, nisi vbi plurimorum cohabitantium degit vnita communio, prout hæc ex Institutis, & Collationibus Patrum lucide colliguntur.

Tertia propago per monachos.

Vnde dicti Cœnobitę

Discrimen inter monasterium, & cœnobiũ.

Ioan. Caß. coll. 18. c. 10.

AD CAP. II. NOTAE.

a In cœnaculo grandi strato.] *Hoc non legitur in Actibus Apostolorum. Habet verò id Magister historiarum.*

b Primo namque duodecim Apostoli.] *Vrbanus primus in epist. De communi vita & oblatione fidelium. tomo 1. Concil. c. dilectissimis. & c. videntes. 12. q. 1.*

c Inferbuit.] *Rectius apud Cassianum, inerat feruor.*

De tribus generibus monachorum, & quarto superaddito, quod est deterius. Cap. III.

Ioan.Cass. coll.18. c.4 Tria monachorum genera. Primũ monachorũ & cœnobitarũ genus. B. Aug. ser. 21. ad frat. Benedict⁹ in Regula cap. 1. Secundum genus monachorum, fuit Anachoretarũ. Ioan.Cass. coll.18.c.6



Ria fuisse monachorũ genera in Aegypto, antiquorũ Patrum instituta declarant. Quorum duo sunt optima: tertium tepidum, & euitandum.

Primum est cœnobitarum genus, qui scilicet in congregatione pariter cohabitantes vniuersi senioris iudicio gubernantur: & dicti sunt secundum Papiã à κοινὸς grecè quod idem est quod commune: vnde & cœnobitæ dicuntur in communi viuentes, de quorum exordio iam pauca prælibaui. Sed de progressu ipsorum in sequentibus disseretur.

Secundum genus monachorum est Eremitarum, seu Anachoretarum, qui de primorum numero, velut de fæcundissima radice tamquam flores, fructusque prolati sunt: cuius professionis principes Paulum, & Antonium nouimus extitisse. Huius itaque vitæ sectatores Eremitæ nuncupantur, eo quòd in eremis demorantur. vocãtur & Anachoretæ, quod in idem redit; nam anachoresis idẽ est quod eremus: vnde Anachoreta dicitur Eremita reclusus, qui solus habitat secundũ Papiam. Vel secundum Ioannem Cassianum Anachoretæ, id est secessores: eo quòd nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas diaboli insidias calcauerunt, aperto certamine, ac manifesto conflictu cum dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi secessus penetrare non timuerunt ad imitationem sancti Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota ætate permansit: Heliæ quoque & Helisei, atque illorum de quibus Apostolus ita memorat, dicens: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ.* De quibus est & illud Hieremiæ: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se supra se.*

Matth. 3. 3. & 4. Reg. Heb. 11. Thren. 3.

Tertiũ genus fuit Sarabaitarũ. Act. 5. Aug. serm. 21. ad Fra.

Tertiũ est illud deterrimum & execrabile genus Sarabaitarum, qui Ananiæ, & Saphiræ sectantes simulationem, Euangelicam perfectionem simulare potius, quàm in veritate accipere maluerunt, appetentes tantummodo nomine monachorum absque vlla æmulatione censeri. Hi foris prædicant paupertatem, nullam volentes portare egestatem. In cunctis suis operibus quærunt honorari, reuereri, & laudari ab hominibus, & vt sancti venerari. Corpora foris despectis vestibus tegunt, sed intus ad carnem purpura induuntur. In cinere prædicant se iacere, sed in excelsis palatijs mollia strata non despiciunt. Angelicam

camq; faciem foris ostendunt, sed lupinam eos intus habere non dubitamus. Tales nullius senioris volunt subdi imperio, præcipuè procurantes, vt absoluti à seniorum iugo exercendi voluntates suas, ac procedendi, vel quo placuerit diuagandi, vel quod libuerit faciendi habeant libertatem. Tales summa solicitudine student qualiter pecunias congregent, qualitercunque eas congregatas, suæ gulę, aut profusiori voluptati, aut certè philargiriæ vitio recondãt. Isti denique in Aegypto erãt in foraminibus petrarum habitantes induti porcorum, & boum pellibus, cincti funibus palmarum, spinas ad calcanea portantes ligatas ad cingulum, discalciati, & sanguine cruentati, è cauernis exeuntes ad festum Scenophegiæ pergebant Hierosolymam, & Sancta sanctorum intrantes abstinentiam prędicabant cum omni affectu se seruare; barbas postmodum sine redemptione euellere festinabant in conspectu hominum; & sic acquisita fama, & lucro ad propria remeabant, solitarie epulantes, & gaudentes supra id quod explicare possumus.

Prętet hoc est quartum genus monachorum, quod appellatur Gyrouagum, de quo dicit beatus Benedictus in regula sua, quòd sunt adhuc deteriores Sarabaitis, qui per totam vitam suam per diuersas prouincias ternis, ac quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles, proprijs voluptatibus, & gulæ seruientes. Hos Augustinus super illum psalmum: *Ecce quam bonum, & quam iucundum*, &c. falsos monachos, & [a] Circumcelliones vocat, eo quòd circumuagantur per cellas. Sed hæc duo vltima execrabilia genera absint à finibus nostræ sacræ Religionis: & ad duo prima genera omni affectu amplectenda nos conuertentes, quomodo adinuicem se habeant, videamus.

Quartũ sũ peradditũ genus est Gyrouagorum. S. Bened. in Reg. c. 1 B. Aug. in psal. 132. Circumcelliones.

AD CAP. III. NOTAE.

a Circumcelliones.] *Videntur hi à circuitu sic appellati. Differunt vero ab his, qui Circumcelliones hæretici erant, & Circuitores appellabantur: dedebant autem se voluntariæ interneccioni, ac præcipitijs, amore martyrij, de quibus agit sanctus August. de hæres. cap. 69. & epistola 50. cap. penult. 24. quæst. 3. Gabr. Prateol. de vit. & sect. hæretic. lib. 3. cap. 19.*

Quòd Anachoretarum genus est perfectius quàm Cœnobitarum. *Cap.* IIII.

Anachoreteę ceteris pfectiores.



Orro [a] Anachoretarum genus perfectioris quidem culminis esse constat: cum oporteat eos prius fuisse in cœnobijs exercitatos, quàm Anachoreticam arripuerint abstractionem. Quia, vt dicitur in Collationibus Patrum, collatione Piamonis abbatis: Anachoretæ illi sunt, qui in cœnobijs instituti, iamque in actuali conuersatione perfecti solitudinis elegere secreta: quorum finis & perfectio est habere mentem abstractam, ab omnibus terrenis exutam, eamque, quantum humana fragilitas sinit, semper viuere cum Christo. Finis verò Cœnobitarum est omnes suas mortificare, & crucifigere voluntates, & nihil de crastino cogitare. Quia ergo vnumquodque ex fine suam sortitur perfectionem; constat Anachoretarum genus perfectius esse; quia ipsius Domini nostri conformatur exemplo, qui antequam secederet in desertum, baptizari voluit à Ioanne, & sic implere omnem iustitiam, vt dicitur Lucæ 3. dans per hoc exemplum, quòd volentes transire ad vitam eremiticam, debent prius esse in omni iustitia & virtute præexercitati, atque Spiritu sancto repleti, qui datur in baptismo. Vnde Lucas ait, quòd Iesus plenus Spiritu sancto ascendit de aqua, & statim agebatur à spiritu in deserto. Ex quo habetur documentum, neminem debere immediate in primo conuersionis feruore ad eremi conuolare fastigium; sed primò in cœnobio perfectè exercitari sub iugo monastico. Vnde Benedictus in Regula sua dicit, hos veros esse Anachoretas, qui non conuersionis feruore nouissimi, sed monasterij diuturna probatione didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti pugnare, vt bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi securi iam sine consolatione alterius sola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum Deo auxiliante sufficiant pugnare. De quibus beatus Augustinus in libro De moribus Ecclesiæ, sic ait: *Multi adeo Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia, atque mũdi huius incredibili contemptu etiã solitudo delectet. Quid quæso vident, qui non possunt hominem non diligere, & tamen possunt hominem non videre? Profecto quicquid illud est, præstantius est rebus humanis, cuius contemplatione potest homo sine homine viuere.* Et infra: *Qui secretissimi penitus ab omni hominum aspectu, pane solo, qui eis per digesta temporum interualla confertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt perfruentes colloquio diuino, cui puris mentibus hæserunt.* Vnde etiam beatus Hieronymus in epistola ad Demetriadem virginẽ, & etiam

Ioan. Cass. coll. 18. c. 4.

Anachoretæ qui sint.

Cœnobitæ qui sint.

Luc. 4.

S. Bernar. in Regula cap. 1.

Aug. To. 1. de moribus Eccl. cath. lib. 1. c. 30. & 31.

To. 1. epi. 8. & 4.

& etiam ad Rusticum monachum dissuadet istum statum eremiticum assumere conuolantibus immediatè de sæculo, nisi prius in monasterio sint optimè exercitati sub obedientia in actibus virtuosis. Sed huic obstare videtur, quod legimus de sancto Paulo primo eremita, quòd ipse dum erat tenellus, vtpote puer sexdecim annorum, nullo exercitio monastico præuio, sed causa persequutionis fugiendæ desertum eremi penetrauit, & ad maximam perfectionem venit. Ad quod dicitur, hoc fuisse ex singulari dispensatione diuinæ gratiæ, quæ in eo suppleuit, qđ alij per longum exercitium acquirunt. nec hoc trahendum est ad consequentiam; quia priuilegium paucorum, legem non facit. De lege enim communi periculosum esset cuiquam hoc attentare propter validissimas tentationes, quibus illud hominum genus impugnatur. Cuius exemplū habemus in ipso Domino saluatore nostro, qui nusquam legitur fuisse tentatus, nisi cum esset in deserto. Est quippe desertum tentationi amicum, cum nullum ibi sit refugium præter Deum. Vnde etiam de sancto Paulo dicit Hieronymus, quòd quantas ipse tentationes Satanę pertulerit nulli hominum cognitū habetur, supponens multas ipsum fuisse perpessum. Serpens etiam ille in paradiso volens tentare matrem generis nostri Euam, solitariam eam aggressus est. Ex quibus omnibus conuincitur, quòd tentator solitudinem amat. Quare oportet hominem solitarium bene armatum esse contra hostem.

In Vitas patrum par. 1 in vita S. Pauli.

Matth. & Luc. 4.

To. 1. epist. in vita Pauli eremitæ.

Gen. 3.

AD CAPVT IIII. NOTAE.

a Genus Anachoretarum, & Cænobitarum descripsit etiam S. Augu[illegible]*st. De communi vita & morib. cleric. S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custod. virginit. Nicepho. lib. 9. Histor. Ecclesiast. c. 14.*

Quòd Cænobitarum genus est securius, quàm Anachoretarnm. Cap. V.



COenobitarum autem genus securius esse, ratio, & auctoritas manifestant. Nempe quia ex bonorū consortio homo multum adiuuatur ad exercitium virtuosum, iuxta illud psalmi: *Cum sancto sanctus eris*. Huiusmodi autem iuuamen consortij bonorum attenditur præcipuè in quatuor.

Primo in bona, & sancta instructione. faciliter enim solitarius incaute cogitans de aliquo articulo fidei, uel scripturæ posset incidere in errorem, cum non haberet instruentem, sicut legitur de sancto Paulo, dicto

Cęnobitarū vita minus periculosa.

Psal. 17.

Quatuor vtilitates ex consortio bonorū.

Prima vtilitas.

In vitas pa. par. 1. in vita B. Pauli Simplicis. dicto Simplice, qui fuit discipulus sancti Antonij. Cum enim conferret S. Antonius cum aliquibus patribus congregatis de Deo, & dictis prophetarum, interrogauit ille; An Christus prius fuisset, an prophetę. Et quidem hæc simplicitas etsi noxia non fuerit, poterat modo simili in aliquo fidei articulo hæsitare, vel etiam errare, cum non haberet eruditorem. Vnde beatus Hieronymus scribens ad Rusticum monachū: *Mihi*(inquit)*placet vt habeas sacrum contubernium, nec ipse te doceas.* Et subdit: *In solitudine cito subrepit superbia, dormit quantum voluerit, nullum veretur, facit quod voluerit. tu autem, qui in communitate viuis, non facias quod vis, comedas quod iuberis, subijciaris cui non vis.*

To. 1. ep. 4.

Secunda vtilitas. Secundo, in affectuum, & morum discretione. Sæpe enim mali mores, & noxiæ affectiones exemplis, & correptionibus aliorum corriguntur, & reprimuntur. Difficile quippe valde est homini proprios suos defectus cognoscere, & corrigere. Vnde Isidorus in libro De summo bono: *Facilius* (inquit) *reprehendimus vitia aliena, quàm nostra. Nam sæpe, quæ peruersa in alijs iudicauimus, in nobis nocibilia esse minime sentimus.*

Tertia vtilitas. Tertio, huiusmodi iuuamen attenditur in orationum exauditione, seu votorum consecutione. Facilius enim in congregatione plurium deuotus homo obtinet quod petit, aut desiderat. Vnde Saluator discipulis suis dixit Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Et subdit: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et si hoc de duobus, vel tribus iustis congregatis, quantò magis in multorum iustorum congregatione non est dubium Christum esse, vt eorum vota exaudiat, vt dicit Leo Papa. Huius rei exemplum est in sancto Thoma, qui prima vice non meruit Dominum videre post resurrectionem suam, quia in congregatione discipulorum non erat. Sed postea eo in congregatione existente meruit eum non solum videre, sed etiam palpare. Ex quo habetur documentum, quòd melius est dicere horas canonicas in congregatione Fratrum in ecclesia, quàm seorsum in cella, vel atrio. Ad hoc etiam est exemplum naturale. Nam carbones accensi in congerie plurium plus ardent, & faciunt maiorem ignem: sed carbo vnus solus ab alijs separatus non bene ardet, sed tabescit, & extinguitur in semetipso. Sic plures in congregatione orantes se mutuo in deuotione coaccendunt, & vnius aliquando torporem feruor supplet aliorum.

S. Leo in ser. 3. de ieiunio sept. mensis.

Io. 20.

Melius est recitare officium diuinum in cōgregatione fratrum quam priuatim.

Quarta vtilitas. Quarto, in tentationum supportatione. leuius enim in consortio bonorum existens sustinere potest insultum nequissimi tentatoris, quàm si so-

si solitarius esset. Nam homo multum roboratur ad pugnam fraterna ex acie, vt dictum est auctoritate sancti Benedicti. Vnde in Collationibus Patrum, collatione abbatis Sereni dicitur, quòd olim quando primò sancti Patres cęperunt in eremo habitare, maligni spiritus tam sęuas eis molestias intulerunt, quòd non audebant singulariter in cellis suis morari; sed octo, vel decem simul morabantur. Qui etiam tantam persecutionem à dæmonibus passi sunt, quod vicissim de nocte vigilabant psalmis, & orationibus intenti, cum reliqui somnum caperent; & illis expergefactis alij similiter ad custodiam eorum, qui dormituri erant, vigilias cum lectionibus, & orationibus obseruabant. Beatus etiam Hieronymus ad Rusticum monachum scribens de quodam fratre, qui industria patris monasterij & fratrum liberatus fuit, de quo Hieronymus subinfert, dicens: *O si solus fuisset, quo adiutore superasset?* quasi dicat, nullo: Et sic nec superasset. Quod etiam confirmatur exemplo. Frater quidam nostri temporis à sæuissimo hoste multas pertulit molestias, ita quòd vbicũque saltem in nocte reperit multa tædia, absq; tamen graui læsione corporis ei intulit; nimirum quia sanctos viros ille malignus spiritus non vltra lædere præualet, quàm ei diuina permissione licuerit, sicut patet in sancto Iob. Nam aliquando fratrem istum ille spiritus de lecto suo leuauit, & ad trabem, vel lignum domus eum locauit. Aliquando eum in lecto iacentem cũ lecto eleuauit, & sic eum sursum & deorsum vibrando agitauit. Nonnumquam vero ipsum de stratu suo extraxit, & in medio pauimenti domus ipsum iacere dimisit. Quandocunque vero idem frater cum alijs fratribus iacuit sociatus, spiritus illè non fuit ausus eum tangere, & tamen aliquibus signis suam præsentiam designauit. Vnde frater ille quandocunque voluit habere pacem de nocte vnum, vel duos fratres rogauit de licentia Prioris sui, vt apud se in cella sua dormirent. Verum est ergo, quod Sapiens dicit: *Veh soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se.* Et alibi: *Frater, qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Ad præmissorum con firmationem expresse facit auctoritas beati Augustini, quæ habetur infra in cap. 7. Quod etiam. Liquet igitur quòd vita cœnobitica securior est, & aptior ad perfectionem acquirendam; vita vero Anachoretica competit iam perfectis.

Coll. 7. c. 6
B. Hieron. to. 2. epi. 4
Exemplũ insigne de vita sociali
Iob. 1.
Eccle. 4.
Prouer. 18

AD CAP. V. NOTAE.


a In solitudine cito.] *S. Gregor. lib. 30. Moralium super illud: Cui dedi in solitudine domum. sanctus Thomas 2.2. q. 188. art. 8.*

b Horas canonicas in congregatione.] *Ioan. Gerson de oratione.*

Ioan.

Ioan.Médi. in Cod.de orat.Domin. Sot. lib.10.de iust.& iure.q. 5. art.3. Ioan.Maior in 4. dist. 12.quæst. 6. Nauar. de hor. canon. cap. 17.num. 23. cum seqq.

Quòd vtriusque generis professio, vbi simul in eodem homine reperitur perfectissima est. Cap. VI.



Coll.19.c.9. PORRO vtriusque generis professio si alicubi in eodem homine simul reperiatur, perfectissima est. Vnde in Collationibus Patrum, collatione Ioannis abbatis dicitur, quòd iste verè perfectus est, qui in eremo squallorem solitudinis, & in cœnobio infirmitatem fratrum æquali magnanimitate sustentat. Sed (vt dicitur ibidē) vnum hominem in vtraque professione perfectum esse, arduum, & (vt ita dixerim) impossibile est: quod tamen si quando contigerit, hoc non ad regulam referri potest: quoniam non ex consideratione paucorum sed de ijs, quæ communiter eueniunt regula generalis dari debet, si qua vero rarissime contingunt, & possibilitatem communis virtutis excedunt, à præceptis sunt generalibus sequestranda. Vtrumque tamen istorum abbatem Moysen, & Paphnutium, & duos Macharios legimus perfecte possedisse: qui ita erant in vtraque professione perfecti, vt cum vltra omnes eremi accolas secedentes insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantumque in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana colloquia, tamen ita frequentiam, ac fragilitates ad se concurrentium sustinebant, vt cum ad eos visitationis vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam iugem susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didicisse, vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quàm vt communibus tantum aduenientium officijs deseruirent.

Iac. 1. Et quoniam non est abbreuiata manus Domini, eandem, vel similem perfectionis gratiam adhuc cui vult, dare poterit ille omnium bonorum dator, qui dat omnibus affluenter. De hoc infra eadem parte, cap. 11. & 16.



Ad

Ad quod monachorum genus Ordo sancti Augustini pertineat, vbi distinguuntur Eremitæ in Cænobitas & Anachoretas, & ostenditur Augustinum fuisse eremitam cænobitam.

Cap. VII.



Voniam autem circa ordinem beati Augustini nostra principaliter desudat intentio, videndum ad quod monachorum genus Ordo ab ipso beato Augustino primitus institutus pertineat. Et quidem non est dubium ipsum beatum Augustinum cœnobitam fuisse; quoniam in consortio fratrum communiter vixit, vt patebit, etsi alicubi reperiatur ipse se ipsum aut alium eremitam nuncupasse distinguendum aliter puto de eremitis. Quoniam quidam sunt eremitæ, qui in eremo solitarij viuunt, & hi sunt Anachoretæ. Alij etiam sunt eremitæ, qui in congregatione fratrum viuentes in eremo commorantur, à turbis secularium semoti, & ij sunt cœnobitæ. Nunc autem de eremitarũ numero non legitur Augustinum vnquam fuisse. Sed ipsum extitisse cœnobitam sufficientibus poterit testimonijs comprobari. Exordientes itaque à primordio suæ conuersionis, etiam ante baptismum, immo ante plenam conuersionem suam, legitur, quod ipse disposuit ducere vitam communem cum decem socijs, vt patet lib. vj. Confess. cap. xiiij. Et post hoc legimus ipsum exhortatione sancti Patris Simpliciani, & per exempla sanctorum Patrum eremitarum ipsum fuisse plene conuersum, vt ipse testatur libro octauo confessionum. Item quòd ipse sancto Simpliciano, & suis fratribus, & ante, & post baptismum adhæsit, vt ipse fatetur in sermone suo de tribus generibus monachorum, qui sic incipit: *Vt nobis per literas declarauit sanctus Pater Hieronymus*. Item, quod ipse antequam baptizaretur rus petijt assumptis Alipio, & alijs amicis suis, matre eius nihilominus etiam adhærente; vt ibi ab æstu seculi ad tempus requiesceret, donec melius ad baptismum aptaretur, vt ipse testatur ix. lib. Confessionum. Item, quod ipse repatriare intendens assumptis secum Alipio, & Euodio, ac duodecim fratribus sibi à beato Simpliciano donatis in Aphricam profectus est, vt in sermone pręallegato ipse fatetur. Item quod post mortem matris reuersus in Aphricam ad agros proprios ibi cum amicis, & fratribus assumptis secundum modum sanctorum Apostolorum viuere inchoabat, vt scribitur in legenda Possidonij qui discipulus eius fuit. Item, quod cum ipse Hipponem

[Margin notes: aliter solitarie. — Conf. lib. 6. cap. 14. — Conf. lib. 8. cap. 1. — Serm. 21. ad fratres. — Conf. lib. 9 cap. 4. — Aliàs possidij.]

ponem

ponem perrexisset ad vidēdum amicum inuento loco pro monasterio idoneo à gentibus segregato, ibidem cum fauore, & subsidio sancti Valerij monasterium construxit, vbi congregatis vndique per nemora fratribus, cum eis viuere cœpit secundum formam vitæ Apostolicæ, vt ipse in præallegato sermone testatur. Item, quod ipse factus presbyter aliud monasterium instituit in horto, in quo simul cum fratribus suis vixit. Omnia hæc, & si quæ sunt similia: puta quod ipse per Italiam transiens, in Thuscia fratres eremitas fertur visitasse, & in Centumcellis aliquandiu cum fratribus mansisse, omnia inquam hæc demonstant ipsum non eremitam anachoretam, sed eremitam cœnobitam quocunque diuerterit extitisse. Quod etiam expresse patet ex verbis suis in sermone de filio prodigo, quem fecit ad fratres suos in eremo apud Hipponem. In cuius sermonis exordio dicit sic: *Pax vobis fratres dilectissimi, qui optimam partem cum Maria elegistis, dum mundum, & pompas eius contemnere voluistis. Voluistis enim terrena despicere. Saniori enim consilio sanctorum Ambrosij, & Simpliciani Patrum vitam tutiorem aggressi sumus cum Paulo mundum fugiente timens ne caperetur ab eo: in eremo denique sumus iucunditatem communicationis, & fractionis panis intelligentes, clamantes cum propheta: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Tutior enim via hæc est, & dulcior, vbi vnus alium cohortatur; vbi alter alterius exemplo inflammatur. O vita sancta eremitica, vita solitaria, vita perfectorum, vita angelica non humana.* Hæc ibi per Augustinum; vbi expresse se computat inter eremitas cœnobitas, nec enim reperimus aliquod tempus, quo potuerit vitam anachoreticam duxisse cum singula vitę suæ tempora sint descripta. Nisi forte aliqui velint dicere, sicut sunt, qui dicunt, quod inter tempus baptismi sui, & mortem matris, solitarie vixerit per triennium, vel saltem per biennium; quod dictum salua veritate nullatenus stare potest, cum inter baptismum suum, & mortem matris non fluxerit vnus annus complete: immo vix octo mēses computādo à Pascha vsque ad idus Nouembris; fuit autem baptizatus anno ætatis suę trigesimotertio * tēpore Paschali f. Idib. Aprilis videlicet xiij. die Aprilis, & eodē anno, qui terminabatur idibus Nouēbris mater sua defuncta est, vt hoc alibi lucide declaraui. Isto autē medio tempore non potuit ducere vitā anachoreticā, tū quia mater semper secū fuit vsque ad mortē, tū quia fratres & amicos suos secū assumpserat de Mediolano ad pgendū secū in Aphricā, quos non est verisimile deseruisse, cū etiam secū fuerint apud Ostia Tyberina, & secū transfretauerint in Aphricā. Tum etiam, quia in illo intermedio tempore pro maiori parte ipse fuit Romæ disputans ibi contra Mani-

chęos

Marginalia: Serm. 5. ad fratres. — Serm. 21. ad fratres. — Serm. 27. ad fratres. — psal. 132.


chæos, & libros plures ibi contra eos scribens, scilicet libros De moribus Ecclesiæ catholicæ, & De moribus manichęorum. De quantitate animæ, & De libero arbitrio, vt ipsemet fatetur in primo libro Retractationum. Lib. 1. Retract. cap. 7 8. & 9. Quæ vtique omnia non poterat breui tempore expedire. Ita quod illum annum, vel spatium illius partis anni ipse transegit partim Mediolani frequentãs limina ecclesiæ, vt patet ix. Cõfessionum partim per viam eũdo: & fratres eremitas in Thuscia, & Centumcellis visitando velut in quodam transitu, non enim diu cum eis manere potuit: secundum deductionem istam partim vlterius Romę morando ad prædictos actus exercendos, & demum exinde cum matre, & suis ad Ostia Tyberina remeando, & ibi aliquibus diebus causa nauigationis instaurandæ moram trahendo, vt patet ix lib. Confess. Conf. lib. 9. cap. 8. Sic quod toto isto tempore prætaxato satis habuerit facere, nec aliqualiter potuit vitæ anachoreticæ vacare. Igitur nullum tempus vitæ suæ relinquitur, quo statum illum duxerit; nisi forte aliquando paruo tempore à consortio illorum, cum quibus regulariter vixit, se abstraxerit ad intendendum studio, & contemplationi: quemadmodum etiam fecit Episcopus existens, cum aliquibus diebus à tumultu seculi se absentans ad Fratres in eremũ secessit. Similiter & antea in quocũque statu vixerit, siue in laicatu ad agros proprios, siue in presbyteratũ in horto verisimile est ipse interdum ad tempus solitudini se dedisse ad intimius vacandum Deo, & statim ad Fratres suos, sine quibus nullatenus viuere voluit, redijsse. Sed de hoc nihil certi scriptum inuenitur. Quod tamen in desiderio semper habuerit solitudinem, etiam Episcopus existens, ipsemet testatur x. libro Confessionum in fine, vbi dicit: Conf. lib. 10. cap. vltimo. *Conterritus peccatis, & mole miserię meę agitaueram corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti, & confirmasti me dicens: Iesus Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* 2. Cor. 5. Et si hic per solitudinem intelligitur status anahoreticus, manifestum est ex ipsis eum illum statũ in desiderio quidem habuisse, sed actualiter non fuisse, vt posset prodesse alijs, vt ibi patet. Si vero per solitudinem intelligatur eremus cœnobiticus, in quali solitudine ipse dudum steterat, hanc ipse etiam Episcopus existens desiderauit sæpe repetere, etiam ad ibi permanendum. Sed prohibitus est conscientia instigante propter populi curam, cui habuit subintendere. Et huic sensui alludit quædam annotatio antiqua circa eumdem passum libri Cõfessionum in margine, quam vidi in vno antiquo libro, & creditur esse Vgonis, & dicit sic: *Dum Augustinus cogitaret solitudinem repetere hac de scriptura firmatum, reuocatumque se dicit à Domino, vbi Apostolus dicit: Ideo Christus pro* Ibidem.

ſtus pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt. Verum licet Auguſtinus nunquã fuerit Anachoreta ex ſtatu, vt oſtenſum eſt, ſed actum anachoretarum non eſt dubium eum ſæpius habuiſſe. Quia tamen legitur ipſe per nemora Fratres vndique conquiſiſſe pro inſtitutione monaſterii ſui in eremo prope Hipponem, ex quibus plures veriſimiliter fuerunt anachoretę, non immerito exurgit ſcrupulus dubitationis: An eremitę Anachoretę tranſire poſſint ad cęnobia, & econuerſo: An cœnobitę poſſint tranſuolare ad ſolitudinem anachoreticam.

AD CAP. VII. NOTÆ.

a Tempore Paſchali.] *Licet hæc ſcribat auctor, officium tamen conuerſionis ſancti Auguſtini celebratur die quinta Maij.*

Quod Eremitæ cœnobitæ conuolare poſſint ad ſolitudinem Anachoreticam. *Cap.* VIII.



Q V O D enim de cœnobio quis poſſit ad eremum conuolare, & ſtatum anachoreticum ſibi aſſumere, dummodo hoc faciat ob frugem *a* melioris vitæ, & petita licentia ſui ſuperioris, haberi poteſt ex præcedentibus, cum oſtenſum ſit anachoreticam profeſſionem ſublimioris eſſe profeſſionis. Quod etiam confirmatur, ex iure ſcripto xviij. quęſt. ij. Nullus monachus. & xx. quęſt. iiij. Monachũ. & extra De regularibus. cap. Sanè. Et ad hoc facit xix. quæſt. ij. Duæ. Amplius ad hoc propoſitum licet plurima ſint exempla de vitaſpatrum. Erat quidam frater magnæ ſanctitatis re, & nomine *b* Ioannes Bonus, qui primò apud Budriolum Ceſenatenſis diœceſis domunculam quandam de conſenſu diœceſani conſtruxit, & ibi vitam eremiticam in arctiſſima pænitentia duxit. Cumque fama conuerſationis eius per loca vicina crebeſceret, plurimi ad eũ conuerſi ſunt, inter quos fuit beatus Frãciſcus, qui Ordinis poſtea fratrũ Minorũ fundator fuit. Qui in honorem ſanctę Marię virginis eccleſiam conſtruxerunt ibidem. In qua ſimul cum dicto patre virtutum Domino ſedule ſeruierunt. Creſcente autem merito & numero iſtorum conuerſorum, religio illa per eos in diuerſis partibus, in quibus manſiones conſtruxerunt, eſt ſatis propagata. Vocabantur autẽ iſti homines Fratres eremitæ fratris Ioannis boni, cum ipſe fuerit primus inſtitutor eorum: & quaſi Prior generalis Ordinem illum paterna ſolicitudine gubernaret. Cum autẽ ijdem

B. F. Ioan. Bonus.

Religioſi

Religiosi aliquam de approbatis Regulam non haberent ordini Eremitarum sancti Augustini de mandato Sedis Apostolicæ sunt vniti, sicut infra melius continetur. Sicque vir iste sanctus, qui prius sine Regula religiose vixerat, postmodum sub Regula sancti Augustini militans peramplius in deuotione sedula virtutum Domino seruiebat. Tandē vero vt liberius orationi, & contemplationi vacare posset, de licentia Prioris generalis apud ciuitatem Mantuanam locum solitarium elegit, ibique deuotissime Deo seruiens ibidē in pace vitā finiuit, & multis miraculis claruit. Quod enim iste sanctus, & bonus frater in eo quod ad locum solitarium declinauit frugem melioris vitæ quæsiuerit vita sua, & exitus demōstrauit. Si quis vero frater nō ob melioris vitæ frugē, sed forte pusillanimitatis vel ꝓprij adipiscendi causa, vel etiam impatientiæ morbo solitarium locum congregationem relinquens expeteret: quia profecto ille spiritu Dei nullatenus duceretur, non vtique ad perfectum tenderet, sed potius ad defectū. De talibus dicitur in collationibus patrū: *Quidam sunt, qui Anachoretarū specie sibi blandiuntur, qui in primordijs suis feruore quodam breui Cœnobij perfectionem videntur expetere: sed continuo tepefacti, dum pristinos mores, ac vitia resecare contemnunt, nec iugum humilitatis, obedientiæ, & patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, ac solitarij residere desiderant, vt ita .s. à nemine lacessiti patiētes, mansueti, vel humiles possint ab hoībus æstimari.* Tales non conuolant de primo genere monachorū ad secundū: sed decidunt in quartum omnimode (vt supra dictū est) detestandum. Quidā Frater cū instātia petijt a suo prouinciali Priore sibi licentiā indulgeri, vt posset ad quoddā inclusoriū se transferre, & ibi Domino famulari. Cuius motiuū idē prouincialis solerter perquirens, eiusq; cōuersationē pristinā apprime sibi notā cōsiderans; quia numquā in aliquo conuētu frater ille irreprehēsibilis steterat, aduertit petitionē illā nō ex instinctu Diuini spiritꝰ, sed appetitu noxiæ pacis, & vanæ libertatis ꝓcedere. Qui enī numquā didicit in Cœnobio cū Fratribꝰ pacifice viuere, nec seniorū monitis obtēperare, qd aliud talis expetēdo locū solitariū videt intēdere, q̄ obseruātiarū, & obediētiarū monasterij laborē, iugūque a se velle excutere, & ad libitū suū, vbi à nullo reprehendi valeat, vitā sibi placitā ducere? Discrete ergo ꝓuincialis negauit, ꝗ ille indiscrete petiuit. Nā etsi Frater ille rectā intētione ductus fuisset, non vtiq; ad ꝓuincialē, sed ad generalē priorē pertinuisset: cū repugnet salutaribus institutis Ordinis stare quēpiā Fratrē solitariū extra septa loci: nī forte qs intra septa loci Ordinis in cella sequestrata ex mera deuotione Diuinæ contemplationis intuitu solitarius cuperet residere. Quod satis tolerabile, imo

Cap. 14. huius lib.

Ioan. Cass. coll. 18. ca. 8.

Exemplū.

multum commendabile foret, vbi id loci, & aliarum circumstãtiarum congruentia sustineret. Duosque alios Fratres noui, qui diuisim ad loca solitaria ab Ordine secesserunt, non plane frugem melioris vitę quærentes, sed disciplinam Ordinis fugientes, quos vtique, & omnes eis similes ad quartum genus detestabile, de quo supra notatum est, non est dubium pertinere.

AD CAP. VIII. NOTÆ.

a Melioris vitę.] *Quæ à B. Iordano citantur loca illud probant, vt petita licet non obtenta licentia ad strictiorem religionem transire quis possit. Ost. Io. Andr. Panorm. & communiter Canonistæ in d. cap. sane de regular. & tex. apertissimus in cap. licet d. tit. S. Tho. 2. 2. q. 188. ar. 8. vbi Caiet. Io. de Turre crem. in cap. Monach. 20. quæst. 4. Sot. de. iust. & iu. lib. 7. quæst. 3. art. 1. Cæterum quæ de transitu ad Anachoreticam vitam dicuntur hic ab auctore, caute intelligenda sunt, vt locum habeãt si actu ipso exerceatur hęc regularis obseruãtia in aliquo Anachoretarũ quorũ esset certis diebus conuentus. Nam alioquin regulares discoli passim dicerent se velle Anachoreticam vitam in solitudine ducere, vt iugũ religionis excuterent, vt idem paulo post monet. Hic vero locus declarãdus est ex Nicol. Boer. in tracta. de vita Eremit. num. 16.*

Quòd Anachoretæ transire possint ad cœnobia. Cap. IX.



QVod autem Anachoretæ exire possint solitudinẽ, & ad cœnobia trãsire, quod videtur difficilius, probatur primo ex facto S. Augustini, qui Anachoretas transtulit ad cœnobia sua, vt tactum est supra. Præterea patet hoc exemplo S. Ioannis Abbatis in Collationibus Patrum, qui primo triginta annis in cœnobio laudabiliter vixerat, & exinde ad eremum conuolans viginti annos ibi expleuerat, & extunc iteratò ad cœnobiũ redijt. Cuius rei causam, & rationem Ioannes Cassianus, & Germanus mirantes, ab eodem sancto patre percunctati sunt: Cur. s. ipse relicta sublimi professione, iterato cœnobij iugum subire voluerit. Ad quod ille respondit, se sublimitate tantæ perfectionis indignũ ad iuniorum scholas reuertisse. Cuius responsionis humilitatẽ cum instantia deprecationis eorũ excluderet, subiecit dicẽs: q̃d propter superuenientiũ frequentiã maluit ad monasteriũ recurrere, & ibi sine cura aliqua Deo vacare, q̃ in eremo solicitudine rerũ carnaliũ maculari. Quãobrẽ (inq̃t) elegi huius disciplinę implere vtcumq; ꝓpositũ,

Coll. 19. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Abbas Ioãnes.

quam

quàm in alia sublimi professione carnalium necessitatum pquisione torpere. Sed his exemplis,& similibus propositum quidẽ astruitur, sed dubitationis scrupulus minimè succiditur; cũ in eadẽ astructione Anachoretarum perfectio sublimior reputetur. Sed aliud est à professione cum voto solenni in manu Prælati facta cadere, & aliud à professione priuata, & vltronea ad tempus,& ex causa discedere. Prima quidẽ inter has professio obligat hominem semper. Secunda vero non nisi quãdiu placet,& expedit; sicut professus aliquã facultatem, dimittit eius exercitium quando sibi placuerit, quomodo Augustinus cum iam conuersus esset, solutus fuit à pfessione rhetorica, vt ipse dicit ix. lib. Confess. Nec in proposito isto per professionem priuatam intelligo votum simplex quod semper etiam obligat coram Deo, sed quamdam professionem vltroneam, sicut in exemplo posito. Sancti enim Patres in eremo nemini quidem professionem fecerunt, sed Diuinio ducti consilio ad eremum conuolauerunt, & ibi secundum gratiam à Deo cuilibet datam Domino seruierunt. Et talis status in illo proposito Deo seruiendi vocatur professio, à qua quando Deus eis aliud inspirauit pro suo, & aliorum profectu recedere potuerunt. Vnde de beato Antonio legitur, quod ipse annis viginti in deserto ab omniũ segregatus aspectibus solitarius manserat,& post in cœnobio cum Fratribus vixit. Item de beato Hieronymo legitur quod ipse primo probatissimorũ monachorũ habitum factumque imitatus est, & deinde quadrienniũ peregit in illa solitudine, quę exusta solis ardoribus horridũ monachis præstabat habitaculum, scorpionum tantum socius,& ferarum. Indeque ad oppidum Bethlehem remeauit, vbi vt prudens animal ad præsepe Domini se obtulit permansurum. Et hoc in cœnobio monachorum. Item beatus Benedictus tribus annis in specu solitarius, hoïbus incognitus excepto Romano monacho, Deo deseruiuit, & postmodũ ad cœnobium transiens multorũ factus est pater monachorũ. Similiter Frater [a] Ioannes Bonus, cuius paulo ante commemoraui primo eremiticam vitam duxit, & postea multorum cœnobiorum institutor fuit, & rector. Adhuc etiam, licet Eremita Anachoreta censeatur strictioris status, quàm cœnobita ea ratione, quæ dicta est supra; ex alia tamen ratione vita cœnobitarum est strictior; quantum ad hoc scilicet quod renunciauit proprijs, & propriæ voluntati, quæ ponunt hominem supra se; quod non facit Anachoreta, qui potest facere testamentum, & de bonis suis disponere, sicut beatus Paulus primus eremita [b] in testamento colobium suum Athanasio Episcopo Alexandrino reliquit, tunicam vero beato Antonio; vt hæc probantur xix. quæst. iij. cap. Perlatum. §. econtra. et xvj. quæst. 1. Qui

Duplex pfessio innuitur.

Conf. lib. 9 cap. 11.

Eremitæ antiqui nõ emittebant solenne votum professionis ĩ manibus Prælati.

De b. Ant. in Vitaspatrum lib. 1. cap. 2

Epist. 22. ad Eustochium.

In vita sancti Bened.

De s. Ioan. Bono.

Anachoretę testamẽtum facere poterant.

Vitaspatrũ par. 1.

In vita beati Pauli primi erem. vere: Similiter beatus Antonius melotem, & pallium tritum Athanasio Episcopo dedit, aliam melotem Serapioni Episcopo legauit: cilicium vero dedit duobus monachis sepelientibus eum, vt legitur in vita sua. Quod autem Cœnobita sit maioris meriti propter obedientiam patet in exemplo ex Vitaspatrum, quod habes infra libro ij. cap. iij. in fine. Ipsorum enim obedientium est veraciter dicere illud psalmi; Quoniam propter te mortificamur tota die. Psal. 43.

AD CAP. IX. NOTÆ.

a Ioannes Bonus.] *de hoc ipso agit Io. Morigia de Origin. & instit. regular. cap. 27.*

b In testamento colobium suum.] *Quod Eremitæ possint facere testamentum, non est passim verum vt licet videre apud Boer. d. tract. de stat. & vit. Erem. nu. 16. Quod verò refert Gratianus cuius verba sunt in d. cap. Perlatum. §. Econtra quod. S. Paulus reliquerit colobiũ S. Athanasio, non est verum. Sed S. Hieronymus scribit B. Antoniũ inuoluisse corpus S. Pauli pallio Athanasij, illius vero intestato tunicã sibi vẽdicasse.*

Quod Anachoretæ non debent exire solitudinem propter opera actiuæ vitæ, Cap. X.

Illud vero quod dictum est Eremitam Anachoretã posse deserere solitudinem exaudio cum hac distinctione. Aut enim exire intendit propter opera actiuæ vitæ, aut propter opera contẽplatiuæ vitæ: intelligo autem ad præsens per opera actiuæ vitæ ea quæ fiunt ad necessitates corporales sui, vel proximi. Contẽplatiuę vero ea, quæ fiunt ꝓ lucro animarũ, & pro profectu spirituali, [a] vt prędicare, Fratres regere, & docere, & consimilia &c. Nunc autem propter opera actiuæ vitæ nullatenus est deserenda solitudo, quia contẽplatio non est prætermittẽda ꝓpter talia opa. Cuius exemplũ habemus primo in Maria Magdalena, quæ cum sederet ad pedes Domini, & audiret verbũ illius dulcissimũ, quod respiciebat actum contẽplationis, & interpellatus Dominus noluit eam surgere propter ministeriũ corporale. Aliud exemplum est in Collationibus patrũ de abbate Apolline, ad quem cũ quadam nocte frater suus germanus venisset implorans vt e cella paulisper egrederetur, vt bouẽ suum de palude, in quam ceciderat, posset extrahere. Respondit Apollo: Cur fratrem nostrũ minorem, quem magis ꝓpe habere poteras non rogasti? Cumque ille eum iamdudũ mortuum respondisset, & quod eũ de sepulchro reuocare non posset: abbas Apollo subiũxit: Ignoras me ante viginti ãnos huic mũdo fuisse defunctũ, & de hoc celeberrimo sepulchro. i. cellæ meę extrahere me vis ad ea q̃ ad statum præ-

opera vitæ actiuæ, & quæ contẽplatiuæ hic intelligantur.

Luc. 10.


Coll. 24. c. 9. de Apolline abbate.

tum presentis vitę pertinent? Sed tibi me nulla cōferre posse solatia cognosce. Et quomodo Christus ab intentione mortificationis arreptę me pateretur vel modicum relaxare; cum temporis spatium indulgere noluerit pro patris sepultura, quæ vtique multo celerius, & honestius & religiosius fuerat exhibenda? Simile quodammodo exemplum nuper accidit de quodam fratre nostro viro vtique deuoto, & a mundanis abstracto. Ad quem cum visendi gratia frater suus germanus, qui diu eum nō viderat longo itinere properasset, & vsque ad portam Conuentus, in quo idem Frater conuentualis stetit, venisset, misso portario fratrem suum accersiri fecit. Qui cum venisset, inuenit fratrem stare foris ante portam, quę erat clausa. Non enim moris est in illa patria seculares introducere ignotos: sed personę stantes foris negotia sua agunt per portarium. Sed cum qualitas negotij hoc requirit, aperitur eis porta. Iste igitur bonus frater germanum suum foris stantem inueniens portam non aperuit, sed per fenestrunculam allocutus est eum dicens: Care frater vnde venis? Quo dicente se longo itinere venisse ad videndum eum. ait iste: Ecce frater vides me. Vale, & det nobis Deus in ęterna felicitate nos videre. Et his dictis fenestrunculam recludens, ad orationem suam redijt. Ille autem flens abscessit. Quod factum agrestitati fratris forsitan quis adscriberet, qui eius sanctam simplicitatem, & vitę eius abstractionem sedulam non nouisset. Quibus docetur exemplis propter occupationes negotiorum temporalium, actum anachoreticum non esse deserendum: extremo necessitatis articulo semper saluo. Matth. 8. Exemplum

AD CAP. X. NOTÆ.

a Vt prędicare.] *Prædicare & docere iuxta sancti Thomæ sententiam refertur ad opus vitæ actiuæ spiritualis, præferturque vita contemplatiua ab eodem sancto Thoma 2. 2. quæst. 188. art. 6. & par. 3. quęst. 40. art. 1. ad 2. qua eadem videtur cum sententia auctoris, licet diuersis verbis.*

Quod Anachoretæ possunt exire solitudinem propter opera contemplatiuæ vitæ. Cap. XI.



Sed propter opera contemplatiuę vitę licitum, & aliquando omnino expediens esse exire solitudinem, exemplo Saluatoris nostri probatur, qui antequam prędicare inciperet, du- Matth. 4.

ctus est in desertum, & inde exiens exorsus est prędicare. Qui etiam postmodum sępissime solitudinem montis petijt pernoctans ibidem solus in oratione, vt dicitur Luc.vj. Quo exemplo instruimur hanc esse vitam perfectissimam, nunc in solitudine soli Deo contemplatione vacare;& nunc exire, per contemplationem hausta, ad lucra animarum reportanda alijs eructare. Huius etiam exemplum habemus in beato patre Augustino, qui licet Episcopus esset, nonnunquam tamen pro sui recollectione ad fratres suos in eremo declinauit, & inde postea pro cleri,& populi instructione, & gubernatione ad Episcopiũ redijt:& iterum captato opportuno tempore ad fratres secessit, vt ipse refert in sermone ad presbyteros Hipponenses, qui incipit: *In omnibus operibus vestris*. Ad eiusdem quoque spiritualis exercitij finem idem pater Augustinus fratres secundi monasterij sui, quod in horto instituerat, ordinauit, vt videlicet in monasterio, orationi, lectioni, & sanctę meditationi vacarent; & quę Deus eis intelligenda * ministraret, ea ipsi alijs eructando prędicarent. Sane hunc modum primarię institutionis Ordinis attendẽs sacrosancta mater Ecclesia Fratres eremicolas sancti Augustini ad ciuitates direxit, vt infra apparebit. Sic enim vicissitudo prędicti vtriusque exercitij continuari poterit nunc in ordine, vt frater quilibet deuotus in cella sua vitam ducat eremiticam, & quod Deus sibi oranti, vel legenti, aut meditanti, seu etiam contemplanti dignabitur elargiri, hoc ipse operando, & docendo, exemplo scilicet pariter & verbo studeat alijs impartiri, vt sic sit sicut lapis angularis vtrũque complectens, qui etsi reprobetur in mundo, in capite anguli conseruetur. Sic enim fecit beatissimus pater Augustinus, qui est omnis nostrę actionis exemplar,& regula; qui quando ad fratres in eremum non trãsiuit, in monasterio Episcopij residens in congregatione quidem vixit, & mundo euangelizauit, nec tamen mundo se implicauit: sed in studio solitarie vixit, meditans in lege Domini vt patet xj. lib. Confess. cap. ij. Patrem hunc sanctissimum Fratres illi imitari negligunt, qui orare, in cellis suis sedere fastidiunt: sed tota die otiosi per claustrum, vel etiam per ciuitatem inaniter currere diligunt. Quales nec contemplatiuę, nec actiuę vitę opera exercere satagunt. Quos idem pater noster in quodam sermone admonet dicens: *O Frater, qui in eremo habitas fuge otiositatem, quia in seruis Dei nil peius inuenitur. Quid otiose, agere poteris nisi opera carnis? Numquam quis ciuis cælorum erit, si otiositatem amauerit. Hanc fugere cupiens sanctus monachorũ pater Antonius clamauit in eremo ad Dominum, & dixit: O Samaritane domine Deus; O animarum, & corporũ verè custos, suscita in me gratiã tuam, infunde seruo tuo misericordiam, vt in eremo collocatus, in tuo conspectu otiosus non*

Serm. 5. ad fratres.

* fortè mõstraret.

cap. 17. huius libri.

Serm. 17. ad fratres.

otiosus non maneam. Et audiuit Antonius: Antoni, cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora. Semper aliquid facito. fac quod in te est. Age quod potes, et non deficiet tibi auxilium de sancto. Et de hoc plenius infra lib. ij. cap. xxvij.

Quomodo, & cum quibus circunstantijs Fratri Ordinis sancti Augustini liceat exire monasterium. Cap. XII.

QVia vero supra dictum est, Ordinem sancti Augustini fore de genere Cœnobitarum, quorum est communionem corporalis cohabitationis retinere. Quoniam sicut piscis sine aqua, sic monachus Cœnobita sine monasterio; vel anachoreta sine cella, caret vita. vt legitur in Decretis xvj. quæst. 1 Placuit. non irrationabiliter dubitari potest, An, & qualiter frater huius sacræ Religionis extra monasterium stare possit absque prçuaricatione regularis institutionis. Sciendum igitur, quod ad hanc communionem conseruandam non necessario exigitur vt Fratres semper in cœnobio in vnum habitent corporaliter. Quin etiam pro vtili causa interdum possunt aliqui exire, Quod sic patet. Cum enim vita cœnobitica inceperit sub sanctis Apostolis vt dictum est; Apostoli autem, & alij discipuli, qui se ipsorum Collegio in Melo iunxerant, non semper cohabitauerunt simul. Immo sicut legimus in Actibus Apostolorum, ipsi dispergebantur per totum mundum ad prædicandum verbum Dei; tamen eorum communio non fuit dissipata, vt patebit. Sic in proposito, si aliqui Fratres rite exeant de monasterio, non tamen per hoc censentur recedere à Communione. Ad hoc autem quòd Fratres aliqui rite possint exire monasterium quatuor exiguntur.

In Vldip. p. 2. §. 105. | Act. 8. | Cap. . huius libri.

Primum est vt animus semper ad collegium retineatur. Licet enim sancti Apostoli diuiderentur per mundum, eorum tamen collegium semper remansit integrum pro quanto semper animo cohabitabant, ad instar eius quod in iure ciuili dicitur; quòd ciuilis possessio solo animo retinetur, si quis corporaliter pedum positione separatur à solo. Ipsi enim Apostoli in sua diuisione non ab vno, sed in vnum diuisi fuerunt vt per orbem diuisos colligerent, vt cantatur in sequentia. Simili modo, si nunc fratres aliqui exeant pro tempore monasterium, hoc non repugnat huic sanctæ Religioni, dummodo semper animo se teneant ad collegium. Si quis autem animo non redeundi exiret, proculdubio

Quatuor circunstantiæ exiguntur ad id, quod frater monasterium rite exeat. Prima. | In Missali veteri i die Pẽtecostes

apostata foret, etiam si alia tria, quæ sequuntur salua essent. Vnde beatus Augustinus in decreto obseruantiæ regularis statuit, vt si quando incursio repentina ab hæreticis, aut hostilitas superuenerit, vt impossibile sit fratribus in vnum manere, sed necesse sit eos fugam petere, postmodum, cum Deo fauente euaserint, mox vbi præpositum suum esse cognouerint, velut filij ad patrem, festinare debebunt. Nec vllo modo poterunt separari, quos diuina charitas sociauit. Si quis autem contumaci animo id obseruare contempserit, capiatur, & subijciatur monasterij disciplinæ. Ecce quomodo secundum institutionem beati Augustini animus Fratrum semper debet esse in Collegio, vel ad Collegium tempore persequutionis.

In prima regula.

Secunda circunstantia.

Secundum est, vt causa legitima prætendatur. Non enim ex quacunque leui causa Religiosus debet exire monasterium; sed aut pro negotio communi conuentus agendo, vt cum frater mittitur ad terminos, seu pro quæsta, vel alia communi vtilitate domus; aut pro fructu animarum procurando, sicut cum vadit aliquis ad prædicandum, vel confessiones audiendū, hoc semper attento, quod in intentione nostra fructus spiritualis præponatur vtilitati temporali, cum nostra religio fundata sit super operibus contemplatiuæ vitæ potius quàm actiuæ. Cùm ergo frater terminarius mittitur pro quæsta, primaria intentio sua esse debet, vt prædicando verbum Dei, & confessiones audiendo, & aliàs exemplariter conuersando fructum animarum proferat. Consequēter verò, & accessorie, vt pro conuentu eleemosynas congreget fideliter & importet. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Sic etenim Saluator nos facere docuit dicens: *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Adijcientur inquam tamquam accessorie, non principaliter intendenda. Vnde beatus Augustinus in libro de opere monachorum sic ait: *Recte Dominus dixerat: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Qui enim propter hoc, Euangelium prædicat, vt habeat vnde manducet, & vnde vestiatur, simul se putet & Deo seruire, quia Euangelium prædicat; & mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse, ac per hoc ille, qui propter ista Euangelium prædicat, non Deo, sed mammonæ seruire conuincitur, etsi Deus illo ad aliorum profectum, quomodo ipse nescit, vtatur.* Quod autem necessaria hæc accessorie quæri possint ostendit, statim subdens. *Quod ait dominus: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Non vt ista non procurent quantum necessitati satis est vnde honeste potuerint; sed vt non ista intueantur, & propter ista faciant quicquid in Euangelij præconio facere iubentur.* Hæc Augustinus. Pro personali autem commodo, aut vtilitate priuata vt sic,

Luc. 10.

Matth. 6.

De opere monach. cap. 26.

Matth. 6.

ta vt sic, quemquam exire non laudo, nisi inquantum negotium illud refertur ad commune bonum. Cum enim in hac sacra communione quilibet nostrum seipsum abnegauerit, ac per hoc nec rem aliquam, nec actum, nec opus aliquod, immo nec velle sibi quisquam vendicare habeat profecto monasterium exeundi causam legitimam ille non praetendit, qui negotium pro quo vadit, ad communem vtilitatem monasterij, aut ordinis non extendit.

Tertium quod exigitur est vt superiorum licentia habeatur. Tantam * enim vim licentia Praelati obtinere reputatur, vt aliquis absens iuris fictione [b] pro praesente habeatur. Vnde canonicus de licentia Episcopi absens, residere reputatur in ecclesia quasi praesens; ad instar eius quod dicitur, quod continuatio ieiunij fictione canonica de duobus diebus facit vnum, coniungendo videlicet eos, vt extra, De temporibus Ordin. cap. Literas. Eodem modo [c] licentia superioris coniungit Fratrem monasterio, sicut membrũ eo ipso coadunatur corpori, q. debite subest suo capiti. Vnde sicut mẽbra vniuntur in vno corpore sub suo capite Rom. xij. *Multi vnum corpus sumus in Christo*, scilicet capite nostro; ita vnitas collegij conseruatur in debita coordinatione personarum sub Praelato. Quando autem membrum aliquod abscissum à sua coordinatione fuerit, putridum reputatur. Similiter Frater absque licentia superioris conuentum exiens abscissus, & apostata censetur, sicut in statutis Ordinis habetur.

Tertia circunstantia. aliter. *denique.

Quartum quod exigitur est, vt Fratri exeunti à suo Praelato socius adiungatur. Hoc enim ipsum quod fratri socius à Praelato assignatur saluat eum, vt non extra collegium, vel congregationẽ esse existimetur, Cum enim [d] duo faciant congregationem. vt extra De elect. cap. 1. Et tres [e] censeantur Collegium, vt. l. Neratius. ff. De verborum signif. Sed vbicumque Frater existit de licentia superioris met. Secundus ibi est in congregatione, & vbi met tertius ibi est in collegio. Propter quod beatus Augustinus nolens Fratres suos umquam esse sine collegio, vel Congregatione, praecipit in Regula sua: *Nec eant ad balnea, siue quocunque ire necesse fuerit, nisi duo, vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem cum quo, vel cum quibus praepositus iusserit ire debebit.* Cuius praecepti vna ratio patet ex dictis; ne vt frater aliquando sine collegio, vel sine congregatione inueniatur. Alia ratio colligitur ex alio loco eiusdem Regulae; vt videlicet seipsos inuicẽ custodiant. Vnde sic ait. *Cum ergo estis in ecclesia, vel vbicumque foeminae sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis etiam isto modo custodiet vos ex vobis.* Tertia ratio est, vt si qui forte tantae pudicitiae sint, & honestatis, quod nullius alterius custodia opus habeant, illi sal-

Quarta circunstantia.

Quare Frater non debet exire monasteriũ solus.

B. Ambrosius in Lucam lib. 1. ca. 2. par. 2. Et de inst. virg. par. 3. cap. 6.

Exemplũ.

illi saltem socium pro teste suæ honestatis accipiant. Sic enim de beata Virgine ait beatus Ambrosius. Quod ipsa quidem non indigebat custode suæ castitatis; desponsata fuit tamen Ioseph, vt ipse esset testis suę pudicitiæ, & honestatis. Quidam Frater iuuenis, & adhuc quasi puerulus associatus fuit cuidam Fratri seniori viro quidem honesto. Hi cum venissent ad domum cuiusdam venerabilis presbyteri, presbyter intuens puerum elegantis indolis solatiando dixit ei: Ad quid venisti huc bone iuuenis? Cui puer non pueriliter respondit: Domine ad hoc huc veni vt sim testis socij mei. Quod responsum multum placuit presbytero, & dixit ad seniorem: Optime dixit. Quia si venissetis sine socio, non haberemini pro bono viro.

AD CAP. XII. NOTÆ.


a Vtilitati tẽporali.] *Hæc enim principaliter quæri nõ debet, alioquin esset symonia 1. quæst. 3. non solum. Asten. lib. 6. tit. 55. Angel. Clauas. ver. Symonia 3. num. 9. Licite vero accipit prædicator eleemosynas datas 1. Cor. 9. sanctus Thomas 2. 2. q. 100. ar. 3. ad 2.*

b Pro præsente habeatur.] *Absens de licentia regulariter reputatur præsens ca. ad Audientiam de cleric. non resid. Angel. Clauas. ver. clericus 7. Syluest. ver. residentia. per totum:*

c Licentia superioris.] *De licentia obtinenda à superiore per regulares, & vitanda frequentia exeundi. s. Basil. in const. monast. cap. 8. Concil. Coloniense cap. 9. Concil. Oxoniense Anglicanum sub Stephano Archiepiscopo. Io. Trull. de Canonic. regular. cap. 4.*

d Duo faciunt congregationem.] *Ca. 1. de elect. Matth. 18. Io. Fran. Paui. de off. & potest. capituli sede vac. in prælud. q. 5.*

e Tres censeantur collegiũ.] *Probat hoc quæ ab auctore allegatur l. Neratius de verb. signif. vbi Bart. Alberi. & Rebuff. Intelligitur tamen de collegio seculari. Nam alioqui duo faciunt Ecclesiasticum glos. in cap. 1. 10. q. 1. Panorm. in c. 1. de elect. Licet hoc reprobet Barbatia cons. 17. vol. 1. qui intelligit Panormitani sententiam quoad conseruandum, non quoad constituendum collegium, & recte vt docet Rebuff. in in d. l. Neratius.*



Qualiter

Qualiter beatus Augustinus ad communionem cœnobiticæ congregationis se semper tenuerit. *Cap.* XIII.

PRopter retinendum igitur istam sanctam communionem cœnobiticæ congregationis suppositis ijs quæ dicta sunt supra cap. vij. beatus pater Augustinus dum factus esset presbyter, & haberet curæ plebis intendere, adhuc tamen à Fratrum suorum communione nolebat recedere. Quapropter cognito eius proposito; quod scilicet sine fratribus sui propositi nollet viuere, sanctus Valerius Serm. 5. ad Fratres. dedit ei hortum ciuitati propinquum ad ædificandum ibi monasteriũ, vt & posset ibi secundum suum propositum cum fratribus viuere, & nihilominus plebis curæ intendere. Cumque etiam factus fuisset Episcopus aliquos de fratribus secum habere curauit in Episcopio, vt ibi saltem cum canonicis suis viueret in cœnobio. Ecce quomodo isti patri sanctissimo communio cœnobitica placuit, quam in nullo aliquo statu deserere voluit. Sicut etiã supra vij cap. claruit. Quamobrẽ ipse etiã existens Episcopus monachum se profiteri non erubuit. Vnde in homilia, seu sermone De persecutione Christianorum, qui sic incipit: *Frequenter diximus Fratres charissimi*. dicit sic; *Ego hodie videor monachus. Si rupero propositum meum, Christum negaui*. Et infra: Serm. 60. ad fratres. *Ego quidem sum monachus, qui desij secularis esse. Si voluero dimittere vitam monachi, & sequi secularem, non habebit me dominus quasi secularem, sed quasi prauaricatorem*. Item in sermone de eo quod To. 10. lib. hom. 9. scriptum est: *Beatus vir qui post aurum non abijt*. ipse appellat se Fratrem Augustinum. Item in libro suo quem Speculum, siue Manuale appellat, ipse antiquos patres monachos specialiter vocat suos patres, sic dicens: *Concede domine mihi fragilissimo beatorum monachorum patrum meorũ imitari vestigia*. Exemplar huius gloriosi patris imitatus est venerabilis pater frater Gulielmus de Cremona sacræ paginæ do- Exemplum mag. Gulielmi de Cremona. ctor famosus olim prior generalis eiusdem Ordinis, qui cum per annos circiter sexdecim gubernaculum Ordinis laudabiliter tenuisset, & postmodum diuina prouidẽtia, & Dñi Clementis Papæ vj. prouisione Episcopus Nouariensis Ecclesiæ factus esset, nolens propter Episcopatum, fratrum suorum communionem deserere, duodecim Fratres eiusdem Ordinis secum in domo episcopali semper habebat: quibus de victu, & vestitu copiose prouidebat: cum quibus ipse in capella episcopali diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum sicut antea in Ordine consueuerat omni nocte surgens ad matutinum cum nota persol-

ta persoluebat. Et licet Pontificali præfulgeret honore, non minus tamen humiliter, & affectuose se ad omnes fratres sui Ordinis tenuit, quàm prius. Nam præter fratres prædictos quotidianos suos commensales, singulos fratres forenses aduentantes in mensa sua esse volebat. Pręceperat enim priori loci vt nullum Fratrem hospitem in conuentu comedere permitteret, sed ad eum omnes, & singulos destinaret. Studentibus nihilominus pauperibus, & alijs egentibus fratribus multas pias subuentiones ipse fecit. Ad locum quoque sancti Augustini in Papia notabilia impendebat. Et ad capitula generalia, vbi per se venire non potuit, pręsentiam suam realem largiter exhibebat, ostendens per hoc, & alia multimoda pietatis opera synceritatem sui zeli, quem semper ad matrem suam sanctam Religionem habuerat, extra cuius cõmunionem etiam existens Pontifex noluit remanere. Nam eo defuncto Papię in Ecclesia beati patris nostri Augustini voluit sepeliri, quod & factum est.

AD CAP. XIII. NOTÆ.

a Monachũ se profiteri.] *Multa suppetunt exempla episcoporũ regularium, qui regularẽ vitam non deseruerunt: præcipuę vero de S. Gregorio Nazianzeno & S. Basilio. Estque id quo ad habitũ sacris Canonibus prouisum cap. clerici de vita & honest. cleric. nisi essent summi Pontifices. quanquam scimus maximo exemplo præluxisse sanctæ mem. Pium V. Ordinis Prædicatorũ, qui interulam laneam semp̃ detulit, pluraque seruauit regularia instituta. id quod seruat summa pietate ac religione præditus Sixtus V. nunc viuens Ordinis sancti Francisci. Cæterum quænam teneantur religiosi effecti Episcopi obseruare, disserit S. Tho. 2. 2. quæst. 185. art. 8. vbi Caieta. fusius verò Dom. Sot. de iust. & iu. lib. X. quæst. 5. art. 7.*

De dispersione Fratrum post mortem sancti Augustini, & vnione Ordinis. Cap. XIIII.



Vm autem omnipotens Deus beatum Augustinum de valle huius miseriæ ad cælestis regni gloriam euocasset, crebrescente hostili Vandalorum insultu, & successu temporis inualescente eorum perfidia monasterijs, & ecclesijs in Aphrica gentilitatis ritibus prophanatis, concrematis, & deuastatis, personis quoque eorum exiliatis, & fugatis, vt habetur in Chronicis, tunc & fratres illi qui in

Quomodo Fratres S. Augustini dispersi fuerint post eius mortẽ.

qui in cœnobijs sub beato Augustino nutritore deguerant, hinc inde dispersi sunt. Quorum quidam deuenere in Thusciam, quia fortè beatus Augustinus in transitu suo de Mediolano in Aphricam aliquos inde assumpserat. etsi ex illis fortè illo tempore non aliquis fuisset super, eorum tamen posteri per eos edocti poterant de Thuscia boni aliquid audiuisse. Videlicet quomodo ibi essent Fratres aliqui eiusdem propositi per Augustinum etiam instructi, & similia. Sicque illuc venientes nonnulli eorum in cellis solitarie, alij in cœnobijs eremiticis se receperunt seruientes Domino sicut cuique dominus inspirauit. Et sic illa sancta communio per beatum Augustinum instituta, & per eum semper, vt dictum est, obseruata nō omnino dirupta fuit nec abolita, sed in aliquibus bonis patribus extitit conseruata: donec nouissimis temporibus illam dispersionem Deus dignatus est congregare sicut olim dispersiones Hierosolymis cōgregauit. Denique ab illa dispersione multi fluxerant anni vsque ad tempora Innocentij Papę iij. qui fuit primus Papa, quem circa ordinem istum aliquid speciale fecisse legi. Quāquā verisimile sit, quod ante eum plures Romani Pontifices ipsum Ordinem fuerint congruis fauoribus prosequuti, licet propter temporis antiquitatem, & Fratrum sanctam simplicitatem nihil à nobis de hoc scriptum inueniatur. Nam antiquitus sancti Patres de priuilegijs, & gratijs scriptis se minime occupabant, sed simplicem fauorem sedis Apostolicæ, & Prælatorum eius sufficere arbitrati sunt. Vnde refertur de beato Francisco, quod ipse super gratia quam Fratres minores prædicant esse in Assisio priuilegium scriptum à Papa petere non curauit, contentus de oraculo viuæ vocis. Sic æstimo fuisse de Patribus nostris antiquis, qui adhuc in maiori simplicitate viuebant quàm sanctus Franciscus, cum ipsi in eremo habitarent. Qualiter autem Fratres nostri Ordinis in illo interuallo tanti temporis scilicet à dispersione sua de Aphrica vsque ad tempora prædicti Papæ Innocentij vixerint: quidue egerint scripto authentico non inueni. Vnde de hoc aliquid scribere non curaui. Sed hoc vnum certum est, quod illa sancta propago sancti Augustini non omnino extincta fuit; sed in aliquibus bonis Fratribus in quadam sancta simplicitate viuentibus perdurauit vsque ad [a] annum Domini M. CC. XII. quando celebratum fuit Conciliū Lateranense sub præfato Domino Innocentio Papa iij. Quod Ordo iste illud Conciliū Lateranense præcesserit exprimitur in textu Decretalis extra De religiosis domibus [b] cap. Religionum lib. vj. In quo Concilio Ordines Fratrum Prædicatorum, & minorum, qui tunc recenter surrexerant in fauorem quidem Ecclesiæ recepti sunt, sed nondum confirmati, quia idem Innocentius ad eorum confirmationem durus

fuit. In

fuit. In eodem etiam Concilio, quia ibi de ordinibus singulis tractabatur, Ordo Fratrum eremitarum sancti Augustini registratus, & annotatus fuit, absque tamen solennitate confirmationis, vt habetur ex registro Pontificum Romanorum. Hic ergo Innocentius Papa iij. fuit primus summus Pontifex à quo Ordo habuit aliquod priuilegium scriptum, quantum ego potui indagare. Confirmauit namque locum nostrũ * sancti Antonij in Ardigneta, qui est in prouincia Senensi; Cuius priuilegij formam vidi. Post hunc Honorius Papa iij. qui Ordines Prædicatorum, & Minorum confirmauit, etiam aliqua loca nostri Ordinis sub protectione sedis Apostolicę suscepit. Postmodum Innoc. Papa iiij. vir vtique magnæ scientiæ, & industrię, qui sedit anno Domini M.CCXL. considerans Ordines Prædicatorum, & Minorum notabiliter crescere, & fructus salubres in Ecclesia Dei proferre, Fratres vero Eremitarum sancti Augustini sibi solis per bonam vitam prodesse, cępit velle agere quatenus vt ipsi sicut Prędicatores, & Minores finem salubrem, & fructum in Ecclesia Dei producere possent. Erant autem tunc temporis in diuersis mundi regionibus, & præcipue in partibus Thuscię diuersi alij Eremitę sub diuersis titulis diuersimode viuentes. Quos omnes idem Innocentius Eremitis sancti Augustini couniuit, reducens eos ad vnum ouile sub vno Pastore scilicet Priore generali, mandans vt omnes sub vna regula scilicet sancti Augustini vno modo profitendi, vno habitu, vno titulo, vno officio, & eisdem constitutionibus vti deberent; muniensque eos pluribus priuilegijs, & gratijs. Quorum omnium exemplaria, & nõnulla originalia sub bulla ego vidi. Et vt Ordo efficacius surgeret ad crementum, dedit eis vnum Cardinalem prouisorem Ordinis, & Protectorem, intendens eis exinde de statu vberiori paternaliter prouidere. Sed pręuentus morte, ea, quæ proposuit non perfecit. Vnde beatus Augustinus volens dispersiones suæ Religionis congregari, succedenti ei in sede Apostolica scilicet Domino Alexandro Papæ Quarto in visione apparuit grandis quidem capite, sed membris exilis. Ex qua visione velut diuino oraculo Papa commonitus, vnionem per prædecessorem suum Dominum Innocentium inchoatã cõsummauit. Ipse namque Fratres omnes eremitas diuersorum ordinum: quorum quidam sancti Gullielmi, alij Fratris Ioannis boni, alij de Fabali, alij de Bretinis censebantur. Alij quoque apud homines ambiguis nuncupationibus vacillabant. Necnõ & Fratres de pænitentia Iesu Christi, qui Saccitæ vocabantur. Hos inquam omnes in vnum redegit, & Ordini Eremitarum S. Augustini cum personis, & locis effectualiter concorporauit, & vniuit, dispensans cum eis super diuersarum professionum, & obseruantiarum ligamina,

Vnio facta ab Innoc. iiij.

Apparet P. August. Alex. iiij. p vnione Ordinis p ipsum facienda.

Diuersorũ generũ eremitæ vniti Ord. erem. S. August.

quibus

quibus antea in prædictis vel alijs Ordinibus obstricti quomodolibet fuissent. Mandans quoque, ac per censuram ecclesiasticam eos compellendos decernens, quatenus sub vna regula, vna forma, & vnius Prioris generalis obedientia secundum Regulam S. Augustini omnes vnanimiter debeant militare. Et vt in hac sancta communione nulla deformitas appareret, idem Romanus Pontifex determinauit eis habitum, officium, & titulum: prout infra suis locis differetur. Quæ omnia ex antiquis priuilegijs Ordinis apparent luculenter.

AD CAP. XIIII. NOTÆ.

a Ad annum Domini M.CCXII.] *Satis constat Concilium hoc celebratum esse anno 1215. ita vt existimandum sit exemplar esse corruptum, vel de eo Concilio agi coeptum anno 1212.*

b Cap. religionum lib. vj.] *Verba concilij Lugdunensis relata in. d. cap. Religionum hæc sunt:* Ceterum Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordinis, quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit, in solido statu volumus permanere.

c S. Antonij in Ardigneta.] *Locus hic hodie appellatur vallis aspera in maritimis Senarum, qui possidetur à Fratribus congregationis Illicetanę.*

d Diuersi Eremitæ.] *Quæ huc spectant fusius prosecutus est Episcopus Signinus, olim & ipse Pontificij sacrarij Præfectus præcessor meus, vir multa eruditione præditus, in Chronicis nostri ordinis quæ edidit. ad quem pro vberiori loci huius explicatione lectorem remittimus.*

De habitu Ordinis. *Cap.* X V.



Vali autem habitu beatus Augustinus cum suis Fratribus vsus fuerit, consequenter perscrutandum est: Et quidem nullum determinatum habitum Anachoretarum primitus fuisse legimus. Sed eorum quilibet vtebatur veste, qualem habere potuit. Nam de sancto Paulo primo eremita legimus quòd habuit tunicam de palmæ folijs contextam in modum sportarum, & quoddam colobium. De beato verò Antonio legimus, quòd vestimenta induit intrinsecus de cilicio, desuper melote, vel pelliceo vtebatur. De sancto autem Hilarione legitur, quòd sacco tantum membra coopertus erat, & pelliceum habens quod sibi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum. Sed sepultum eum legimus in cuculla, tunica, & pallio. De monachis etiam Ægypti legitur quod S. Hieron. in vita S. Hilarionis.

melotis

melotis vtebantur. Est autem * melota secundum Papiam vestis monachalis de pelle animalis, quod melo', vel taxus dicitur, valde hispida, & est pendens à collo præcincta vsque ad lumbos. Sed aliquando accipitur pro pelle caprina, sicut legitur in Vitaspatrum parte prima de sancto Mutio, quod ipse quendam discipulum suum induit habitum monachalem, scilicet leuitomam, & cucullam, & melotem quæ est caprina pellis, vt ibi dicitur. Sed parte iij. Vitaspatrum dicitur, quod Patres, & Fratres illi in eremo vtebantur cucullis, & humeralibus, ac zonis, quibus cingebantur. De beato etiam Ioanne Baptista, & similiter de Helia legitur, quòd erant vestiti pellibus camelorum, & succincti zona pellicea. De beato quoque Augustino fertur, quod baptizatus indutus fuerit à beato Ambrosio cuculla nigra, desuper zona quadam ad differentiam monachorum, vt ipsemet Ambrosius dicit in libro quem fecit de baptismo eius scilicet Augustini, licet alij dicant eum talem habitum sumpsisse à beato Simpliciano, quod non variat propositum. Potuit enim habitum sumere à beato Simpliciano, quo se fecit indui à beato Ambrosio propter auctoritatem Pontificalem; maxime quia sanctus Ambrosius valde diligebat sanctum Simplicianum sicut dicitur viij. Confessionum. Verisimile est vtrosque in eodem facto concurrisse. Quare non refert siue ab isto, siue ab illo dicatur fuisse indutus. Quod autem beatus Augustinus habitu nigro cum zona pellicea nigra vestitus fuerit, quodque ipse immediate post susceptum baptismum talem habitum auctorizante beato Ambrosio assumpserit: & quod eodem habitu Fratres sui vsi fuerint apparet expresse in sermone suo De filio Prodigo. Et in sermone De Cœna Domini. Item in sermone ad presbyteros Hipponenses. De quibus in fine eiusdem præsentis capituli. Et hic quidem habitus congrue conueniebat Fratribus illis. quod declaratur ex duobus. Primo, ex eo quod iste habitus magis conformis est habitui Patrum, & Fratrum illorum in eremo, de quibus dicitur in Vitaspatrum: quòd habitus eorum erat cuculla, & zona pellicea. i. corrigia ac humerale, per quod accipitur scapulare eo quod tegat humeros siue scapulas. Et secundum hoc habitus Ordinis per omnia conformatur habitui illorum Patrum. Et hoc in substantialibus, licet forte in forma, & figura possit esse diuersitas aliqualis ex more moderni temporis.

[Margin: Vitaspatrū cap. 15. — Cap. 3. — Mar. 1. — 4. Reg. 1. — Confess. li. 8. cap. 2. — Serm. 27. 28. & 5. ad Fratres. — Ex duobus capitibus declarat congruitatem habitus fratrū S. August.]

Per melotes vero, quibus sancti Patres etiam vtebantur, accipere possumus tunicas pelliceas, etsi non de illa materia. Nam de illa materia, de qua melotes fiebant, puta, de pellibus camelorum, seu taxorum vestimenta habere vsus non sustinet in Italia, nec in Aphrica, vbi illa animalia non sunt. Pellicea tamen caprina, vel ouina, aut de alijs com-

alijs communibus animalibus ibi in vsu bene habentur, Quibus & antiquitus non solum monachi, sed & regulares canonici, immo omnes clerici sub veste religionis superiore pro tunicis vtebãtur. Vnde etiam vestis Religionis clericorum, qua adhuc vtũtur in diuinis officijs superpellliceum dicta est, eo quod superpellicea olim induebantur. Et adhuc ille pelliceorũ ritus in pluribus ecclesijs * secularibus pseuerat. Et verisimile est B. Augustinum, & suos Fratres, ac etiam clericos regulares tunc temporis huiusmodi pelliceorum vsum habuisse, sub veste tamen superiore Religionis, ac clericalis honestatis. Quia vero post transitum B. Augustini Fratres hinc inde fuerunt dispersi, vt dictum est in cap. præcedenti, & tunc succreuit difformitas tam in habitu quàm in officio diuino, & cæteris obseruantijs vsque ad tẽpus recollectionis seu vnionis Ordinis memorati. Et quoniã tunc inter illos Fratres simplices dubitabatur q̃s esset verus habitus eorũ. Hinc est, q̃d sedes Apostolica aspiciens ad primariam originem Ordinis, habitum superiorem eis determinauit. Immo verius, dudum per sanctum Augustinum determinatum declarauit, statuendo videlicet, quod eorundem Fratrum, Ordinis scilicet Eremitarum sancti Augustini habitus exterior esset cuculla nigra, & nullius alterius coloris, cum longis, & protensis manicis, desuper corrigia ampla cincta, habitu subteriore eis remanente secundum ordinationem Ordinis, auctoritate nihilominus sedis Apostolicæ accedente, vt patebit infra lib. ij. cap. xiiij. Nam pro humeralibus, seu colobijs vtuntur scapularibus, & pro tunicis pelliceis vtuntur tunicis laneis secundum conformitatem temporis, & terrarum; vsu pelliceorum nihilominus pro tempore frigoris remanente.

* regularib.

Quod enim pro varietate temporis, & terrarum liceat, & quandoq; expediat in actualibus habitũ conformare, patet, quia, vt dicit Ioan. Cassianus in institutis Patrum lib. 1. loquens de habitu monachorũ: *Tenenda sunt* (inquit) *à nobis illa tantũmodo, q̃ locorũ situs, vel prouinciæ vsus admittit. Nam neque caligis nos, neque colobijs, seu vna tunica esse contentos hyemis permittit asperitas, & paruissimi cuculli velamen vel melotis gestatio derisum potius quàm ædificationem videntibus cõparabit.* Ex alio etiam fonte ostenditur habitus iste congrue Fratribus eremitis cõuenire, si aduertamus eius significationem. Significat enim iste habitus perfectũ mũdi contemptũ, & mortificationem hominis exterioris, quod singulariter conuenit eremitis. Color enim niger absque mixtione alterius coloris designat perfectũ contemptũ omnis ornatus, & decoris huius mundi. Ad quod repræsentandũ cũ aliquis nouitius de nouo induitur hoc habitu, cãtatur responsoriũ: *Regnũ mundi, & oẽm ornatũ seculi contẽpsi &c.* Vel etiam secundum Anselmũ in lib. de similitudinibus

Inst. pat. li. 1. cap. 11.

Ansel. in li. De similit. cap. 92.

4. Reg. 1. Mar. 1. dinibus; Nigredo habitus designat, quod monachus quantumcunq; sit perfectus debet se reputare vilem peccatorē. Corrigia vero, quæ datur loco Zonæ pelliceę, qua Helias, & Ioann. Bapt. erant præcincti, quæ est de corio mortuorum animalium secundum Ioann. Cassianum vbi supra, significat mortificationem omnium motuum bestialium illorū præcipue membrorum in quibus luxuriæ seminaria continentur. Vnde est illud euangelicum: *Sint lumbi vestri præcincti*. Vt sic apte dicatur cuilibet induto huiusmodi habitu illud Iob. v. *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*. vbi per bestias terræ intelliguntur bestiales motus, & affectus brutales, quibus terreni homines disturbantur, à quibus omnibus isti sectatores Ordinis sancti Augustini debēt esse pacificati. Vnde ibidem in Iob subditur: *Et scies quod pacem habet tabernaculū tuum*. Vnde etiam Anselmus vbi supra: *Monachi officiū debet esse leonem vrsum aprum crudelitatis. Lupum rapacitatis, Taurū feritatis, vulpem astutiæ. Hircum immunditiæ, gruem somnolentiæ, equum, & mulum luxuriæ, asinum pigritiæ, omniaque bestialia vitia occidere, & tunc pacē in seipso habebit. Sed antequā homo se sic deuincat vt talem pacem habeat, opus est ei magno certamine. Non enim habitus facit hominem sanctum, sed vita conformis habitui. Vnde lumborū accinctio, & habitus pellis mortuę membra non mortificat, sed eorū mortificationem designat.* Itaque, vt ait Ioan. Cassianus vbi supra. Oportet monachū vt militem Christi in ꝓcinctu semp belli positum, accinctū lumbis iugiter incedere. Et exēplificat de Helia, & Ioanne, Petro, & Paulo. Non enim frustra Petro dictum fuit ab Angelo: *Præcingere*. Paulo etiā propria zona ligato dictum est à ꝓpheta Agabo: *Virum cuius hæc zona est, &c.* ij ergo cincti esse solebāt. Aliā etiam significationem cincturæ dat idem Ioan. Cassianus. Vt videlicet, monachus semper sit expeditus, & paratus, & promptus ad opera monasterij peragēda. Figura vero cucullæ, quę protensis manicis in modū Crucis expanditur, secundum Anselmum ibidem, significat iugem memoriā passionis dn̄icę, & quod oportet monachum mundo, & concupiscentijs eius esse crucifixū, vt dicat cum Apostolo: *Christo confixus sum Cruci*. Amplitudo autem habitus amplitudinē designat charitatis, longitudo vero, quæ protenditur à capite vsque ad pedes, secundum eundem Anselmum, designat longanimitatem, & perseuerantiam boni ꝓpositi, quod debet protendi à principio suæ * cōuersationis, vsque ad finem vitæ suæ. Caputium vero quod caput cooperit, & est apertum ad faciem, sed per dorsum descendens quasi figuram clypei protendens significat charitatē, quæ caput animæ i. mentem cooperit, & eam præseruat à frigore peccatorum, & à caumate tentationum; hæc debet esse superius lata, & ꝑfecta, Dei dilectione: sed inferius stricta, & arcta terrenorum

Marginalia: Corrigia quid designet Inst. Pat. lib. 1. cap. 2. — Luc. 12. — describuntur. — Inst. Pat. li. cap. 2. — Act. 11. — Act. 21. — Inst. p. li. 1. cap. 2. — Cappa seu cuculla qd significet. — Gal. 2. — * aliter cōuersionis — Caputium quid significet.

norum vſu,& fruitione. Quod autē ad modū clypei figuratur, deſignat quod charitas iſtos viros ꝓtegit cōtra iacula tentationū inimici. In dorſo vero fertur ad modū fugientium, ad ſignificandū, quod bellum noſtrum contra incentiua carnis magis conſiſtit in fugiendo occaſiones inſultuum, quàm in reluctādo, quia tutior eſt victoria cum fuga, quàm ſe talibus offerre etiam cum propoſito reſiſtendi, vt de hoc habemus plenius infra lib. ij. cap. xxx. cautela decima. Scapularia autem, vel ſuper humeralia, ſeu etiam colobia, quæ omnia in propoſito idem important; [a] eſt enim colobium genus veſtis ſine manicis, quo vtebantur antiqui, vt dicit Papias, & deſignat fortem tolerantiam paſſionum; quaſi ſemper crucem ſuper humeros portare nos oſtendamus, & ad debellandum vitia. In cuius etiam ſignum reges in humero vnguntur: portitores etiam grauium onerum humeris aliquod ſupportaculū ſuperponunt ad onera leuius ſupportanda. Prædicta autem tria habitum monachalem integrantia ſimul ponuntur in Vitaſpatrum, vbi ſupra. Dicebant enim ſenes, quod cucullum, quo vtimur, ſignum eſt innocentiæ: ſuperhumerale vero, quo humeros, & ceruicem alligamus, ſignum eſt Crucis. Zona autem, qua cingimur, ſignum eſt fortitudinis. Et poſſunt hæ ſignificationes concordari cum præmiſſis. Charitas enim præſeruat hominē à lapſu, ac per hoc conſeruat innocentiā, & operit multitudinem peccatorum, vt dicitur Iacobi v. & ſic reſtituit innocentiam. Fortitudo etiā quę per zonam ſignificatur, neceſſaria eſt militi Chriſti ad reluctandū vitijs, & ad mortificandum motus beſtiales. De ſup humerali patet cōcordantia applicationis ex iam dictis. Et quia ſine prædictis tribus ſignificationibus nunquā ſe debet Religioſus quilibet inuenire, in huiuſmodi ſignum debet eadē tria religionis inſignia iugiter in ſuo corpore portare, etiam quando dormit, videlicet cucullū humerale, & cingulū. [b] Per cucullum ad præſens, ſicut interpretantur conſtitutiones Ordinis, accipitur cappa, vel ſcapulare, vel ſaltē caputium paruū. Quod ſumptū videtur à Patribus Ægypti q, vt dicit Ioan. Caſs. cucullis ꝑparuis, quę tantū capita tegebāt, dieb⁹ ac noctibus vtebantur, ad ſignificandā innocentiā paruulorū. Pro humeralibus verò ſiue colobijs de nocte vtimur tunicis inferioribus, qualē tunicam Cōſtitutiones appellāt veſtē breuiorē, quā ſemp ſub alia portare iubemur. Quod etiā Religioſus dormiens nō debet eſſe ſine cingulo patet ſupra p Ioan. Caſſian. Etſi Conſtitutiones nr̃æ illud non exprimant, tñ hoc ſupponūt, cū cingulus de ſubſtātia habitus Ordinis nr̃i fore demōſtratur. Ad hoc facit qđ legitur & notatur xxiiij. diſt. ſanctimonialis, & xx. q. I. Viduā. Vnde etiam in Regula B. Pachomio ab Angelo delata cōtinebatur, quod Fratres noctibus deberēt pręcingere lumbos ſuos. Patet etiā qualiter habitus iſte p

Scapularia quid deſignant.

Colobium quid ſit.

Vitaſpatrū par. 3. cap. 15.

Inſtit. Pat. lib. 1. cap. 4.

Religioſus & dormiēs non debet eſſe ſine habitu.

Corrigia eſt de ſubſtantia habitus fratrū erem. S. Auguſt.

Coronę seu capillorũ tõsuræ significatus. omnia conueniat Fratribus Eremitis. Corona vero, capillorumq; tonsura secundum eundẽ Anselmum, monachũ, sacerdotem, & Regẽ esse demonstrat. Sacerdotes namq; mitra tegebant caput, ad cuius similitudinem nũc caput raditur. Reges coronis vtuntur, ad cuius similitudinẽ nũc capilli tondũtur. Vnde monachus, sacerdotis, & Regis gerit officiũ. Officiũ vero sacerdotis in lege erat diuersa pecora mactare: sic monachus debet carnẽ suã mactare à bestialibus vitijs, vt supra dictũ est. Regis autem officiũ propriũ est regnũ regere, hostes inde propellere, ne iusto iniustus iniuriam faciat prouidere: malos destruere, & bonos exaltare. Similiter hoc officium debet esse monachi, vt suæ mentis regnum regat, corporis, & animæ * omnia vitia expellat, ne malus appetitus bono resistat; sed vt bonus malum semper subijciat, vt sic Frater nihil habeat exterius in habitu, quod non conueniat interius professioni. Hæc Anselmus vbi supra. Præmissas significationes habitus Ordinis Eremitarum quantum ad colorẽ tincturã figurã tonsurã, & quædã alia expresse ponit August. in serm. De filio prodigo ad Fratres suos in eremo, qui incipit. *Pax vobis Fratres dilectissimi:* vbi ait sic. *Pensate Fratres quid vestis nigra, quid zona pellicea: quid corona capitis persuadeant. Nigra enim vestis, quia vilis est, mundi contemptum nobis denunciat, & memoriam mortis. Zona pellicea lumborum refrenationem declarat, capilli rasi de vertice superfluitatem crinium, idest cogitationum terrestrium significant ablatam de mente. Sic enim Pater sanctus Ambrosius quando me regenerauit in Christo, mihi petenti respondit. Cogitate ergo Fratres quàm reprehensibile est, si sub tali habitu superbia lateat, vel luxuria. Summe igitur nobis neceße est in eremo morantibus ipsa humilitas, quæ designatur per vestem: Castitas, designatur per lumborum præcinctionem. Obedientia, quæ intelligitur per subiectionem. Porro portamus etiam baculos, per quos intelligitur disciplina, sub qua semper parati esse debemus.* Hæc ibi. Item in sermone. *De Cœna Domini* ad eosdem Fratres, qui sic incipit: *Audiuimus Fratres carissimi, quod cum Dominus intinxisset panem.* dicit sic: *Nos qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram Crucis, & nomen Religionis habemus. Nigram etiam vestem humilitatis portamus: Zonis etiam pelliceis præcincti apparemus, caueamus ne similes simus sepulchris dealbatis, quæ foris pulchra, & dealbata apparent, sed intus plena sunt fetore, & ossibus mortuorum occultis.* & subdit. *Nobis denique, qui nomen, & habitum sanctæ Religionis portamus, vita mala periculosior ostenditur; quàm in seculo demorantibus.* Hæc Augustinus. Item in sermone ad presbyteros Hipponenses, qui incipit: *In omnibus operibus vestris.* De eisdem Fratribus suis in Eremo loquens dicit,

[Margin notes: * aliter omnino. — Serm. 27. ad. Fratres. — Serm. 28. ad Fratres. — Matth. 23. — Serm. 5. ad sacerdotes suos.]

dicit sic. *O vtinam tales eßetis, sicut ipsi sunt: Vos pellibus cuniculorum, & variorum ornati estis, & ipsi ouino colore nigerrimo asperrimoque induti sunt. Vos baltheis militum mundo apparere desideratis, & ipsi zonis camelorum renibus succincti more Heliæ, & Ioannis decorati sunt.* Ad idem habes infra libro iiij. cap. xiij. Sic enim. Sed aduertendum est, quod hoc, quod dicit Augustinus de baculis conforme est antiquitati. Vnde etiam olim [c] per beatum Gregorium Papam statutum fuerat, quod Fratres, baculos quinque palmorum in manibus portare deberent. Sed hoc postmodum per Alexandrum Papam Quartum tamquam abusiuum præsenti tempore, extitit reuocatum. Per viam autem Fratres adhuc portare possunt baculos sicut libet. De habitu etiam, & vestibus Fratrum plura habes infra lib. iiij. cap. penultimo.

AD CAP. XV. NOTÆ.

a Melota.] *De melotis mentio est apud B. Paul. Hebreo. xj. circuierunt in Melotis & pellib⁹ caprinis &c. Porrò Melotes siue Melote, Græce enim est* μηλωτή *propriè dicitur pellis ouina; nam* μῆλον *ouis vocatur. Sed & de quacumque pelle dicitur. Sozomenus lib. 3. cap. 13. has monachorum Melotas* διφθέρας *vocat, & sine his, aut cibum aut somnum capere Aegipti monachos nefas fuisse commemorat.*

Ceterum (vt hoc obiter contra hæreticorum calumnias & deliramenta adnotemus) sanctis qui solitudinem inhabitabant, morem fuisse aspero vestitu vti, satis constat exemplo S. Io. Baptistæ Matth. 3. Mar. 1. Idque primos Christianorum vsurpasse testatur Philo Petri Apostoli familiaris, de instituto Essenorũ, vbi de Christianis agit, vt rectè censuit S. Hieronym. in Catalog. scriptor. Ecclesiasticorũ. S. Epiphanius in Panar. hæret. 30. Euseb. lib. 2. Ecclesiast. histo. ca. 15. 16. & 17. Io. Cassia. de instit. Cœnob. lib. 1. cap. 2. & collat. 18. cap. 5. S. Basil. in regul. fusior 22. & 23.

Quod autem Io. vestitus asperitate fuerit commendabilis. testatur Christus veritas infallibilis dd. locis. S. Hieronym. ad Algasiam quæst. 4. & lib. 2. contra Iouinianum. S. Gregor. Nazianz. in carminibus de docum. virgin. S. Ambros. serm. 66. & epist. 82. Iuuencus in euangelica histor. S. Io. Chrysostom. homil. 10. in Matth. S. Gregor. lib. 4. exposit. in lib. regum cap. 9.

Sic & veteris testamenti. Patres aspero vsi sunt vestitu. Adam fecit Dominus Zonam pelliceam. Gen. cap. 3. Elias item. 3. Reg. 17. & 19. 4. Reg. 1. Sic & Eliseus & filij prophetarum, quos veteris testamenti mona-

chos appellat. S.Hieronym. Epist. 4. ad Rusticum. Et noui testamenti. S. Petrus Apostolus, vt testatur B.Clemens. lib. 7. Recognitionum. S. Iacobus primus Hierosolymorū Episcopus, vt testatur Ioseph. antiq. Iudaic. lib. 20. cap. 16. Euseb. Ecclesiast. histor. lib. 2. cap. 23. S. Io. Chrysostom. in Matth. homil. 1. Id quod fusius prosequitur Pet. Canis. vir doctiss. de corruptel. verbi Dei lib. 1. cap. 3.

b Est enim colobium.] *Colobium Graca vox est* κολόβιον *Sed à latinis etiam vsurpata. Seruius Aen. 9. Et tunica manicas, & habebant redimicula mitra: Tunicæ, inquit, vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat dicens: Manicatis & talaribus tunicis, nam colobijs vtebantur antiqui. hac Seruius, quæ refert S. Hieronym. in Hebrai. quæstio. Tom. 3. Porrò Sozomenus lib. 3. cap. 13. Aegypti monachos tunicas sine manicis habuisse scribit, vt significarent manus se ab iniuria & contumelia inferenda habere omnino alienas: Ceterum Cassiani Colobia manicis non omninò carebant, sed ea citra cubitum desinebant, cuiusmodi hodie in vestibus sacris Dalmaticas seu Tunicellas videmus vt Anselmus Decretorum collector existimauit. à S. Siluestro & eius presbyteris colobiorum vsus sumpsit initiū, & Marcus, & Iulius, & Liberius eo ordine sunt vsi. Post hoc autem colobia in Dalmaticas commutata sunt, quod accuratius aspiciētibus magis placere valeat, vt idē Anselmus docet. Dicitur etiam & lebitonariū vt S. Isidorus declarat lib. 19. Etymolog. cap. 22. lebitonarium, inquit, est colobium sine manicis, quali monachi Aegyptij vtuntur.*

c Per cucullam ad patres.] *Cuculla apud Cassianum capitis tegumentum est, quo monachi Aegyptij vtebantur, vt auctor etiam declarat. Sozomenus lib. 3. cap. 13. de ijsdem monachis agens: Caput, inquit, integumento quod Cucullum* κουκούλιον *appellare solent, operiebant, quo ostenderent se vitam perinde simplicem, atque synceram agere, atque pueros late nutritos, quorum caput eiusmodi Tiaris obuoluitur. Addit Nicephorus lib. 9. cap. 14. integumentum illud fuisse acuminatum; apud S. Hieronymum, in Hilarionis vita Cuculla dicitur: Omnes inquit, diuitias suas ei relinquens, Euangelium, scilicet, tunicam sacceā, cucullam, & palliolum.*

d Per beatum Gregorium Papam.] *Nullibi hoc potuimus inuenire apud B. Gregorium.*

De introitu Fratrum ad ciuitates. Cap. XVI.

VT autem Fratres huius sacræ Religionis sic congregati, sic vniti in Ecclesia Dei ad instar Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrũ possent facere sicut & ipsi olim ante suam dispersionem tempore beati Augustini in Aphrica,prædicãdo videlicet populo, & confessiones audiendo, sicut patet in quodam sermone beati Augustini, qui incipit: *Vt bene nostis Fratres.* ordinauit præfatus summus Pontifex. s.D. Alexander Papa iiij. quatenus ipsi Fratres deberent se transferre ad Ciuitates, & in eis loca recipere, ac verbo doctrinæ, & prædicationis, & exemplo sanctæ conuersationis, ac actu audiendi confessiones, in Dei populo fructificare. Ad quod qa nonnulli eorũ erant difficiles, malẽtes in eremo more solito solitarie Deo vacare, quàm inter homines mundanos periculo humani contagij se exponere: Idem Dominus Papa intendens, & illorum deuotioni satisfacere, & nihilominus per Fratres eiusdem ordinis fructum salubrem in populo producere, sic ordinauit, vt prioribus locis eremiticis retentis, quicunque eorum deuotionem haberent eremiticam vitam ducendi, possent secundum eorum deuotionem, & secundum dispositionem suorum superiorum in talibus locis collocari. Qui vero ex eis ad fructificandum in populo essent idonei, illi deberent in ciuitatibus habitare, & populo prædicare: confessiones audire fidelium eis confiteri volentium: & sic fructum salutiferum in Dei Ecclesia germinare. Et in hoc statu idem summus Pontifex Ordinem confirmauit, & exemit, suscipiendo personas, & loca ordinis sub protectione Apostolicæ sedis, muniens nihilominus eos multis priuilegijs, & gratijs tali statui opportunis. Confirmauit quoque eis Protectorem D. Ricardum Tituli S. Angeli diaconem Cardinalem per prædecessorem suum D. Innocentium primitus constitutum. Prætacta autem Ordinis exemptio postmodum per D. Bonifacium Octauum ampliata est, & deinde per Dominum Clementem Papam sextum vberius impinguata est. Sane quod Fratres de eremis ad ciuitates directi sunt, non parui præconij locum habet. Non enim per hoc à statu suæ primariæ perfectionis degenerasse putandi sunt; sed potius maioris perfectionis statum acquisisse: vt pote, qui nunc non solum sibiipsis viuunt, sed etiam Ecclesiæ Dei proficiunt, prout liquet etiam capitulo supra xj. Quorum etiam perfectio in hoc attenditur; quia ex ordinatione, & dispositione Romanæ Ecclesiæ eis conuenit exercere opera Prælatorum, quæ sunt purgare, illuminare, & perficere. Præ-

Serm. 14. ad Fratres.

Quomodo per D. Alexand. iiij. Fratres eremitæ S. August. introducti fuerunt in Ciuitates.

D. Ricardus Card. S. Angeli diac. prim' protector Ord. deputatus ab Innoc. & confirmatus ab Alexandro.

D. Bonif. Papa viii. auxit priuilegia Ordinis.

Fratres eremitę transmigrantes ad ciuitates non defecerunt à perfectionis statu sed amplius ad illum accesserunt.

fatus autem ftatus Ordinis pro quanto videlicet ad modum lapidis angularis vtrumque complectitur, conformis eft quodammodo illi modo viuendi, quo olim viuebant Fratres, qui habitabant in eremo de Centumcellis in Romanis partibus: vbi adhuc manere dicitur monafterium ex antiquioribus quæ funt de Italia, vbi (vt fertur) erat duplex viuendi modus; & fuit vfque ad tempora Gregorij Papæ Quarti. [a] Nam plures alij habitabant fimul in communi loco, fcilicet in monafterio, alij vero habitabant per cellas fuas diftinctas circumquaque, & conueniebant certis diebus ad communem locum ad celebrandum, & fumendum facramenta. & fic redeuntes ad cellas fuas portabant fecū panem, & fal. Et quidem in loco communi non ftabant communiter nifi homines probati in alijs monafterijs, qui illuc ibant, vt fe confequenter transferrent ad folitariam vitam.

AD CAP. XVI. NOTÆ.

a Nam plures alij &c.] *Cuiufmodi licet videre in celeberrimo monafterio montis ferrati in Regno Aragonum, & in Eremo camaldulenfi, cuius defcriptionem profecutus eft diligentiffime Anoreas Mugnofius conchenfis.*

De Titulo Ordinis. Cap. XVII.



Itulus autem quem Romana Ecclefia huic ordini determinauit appropriauit, auctorizauit, & confirmauit eft hic: [a] Ordo Fratrum eremitarum fancti Auguftini. Hunc titulum beatus Auguftinus per femetipfum eis impofuit, appellando videlicet eos Fratres fuos in Eremo, vt in fermone ad Prefbyteros Hipponenfes habetur, qui incipit: *In omnibus operibus veftris.* Et hoc ad diftinctionem aliorum Fratrum fuorū in epifcopio. Inde vocantur nūc Fratres Eremitæ fancti Auguftini. De cuius tituli congruentia eft fciendum, quod ifte titulus ita appropriatus eft ifti Ordini, quod nulli alteri conuenit. Plures namque aliorum Ordinum Religiofi fcribunt fe: Ordinis fancti Auguftini, puta, omnes habentes Regulam fuam, videlicet Regulares canonici:. Præmonftratenfes. Victorini, * Norbentini. Prædicatores, Serui fanctæ Mariæ, & plures alij, a quibus omnibus, fecernit hoc quod in titulo dicitur Eremitarum. Rurfus plures poffunt adhuc effe Religiofi eremiticæ vitæ, qui fe fcribunt Eremitas. Sed id quod ponitur in titulo *S. Auguftini* diftinguit nos ab illis. Sic enim olim omnes illi Ordines fupradicti, qui nunc vniti funt huic, fe vocabāt, & fcribebant, fcilicet, Eremitas: fed Fratres huius Ordinis foli appellabantur

Serm. 5. ad facerdotes fuos.

* aliter Rubertini.


bātur sancti Augustini;ad quos alij supradicti sunt vniti.Fuerunt enim, & sunt de illa felice propagine sacræ institutionis beati Augustini. Quare meritò ipsi retinent prærogatiuam tituli præ omnibus alijs suā Regulam habentibus. Quod etiam demonstrat ius commune, si enim diligenter aduertimus signanter inuenimus, quod in iure cōmuni in nullius alterius Ordinis titulo ponitur *Augustinus*. quod sic inductiue videri potest. Nam vbicumque in iure communi fit mentio Canonicorum regularium, vel Fratrum Prædicatorum, vel quorumlibet aliorum Regulam sancti Augustini sectantium, in nullius eorum titulo ponitur *Augustinus*. De canonicis quidem regularibus habetur xix.q.iij. Mandamus. extra, de Postulando cap. ex parte. De ætate, & qualitate Ordinandorum cap. Intelleximus. & de prabendis, & dignitatibus cap. Auaritiæ, cum similibus. De Fratribus Prædicatoribus habetur extra. De electione. Cum ex veteri. De excessibus Prælatorum. Nimis praua. De religiosis domibus. Religionum.lib.vj. In quibus omnibus, & similibus locis iuris, ita prędicti vocantur Canonici regulares, & Fratres Prędicatores, quod non apponitur Titulus sancti Augustini: v.g. vt ibi diceretur Canonici regulares Ordinis sancti Augustini. vel Fratres Prædicatores Ordinis sancti Augustini. Non sic planè de aliquo illorum scribitur. Sed vbicumque in iure fit mentio de isto, semper exprimitur titulus sancti Augustini: vt extra de electione. Quorumdam. Et De Religios.dom.Religionum.lib.vj.cum similibus. Vbi iste Ordo non simpliciter Ordo Eremitarum; Sed Ordo Fratrum eremitarum sancti Augustini scribitur; quæ appositio tituli istius Patris de nullo aliorum Ordinum reperitur. Et est aduertendum, quod in hoc titulo, ly *Ordinis* non debet immediatè poni, nec referri ad hoc quod sequitur *sancti Augustini*, sed poni & referri debet ad Eremitarū. Nam hoc quod dicitur, Ordinis sancti Augustini, nulli alteri conuenit: Ex quo patet, quod incongrue, & abusiue quidam scribunt sic. Ego N. Fratrum Eremitarum Ordinis sancti Augustini. Immo scribi debet sic. Frater N. Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini. Patet etiam ex præmissis quantum aberrent illi Fratres, qui de illa particula tituli, quæ est Eremitarum verecundantur, sic scribentes simpliciter Ordinis sancti Augustini, & subducentes Eremitarum, & vidi Parisius nonnullos Fratres qui informauerunt bidellum, quod in pronūciationibus suis per scholas supprimere deberent illud nomen: *Eremitarum*, & tales verecundantur de generosa radice suę propaginis, quæ vtique non est nomen alicuius dedecoris, immo est nomen magni prę conij, & honoris. Denique etiam, & congrue Ordo iste gaudere debet titulo beati Augustini, tum ratione suę primordialis institutionis,

çum Ordo ſit ab ipſo primordialiter propagatus, tum ratione regularis inſtitutionis, quia per traditionem ſuæ Regulæ ab ipſomet eſt ſpecialiter dotatus, tum ratione Apoſtolicæ adaptationis, quia iſte titulus eſt Ordini à ſede Apoſtolica pecularitcr adaptatus, appropriatus, & confirmatus; tum etiam ratione corporalis poſſeſſionis, quia poſſeſſione ſacratiſſimi corporis ſui Ordo eſt ſingulariter prærogatus: & hæc quatuor nulli alteri competunt Ordini, Quare non immeritò remanet huic Ordini prærogatiua tituli. Prima tria patent ex præmiſſis, ſequitur de quarto.

AD CAP. XVII. NOTÆ.

a Ordo Fratrum Eremitarum.] *De Titulo Ordinis conſulendi ſunt Ambroſ. Coriola. in defenſorio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini 2. par. hiſtoria. tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. Vincent. Beluacen. in ſpecu. hiſtoria. lib. 26. cap. 51. Volaterra. lib. 21. Antropologiæ. Auguſtinus Ticinen. in propugnacu. par. 1. cap. 16. Ioan. à nigra valle S. R. E. Bibliothecarius lib. 13. cap. 18.*

De vnione capitis ad membra in donatione corporis beati Auguſtini, & loci in Papia. Cap. XVIII.



QVoniam autem non ſatis eſſet vnita fore membra inter ſe, niſi & eſſent capiti ſuo vnita. Hoc attendens nouiſſimis temporibus ſedes Apoſtolica, membra huius ſacræ Religionis inter ſe primitus diſiuncta vt viſum eſt, vniuit, & poſtea nihilominus ipſa membra ſuo ſacratiſſimo capiti etiam corporaliter reuniuit. Cum enim olim inualeſcente Vandalorum perfidia: ciuitate Hipponenſi capta, & deuaſtata, ſacra loca: & præcipue locus ille in quo beatus Auguſtinus tunc ſexagintaduobus annis requieuerat, ritu idolatriæ prophanarentur; & ducenti viginti Epiſcopi de Aphrica in Sardiniam exiliarentur, ſacerdoteſque, & Religioſi diſpergerentur, arte, & ingenio Fidelium diuino aſſiſtente præſidio, actum eſt, vt corpus glorioſi Doctoris Auguſtini ſimul cum Epiſcopis Sardiniam transferretur, Fratribus ſuis iam diſperſis. Sed cum idem corpus venerandiſſimum ibi per annos CCXXIII. honorifice quieuiſſet, Sardinia quoque à Saracenis depopulata fuiſſet, Corpus illud ſanctiſſimum induſtria, & deuotione incliti Regis Luitprandi inde leuatum, & in Papiam trãſlatum eſt. Vbi cum per annos ferè ſexcentos requieuiſſet, tunc demum membra, ſcilicet Fratres Ordinis noſtri, ſuo capiti reunita ſunt. Quæ

quidem

quidem reunio taliter facta est. Tenente gubernaculum Ordinis in officio generalatus Venerabili Patre Fratre Gulielmo de Cremona sacræ Theologiæ eximio professore, cuius etiam superius commemoraui. Idem pater sicut erat vir prudens, ac prouidus, ac fidelissimus zelator sui Ordinis, in primo anno sui officij diuino instinctu pulsatus intra se cogitare coepit, si quo modo esset possibile, vt corpus sancti Patris Augustini tanto tēpore à suis filijs elongatū Ordini donaretur, vel potius redonaretur. Sed cū hoc *multis visū fuisset inopinabile, vel immo potius impossibile: ipse tñ diuino oraculo confortatus apud sedē Apostolicā negociū fiducialiter instaurauit; Cumq; nulla possibilitas admitteret, ac prece vel pretio, vel etiā Apostolicę potestatis plenitudine, corpus illud sacratissimum, de loco illo, in quo est, quouis modo trasferri posset, sapienti vsus consilio supplicationem suam taliter formari fecit, vt non videretur petere corpus sancti Augustini de loco illo transferri, & Ordini donari; sed petijt Ordinem suo Patri, ac capiti in eodem quo quiescit loco copulari. Cum autē hoc negotium in Consistorio coram Sāctissimo P. D. Ioanni Papæ xxij. & toto Collegio suorum Cardinaliū solenniter propositum esset. Istis existentibus in tractatu negotij eiusdē declaratum existit ibidem, qualiter Ordo iste ab olim à beato Augustino originem sumpserit; & quomodo isti Fratres ipsius Patris veri filij sint. Inter has collationes Dominus Papa illius nutu tactus, qui spirat vbi vult, tanto feruore ad negotium est affectus vt, iam non iudex, sed aduocatus, & patronus negotij videretur. Diuersis itaque tractatibus super eodem negotio inter Dominum Papam, & Cardinales habitis, tandem gratiose conclusum est: Sicquè idem summus Pontifex in publico Consistorio de Fratrum suorum consilio ordinauit, & statuit, vt Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini iuxta ecclesiam monasterij sancti Petri in cœlo aureo Papiæ, vbi sacrum corpus gloriosissimi Doctoris sancti Augustini est solemniter tumulatum, claustrum, & officinas opportunas pro eorum conuentu construere, easque inhabitare debeant, ita quod eadem Ecclesia vtriusque Ordinis Fratribus tam Regularium, quam Eremitarum sit communis ad diuina in ea officia peragenda. Super quam ordinationem, & statuta idem Dominus Papa dedit Ordini priuilegium valde gratiosum, & solenne, In quo inter cœtera sic scribit. *Dignum* (inquit) *arbitramur, & congruum, vt vbi tanti Doctoris, & præsulis corpus tumulatum quiescere dicitur, ibi vltra id, quod sibi honoris, & laudis ab vniuersali exhibetur Ecclesia, singulari quadam reuerentia, à vobis, & Fratribus vestri Ordinis, qui sub eiusdem Patris Regula degitis & sancta obseruatione militatis, quique diuinis insistitis laudibus, vacatis orationi, intenditis exhortationi,*

De P. Gulielm. Crem. Generali.

*multum.

§ Reūnio facta sub D. Ioann. Papa xx. Anno Dñi. 1327.

Priuilegiū D. Papę de reunione.

tioni, insudatis studio, & animarũ saluti propensius inuigilatis, specialiter honoretur; quatenus inibi tamquam membra suo capiti: filij Patri: Magistro discipuli: Duci milites cohærentes, Deo, & ipsi sancto auctoritate fulti Apostolica præcordialius iubiletis: vbi, & præceptoris vestri, patris, & ducis Augustini noueritis reliquias fore sepultas.

Hæc ibi. Denique hac donatione à sede Apostolica expedita restabat difficultas de nanciscenda possessione, vt donatio suum sortiretur effectum. Et quidem licet in principio huic non modica resistentia fuerit, demum tamen opitulatione Illustrissimi Domini Ioannis Regis Bohemiæ tunc in Papia dominantis, Fratres possessionem pacificam sunt adepti. Nec mirum, si tam in donatione impetranda, quam in possessione adipiscenda grandis admodum difficultas fuerit, cum factum præter solitum cursum iuris, & rationis prima facie videretur. Et nullatenus fuisset possibile, nisi ille sic fieri disposuisset, qui sua incommutabili sapientia disponit omnia fortiter, & suauiter. quique illam naturalem inclinationem rebus indidit, vt ad suam de facili redeant originem. Quod etsi apud homines sit difficile, ei tamen totum est facile. Vnde cum iste gloriosissimus Pater Augustinus viuens inclinationem ad istos filios suos in quocunque statu existeret (vt visum est) semper habuerit singularem, & Fratres ad ipsum sicut ad verum Patrem, affectum ab olim semper gesserint filialem, hoc idem possibilitatis spem (vt ita dicam) insperatam præbuit, vt aliquando ad sui corporalis com munionis originem redirent Pater & Filij, demum in illa cælestium ciuium communione ipso Patre duce largiente Domino pariter commansuri. Potuit etiam ad facilitandum idem negotium aliqualiter suffragari, eo quod iura fauent spoliatis. Fratres autem se olim possedisse corpus illud omni veneratione nominandũ, sed paganica persecutione se eiectos, & fugatos, fuisse causabantur. Spoliatũ autem ante oĩa restituẽdũ oĩa iura clamant, & quamquam singula quæ facta sunt circa idem negotium propter antiquitatem temporis forsitan plene probabilia nõ fuerint, aliquam tamen præsumptionẽ verisimilem induxerunt. Quapropter non sine ratione sedes Apostolica moueri poterat ad assensum.

D. Ioan. bohemiæ Rex Papiæ Dñs ꝓpitiꝰ fuit Ordini ꝑ adipiscẽda possessione eorum quæ in litteris Apost. cõtinebantur. Sap. 8.

Porro ista diu affectata reunio antequam facta esset, cuidam Fratri nominato in Ordine per uisum reuelata fuit hoc modo. Videbatur enim ei quod ipse cum multis Fratribus, & melioribus personis Ordinis esset in quadam Ecclesia non nostri Ordinis, in qua erat quoddam sepulcrum eleuatum vnius sancti Magni Episcopi, sicut ex figura imaginis desuper sculptæ ostendebatur: quod quidem sepulcrum minus decenter à personis illius ecclesiæ tenebatur. Nam pulpita, & candelabra antiqua cũ pulueribus irreuerenter sup iactata apparebãt. Itaque Fratribus

Qualis visio apparuit Fratri Ordinis de reunione ꝓxime futura.

tribus in Ecclesia stantibus, & sepulcrum aspicientibus; ecce imago Episcopi visa est se eleuare, & illas scorias super se iactatas indignanter reijcere: & sic surgens Episcopus de tumulo pontificaliter indutus iuit stare ante altare, & inuitans ad se Fratres cantare cœpit: *Venite venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*, & cantauit hæc verba nota graduali, sicut Episcopi in inthronizationibus cantare solent. Quo expleto sedet ipse, & Fratres omnes ante se per ordinem sedere iussit, & tunc dulcem exhortationem velut pater suis filijs fecit: ex quo iste frater intellexit in spiritu, illum fore beatum Augustinum. Volens autem idem Antistes Fratribus amorem ostendere singularem, habebat quidem in manu sua vitrum mundũ cum potu valde claro, & pulchro, bibit ipse primo, & postea per ordinem de manu sua singulis propinauit, intonans valde dulciter, & cantans: *Aqua sapientiæ potauit eos Dominus*. Et cum peruenisset Episcopus ad Fratrem istum, bibit & ipse, fuitque potus nobilis, & dulcis inusitatum saporem habens quasi claretum antiquum; ex quo potu Frater iste totus exhilaratus fuit: & cum bibissent omnes, Episcopus benedixit eis, & sic ad sepulcrũ redire cœpit, quod videntes Fratres vnanimiter fleuerunt, dolentes de Patris recessu, ipse autem consolans eos paterne ait eis: Nolite flere filij. *Ecce enim vobiscum ero vsque ad consummationẽ seculi*. Hoc dicto Frater iste euigilauit, & inuenit os suum, linguam, & palatum de potu illo valde dulcoratum. vnde repletus stupore, & gaudio gratias egit Deo, sperans illam visionẽ non esse otiosam, sed alicuius boni pro Ordine præsagam, sicut non multo post claruit in effectu. Nam infra duos menses, vel circa, venerunt literæ certæ de curia Romana nunciantes noua, quomodo corpus beatissimi Patris nostri Augustini esset Ordini redonatum. Per omnia benedictus Deus.

Psal. 33.

Eccl. 15.

Matth. 28.

Hic est sciendum, quod quidam Frater Ordinis nostri, videlicet Fratrum eremitarum S. Augustini valde cupiens nomen illius Fratris scire, cui Deus hanc visionem ostendit, scripsit illi Patri reuerendissimo, ac deuotissimo lectori Iordano compilatori istius libri, quatenus dignaretur sibi insinuare qui fuißet ille Frater. Cui inter alia respondit in hac verba formaliter. Quod autem petitis vobis scribi, quis sit ille Frater, qui habuit istam visionem, de qua fit mentio primo lib. cap. xviij. Vitas fratrum in fine. De hoc nescio vobis aliud scribere, nisi quia peccator est, & ideo oretis dei misericordiam pro eo: Hoc vnum sciatis, quia certissime visio fuit ita sicut ibi scribitur. ex qua responsione manifeste videtur sibimet reuelatam tam mirabilem visionem hanc, & gratiosam, licet ratione humilitatis, & iactantiæ vitandæ hic omiserit exprimere nomen suum.

In antiquo exemplari ad calcem huius capitis adest hominis annotatis.

Qualiter

Qualiter sacrosancta mater Ecclesia specialiter fuerit institutrix, & auctrix huius Ordinis. Cap. XIX.

CONgregemus in vnum ea, quæ à sancta Romana Ecclesia circa istum Ordinem gesta sunt, & inueniemus eam esse veram, & immediatam huius Ordinis institutricem. Et hæc reuera est singularis prærogatiua Ordinis huius, quæ de nullo alio Ordine repetitur. Videamus igitur primo quę beatus Augustinus olim circa Fratres suos in eremo, patres nostros, egerit. Ipse primum eos vndique per eremos diuisos in vnum congregauit, & cum eis vixit: vt patet supra cap. vij. Item modũ viuendi & Regulam eis tradidit, vt infra lib. ij. cap. xiiij. Item habitum eis contulit, vt supra cap. xv. Item titulũ eis imposuit, vt supra cap. xvij. Item officium diuinum eis tribuit, vt infra lib. ij. cap. xv. Item ad officia prædicationis, & confessionis eos deputauit, vt supra cap. xvj. & hæc quidem omnia continent institutionem Ordinis. Et quis vnquam institutor aliorum Ordinum plura his in sui institutione Ordinis peregit? Sed in vno solo beatus Augustinus minus fecit, quod videlicet confirmationem sui Ordinis à sede Apostolica non impetrauit, contentus auctoritate ordinaria in diœcesi sua. Nec mirum, non enim illo adhuc tempore vsus inoleuerat sedem Apostolicam circa talia occupari; quia nulla fuit adhuc prohibitio, vel restrictio de ordinibus instituendis: sed quilibet libere Deo seruiuit sicut libuit, præsertim cum ante tempora sancti Augustini nullus adhuc Ordo regularis fuerit ab Ecclesia solenniter approbatus. De hoc infra lib. iij. cap. iij. Vnde sanctus Paulus primus eremita: sanctus Antonius, sanctus Hilarion, & cęteri Patres, de quibus in Vitaspatrum, & Collationibus Patrum scribitur, seruiebant Deo, sicut Deus illis inspirauit, & eorum quilibet suis discipulis modum viuendi dedit; nullus tamen eorum Regulam approbatam per sedem Apostolicam edidit. *Sic* & Augustinus de cautelis moderni temporis minime cogitauit. Nouissimis autem temporibus quando placitum fuit Deo Fratrum sancti Augustini dispersionem congregare, de qua supra cap. xiiij. dum peteretur Ordinis confirmatio ad instar aliorum ordinum, qui cum cautelis moderni temporis surrexerant, nec propter diuturnitatem tam longi temporis de præmissis institutionem Ordinis concernentibus per beatum Augustinum actitatum vsquequaque sedi Apostolicæ clarum esset, sed videretur in obliuionem ex lapsu tot generationum, & temporum transiuisse, licet verisimilia apparerent. Igitur sancta mater

Quę P. August. fecerit p instituendo eremitarũ suorum Ordine.

Cur D. August. nõ impet. à sede Apost. confirmationẽ Ordinis à se instituti.

Ecclesia

Ecclesia præmissa omnia per beatum Augustinum circa ordinem gesta quasi de nouo auctoritate Apostolica per semetipsam immediate iterato egit, instituit, & auctorizauit. Ipsa enim sacrosancta mater Ecclesia Fratres dispersos in vnum congregauit; quod fuit in Ordinis vnione: de qua supra cap. xiiij. Item Regulam eis tradidit, & modum profitendi eis determinauit, & constitutiones auctenticauit, vt patet ibidē, & infra lib. ij. ca. xiiij. Item habitum Fratribus specificauit, vt supra ca. xv. Itē titulū eis imposuit, vt supra ca. xvij. Item officiū diuinum eis assignauit, vt supra ca. xiiij. & infra lib. ij. ca. xv. Itē eos ad prædicationis, & confessionis officia deputauit, vt supra cap. xvj. Præterea vltra pręmissa omnia, eadem mater Ecclesia, vt euidenter facto ostenderet hunc Ordinē, vt pote sic per ipsam institutū, esse verum Ordinem sancti Augustini, & Fratres ipsius Ordinis esse filios veros, & mēbra vera eiusdē Patris, ipsos ei sicut vero Patri, ac capiti coaptauit, & reuniuit, vt supra cap. xviij. & in his omnibus eadem mater Ecclesia Ordinem ipsum confirmauit stabiliuit, & solidauit, eosque Fratres in speciales filios suos adoptauit; & à cuiuscunque alterius potestate, & iurisdictione exemit prorsus, & liberauit, vt supra cap. xvj. Quid vltra hæc quiuis alius citra Romanam Ecclesiam Ordinis cuiuslibet institutor facere posset? Immo quælibet ista posset nemo plane. Ipsa enim sacrosancta Romana Ecclesia sola est, à qua gratiæ ros spargitur, imber serotinus funditur: Omnibus spiritualiter viuentibus vita infunditur, sicut membro à capite, radio à lumine, ramo ab arbore, & riuo à fonte, & quæ in actibus suis dirigitur à spiritusancto tanquam sponsa Christi pudica, & incorrupta, quæ adulterari non potest, prout hæc probantur verbis gloriosi martyris, & doctoris [b] sancti Cypriani Episcopi, quæ leguntur xxiiij. quæst. prima. Loquitur dominus. Quod ergo ipsa sancta mater Ecclesia istum Ordinem per semetipsam quasi à fundamento instituit, magis authenticum existimo, quàm quod quicunque homo sanctus fecisset. Cū nulli dubiū esse debeat, matrē Ecclesiā regi à spiritusancto, & quicquid ab ea instituitur vel statuitur ex instinctu spiritusancti gestū, aut editū esse nullatenus dubitatur, vt probatur xxv. quæst. 1. Violatores. xxv. quæst. 1. & quæst. ij. Igitur, & L. Dist. cap. si quis Diaconus; & cap. si ille. xix. dist. sic omnes. Hæc igitur sancta communio huius Religionis potest esse illa ciuitas. i. ciuium vnitas, de qua dicitur in psalmo: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*. Gloriosa, inquam, dicta sunt de propagatione tua, quam olim habuisti à Patre, scilicet B. Augustino. Gloriosiora vero dicta sunt de institutione tua, quam habes à matre, scilicet sancta Ecclesia.

Quæ S. mater Ecclesia fecerit pro stabiliē do Ordine Fratrū eremit. S. Augustini.

Psam. 86.

AD CAP. XIX. NOTÆ.

a Deo seruiuit sicut libuit.] *Liber erat antea cuique regulariter viuendi modus. Sed quia nimia hac religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei cõfusionem inducebat, statutum est magno Lateranensi Concilio sub Innoc. iij. anno 1215. Ne quis de cætero nouam religionem institueret cap. ne nimia religios. domi. Id quod Lugdunensi deinde Concilio sub Gregorio X. est confirmatum statutumque vt in his sedis Apost. licentia expeteretur. cap. Religionum de religios. domib. in 6.*

b Sancti Cypriani.] *Locus est sane insignis, qui habetur apud S. Cyprianum tract. de vnitate Ecclesiæ.*

Quam graue sit Fratri ab hac sacra communione retrocedere. Cap. XX.



QVam[a] graue sit autem Religioso ab hac sancta communione retrocedere, apparet ex multis maledictionibus quas tales incidunt de iure communi, præter eas quæ per statuta Ordinis specialiter talibus infliguntur. Primo quidem, quia peccatum

Hæb. 10. eorum grauius est, quam aliorum: Nam minus malum est viam domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire, vt extra. De apostatis. Quidam. Secunda, quia excommunicatus est, tam à canone, si habitum dimiserit; quam ab Ordine etiamsi habitum retinuerit. Tertia, quia infamis est, saltem infamia canonica, vt vj. quæst. 1. Illi qui. Quarta, quia inhabilis est ad ecclesiastica officia, & honores. Quinta, Quia inhabilis ad regnum cœlorum obtinendum

Luc. 9. Iuxta illud in Euangelio: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno cælorum*[b].

Exemplum Frater quidam de nobili progenie secundum seculum præsumens de se, & de potentia suorum, spreta obedientia Ordinis, assumpto alio Fratre non minus insipiente, exiuit conuentum sine licentia, in habitu per regionem illam temere diuagando. Cumque in Capitulo prouinciali multi Fratres, vt fieri solet, congregati fuissent, intrauerunt & isti locum Capituli vallati potentia seculari, ne quis vel saltem dure præsumeret eis loqui. Et intrantes pertinaciter diffinitorium verba præsumptuosa plurima euomuerunt, & cùm patres ibi præsentes ad obedientiam, & humilitatem eos exhortarentur: illi tamquam equi indomiti absque fræno magis proterue recalcitrare minime timuerunt: Et sic in rebellione illa recedentes damna, & scandala plurima Ordini intulerunt. Post hæc autem

nondum

nondum elapſo anno ambulantibus illis per campos, ſubito in illum Fratrem nobilem venit ſpiritus compunctionis grandis, & commotionis tantæ, quod quaſi contremiſcere cœperunt omnia membra ſua. Quod cernens ſocius ſuus ait: Quid mali habes? At ille cum gemitu dixit: Quamdiu nos miſeri ſic vadimus errabundi? veni (inquit) mecum ſi vis: Ego iam iſta hora ibo ad quærendam gratiam Ordinis: Cui cum ille reſpondiſſet: ſe nullo modo velle ire ad carcerem, quem ſciret pro certo non poſſe euadere ſi rediret. Iſte ait: Ego in carcerem, & in mortem ire paratus ſum, tantummodo vt animam meam ſaluem. Quod audiens ille reiecto habitu Ordinis diſceſſit ab ipſo. Iſte autem retento habitu Ordinis in corpore, & alio ſuperinduto, ne videretur ſolus in habitu Religionis incedere, per iter longum, & laborioſum prouincialem ſuum quæſiuit, & tandem inuenit. Cumque veniſſet ad præſentiam meam, qui tunc illo, licet immeritus, fungebar officio, cecidit in faciem ante pedes meos. Ego autem primitus eum non agnoſcens, quia mutatus habitu, & vultu erat, dixi ei? Quis nam es tu? & quid petis? At ille, ego, inquit, ſum peccator, quem ſcitis. Peto miſericordiam Dei, & veſtram. Cui ego, & quam miſericordiam tibi facere potero? qui tam enormiter contra matrem tuam ſanctam Religionem ſæuiendo offendiſti: At ille: Illam tantum peto miſericordiam, vt locum pœnitentiæ ad emendandum peccata mea mihi miſero non denegetis. Tunc imperaui ſibi vt ſurgeret, quærens vbi eſſet ſocius ſuus, & habitus: At ille eleuans veſtem, qua de ſuper erat indutus: Ecce (inquit) habitus Ordinis quem nunquam dimiſi: Socius autem meus mecum venire noluit, narrans quomodo ipſe nutu diuino in via compunctus fuerit, & qualiter ſocius ab eo receſſit. Tunc dixi ad eum. Scias te meruiſſe carcerem; nec de hoc apud me aliquam gratiam poteris inuenire; Ad quod ille: ſi (inquit) ego carcerem expaueſcerem, huc ad vos non acceſſiſſem. Ego vero probare volens an perſeuerare vellet pulſans, iuſſi eum ad locum ſequeſtrum duci ad expectandum reſponſum. In craſtino vero ipſum perſeuerantem inueniens, impenſo ſibi abſolutionis beneficio, deſtinaui eum ad vnum conuentum bene diſtantem tradens ſibi litteram meam apertam, in qua mandaui Priori, vt iſtum Fratrem mox vt ad ipſum veniret carceri mancipare deberet, ille ad conuentum ſibi aſſignatum lætanter proficiſcens ſponte carcerem eſt ingreſſus, cuius pœnam patientiſſime ſuſtinuit vſque ad finem peryodi per Ordinem præſtitutæ. Ecce Frater iſte licet in principio receſſus ſui à ſacra communione Ordinis cum ſocio, & in habitu inceſſerit, à communione tamen Ordinis eo ipſo receſſit, quia qui ſine ſuperioris

fui licentia, & animo auerso abscessit. Nec enim ad palliationem apostasiæ suæ suffragabatur sibi delatio habitus, quem nunquam se dimisisse asseruit, quia habitus non facit monachum, sed professio & obseruantia regularis, vt extra. De regularibus capit. Porrectum. Et si forte habitus tueretur eum [b] à sententia canonis, non tamen à sententia Ordinis, vel hominis eum tuetur. Hoc vnum autem memoriale factum est de isto Fratre, quod ipse tam subito mirabiliter compunctus ab errore suo fuit conuersus: & quod statim quasi deposita lupina rabie, sicut ouis seipsum obtulit ad mactandum.

Quid faciat monachum.


AD CAP. XX. NOTÆ.

a Quam graue sit.] *Agit hoc loco B. Iordanus de apostatis. Quę verò ab ipso dicuntur generatim videtur intelligenda, siue latam, siue strictam apostatæ significationem spectemus. Cæterum de his & eorum pœnis agitur in cap. vltimo de regul. cap. quidam de apost. in cap. Vt periculosa Ne cleric. vel monac. in 6. Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. de regularib. Tabiensis Syluest. & Armill. ver. Religio. Nauarr. in cap. Non dicatis 12. quæst. 1. Ioann. Trull. de canonic. regularib. lib. 2. cap. 25. de aposta. Alfosus Casamb. in compend. priuilegio. ver. Apostata, Eycere, & Eiecti, quibus ex locis perspicere licebit, an in quocumque apostata sibi locum vendicent, quæ hic ab auctore dicuntur.*

b A sententia canonis.] *Censet Caietan. in 2. 2. quæst. 12. artic. 1. exeuntem, ac habitum retinentem, eo tamen animo, vt religiosus non sit, esse planè apostatam, & censuras omnes incurrere. Si vero talis absit animus, esse rebellem, non apostatam; Et ita intelligenda sunt quæ hic ab auctore traduntur.*

Quæ statuta Regulæ, & constitutionum Ordinis ad hanc communionem primam reducantur.

Cap. XXI.

D hanc autem communionem reducuntur omnia statuta Ordinis loquentia de ijs qui recipiuntur ad eandem communionem, & de modo receptionis, & instructionis: sicut

est illud

est illud, quod ponitur in decreto obseruantiæ regularis: *Antequam quis statuat esse in monasterio probet propositum fratrum, atque exemplum, & ipse probetur in omni conuersatione ab illo, qui prior est: & cæteris consentientibus, &c.* Item illud, quod dicitur in sermone. *De margaritis regularis institutionis: Si quis autem de seculo ad nostram congregationem venire desiderat, primo præcipio vt probetur an voluntas ex Deo sit. Non enim debet esse violenta, non concita, non mobilis, sed sempiterna virilis, constans, & omni spiritu charitatis plena, atque perfecta. Tunc ei proponatur quomodo abneget propriam voluntatem, &c.* Item illud quod præmittitur in Regula: *Primum, propter quod in vnum estis congregati vt vnanimes habitetis in domo:* Item ea quæ ponuntur in constitutionibus. cap. xvj. xvij. & xviij. Item omnia statuta, quæ loquuntur de non exeundo conuentum, vel de modo exeundi, & incedendi extra locum, sicut est illud in Regula. *Quando proceditis simul ambulate. Cum veneritis, quo itis, simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.* Item illud: *Nec eant ad balnea, siue quocumque ire necesse fuerit, minus, quàm duo vel tres. Et ille, qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quo, vel cum quibus Præpositus iusserit ire debebit.* Item in alia Regula: *Si opera monasterij mittantur Fratres vendere, solicite caueant ne quid faciant contra præceptum: & si aliquid emant ad necessitatem monasterij, soliciti, & fideliter vt serui Dei agant.* Item in constitutionibus cap. decimonono, & vigesimo. Item omnia statuta loquentia de apostatis, & abscedentibus ab Ordine: sicut est illud in Decreto obseruantiæ regularis: *Sed si contigerit, vt aliquis ex qualibet causa necessitatis à monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de ijs omnibus quæ in monasterio fuerint, siue ea, quæ cum Fratribus acquisierat, &c.* Et infra: *Et quicunque prouocatus ab aliquo de monasterio voluerit abscedere, aut redarguat prouocantem, aut indicet præposito* Et illud quod ibidem infra subditur: *Si incursio repentina ab hæreticis, aut hostilitas superuenerit, &c.* Vt supra capit. duodecimo; Et ad idem in constitutionibus cap. quadragesimosexto. Item illa statuta, quæ loquuntur de incorrigibilibus è Fratrum societate proijciendis, sicut est illud in Regula: *De emendatoria vindicta, quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter,*

In 1. Reg.

Serm. 5. ad Fratres.


2. Regula.

ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et de *eodem in Conſtitutionibus capitulo quinquageſimo.*

AD CAP. XXI. NOTÆ.

a Multa:] *Ad hoc caput ſpectantia haberi poterunt apud ſanctum Baſilium de abdicatione rerum, & de inſtitutionibus monachorum.*

FINIS LIBRI PRIMI.



VITAS FRA-

VITA SFRATRVM BEATI IORDANI DE SAXONIA ORD. FRATRVM EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI

LIBER SECVNDVS,

In quo tractatur de Spirituali Vnione Regularium.

Quomodo debeat esse Fratribus cor vnum, & anima vna in Deo. *Capue I.*



ICVT dicit Glossa super illud Act. iiij. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, &c.* Qui ita (inquit) *Viuunt, vt sint omnia communia in domino, Cœnobita vocantur: Quę vita tanto felicior est, quanto statum futuri seculi imitatur, vbi omnia communia, quia Deus est omnia in omnibus. Et quia ibi summa pax, & securitas, Ciuitas, in qua typus huius vitæ præcessit, Hierusalem idest visio pacis dicta est.* Hæc ibi. Ex quo apparet, quod Communio cœnobitica de qua nos principaliter agimus, non tam consistit in corporali cohabitatione, quàm in spirituali vnione, quæ est secunda Communio supra memorata in principio, quæ notatur in eo quod dicitur in auctoritate ibi prælibata: *Erat cor vnum, & anima vna.* Cui conforme est quod dicit B. Augustinus in Regula: *Et sit vobis cor vnum, & anima vna in Deo.* Et hæc secunda communio, scilicet spiritualis vnionis, recte sequitur ad primam, quæ fuit Communio localis cohabitationis: nec prima valet sine secunda. Oportet enim si in vnum sumus congregati corporaliter, vt simul habitemus spiritualiter. Non enim prodest si nos continet vna domus, & separat diuersa voluntas. Plus enim Deus attendit vnitatem animi, quàm loci, vt dicit Vgo in expositione Regulæ. Et ipse Pater noster

Sermone 27. ad Fratres.

noster August.in serm. De filio Prodigo; ad Fratres suos in eremo sic ait: *Cogitate Fratres ad quid venimus. Ecce in solitudine sumus, elongati sumus à seculo, & longo tēpore iam mā simus in solitudine, vt secundū Apostolicam formam * quietius viuere valeamus, locus enim non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit, & nos. Peccauit enim Angelus in cælo; peccauit Adam in paradiso, & nullus locus sanctior illo erat. Si enim loca habitatorem * tueri poßent, nec homo, nec Angelus a dignitate sua corruissent.* Hæc Augustinus. Vnde etiam sicut dicitur in Collationibus Patrum: Collatione Abbatis Ioseph. Illud, quod in psalmo scribitur: *Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare Fratres in vnum,* Non debet intelligi localiter, sed mentaliter. Nihil enim prodest, si moribus, ac proposito dissidentes vna habitatione iungamur, quia apud Deum solum coniungit morū cohabitatio, non autem * vnica mansio locorum. Qualiter autem diuersimode accipiantur hæc duo, cor, & anima: An forte pro eodem stent, velut synonima, perscrutandum est. Et quidem super illo verbo Matth. xxij. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Diuersi Doctores cor & animam diuersimode diuersificant, licet Gregorius dicat ibi esse per omnia inculcationem verborum. Sed quoniam in præsenti negotio intentionem beati Augustini per omnia prosequi intendo, quantum apparet ex intentione Augustini, per cor vnum intelligitur vnanimitas voluntatis; per animam vnam, vniformitas vitæ, seu vna forma viuendi, secundum quod ipse Pater Augustinus innuit, immo expresse dicit in quodam sermone. *De pace,* vbi de hac materia loquens sic ait: *O quam bonum, & quàm iucundum, O quàm diuinum est habitare Fratres in vnum, vt vnum sit cor, vna voluntas, vna omnium anima, & vna forma viuendi.* Hæc ille. Ad idem facit auctoritas Augustini super psalmo proposito infra eodem lib. cap. xij. *Et hic est rectus Ordo viuendi vt sit voluntas vna, deinde concors vita.* Vt dicit Vgo. Quod autem per cor conuenienter voluntas accipiatur, patet: Nam sicut cor corporale est principium omnium motuum corporalium, ita & voluntas est principium omnium motuum spiritualium. Vnde 1. Reg. xiij. Samuel loquens de Dauid ait: *Quæsiuit sibi Dominus virum secudum cor suum.* idest secundum voluntatem suam, & sapientia increata ait Prouerb. xxiij. *Fili da mihi cor tuum.* idest, voluntatem tuam. Hæc autem vnanimitas voluntatum est valde necessaria in cœnobitica congregatione viuentibus; quia vt dicit Vgo in expositione Regulæ: si ego volo facere voluntantem meam, & iste suam, & ille suam, fiunt diuisiones, oriuntur lites, iræ quoque, & rixæ, quæ sunt opera carnis, quæ non decent viros Religiosos, qui per ingressum Religionis spoliauerunt se

propria

Marginalia: * Remoti⁹. | * Beate. | Collat. 16. ca. 3. psal. 132. | * vnita | Serm. 2. ad Fratres: | * Prębe

propria voluntate, imitantes illum, qui ait: *Non veni facere voluntatem meam*. Tunc enim nobis cor vnum est in Deo, quando quisque nostrum non suam, sed alterius volũtatem studet facere in bono propter Deum, vel secundum conformitatem voluntatis Dei. Inde generatur obedientia, crescit charitas, humilitas, atque iustitia, & cæteræ virtutes, sicut pax concordia, correptio fraterna, patientia &c. De quibus per ordinem differetur. Quod verò per animam vita conuenienter intelligatur, patet. Est enim anima qua primo viuimus secundum Philosophum. Illi ergo dicuntur habere animam vnam, quorum est vita vna, idest vna viuendi forma, & hanc vnionem animæ dilectio conglutinat. Vnde de Ionatha legitur 1. Regum xviij. quod anima sua conglutinata erat animæ Dauid. Et Augustinus de quodam amico suo ait iiij. Confess. Dimidium animæ meæ. Si quidem Deum diligimus ex tota anima nostra, & proximum nostrum sicut nos, profectò anima vnius ita conglutinatur animæ alterius, vt quasi ab vna anima fluat in nos vna vita. i. vna viuendi forma. Vbi vero in aliqua cõgregatione ego volo ducere vnam vitam, iste aliam: & ille aliam; ibi diuisæ sunt animæ, diuisi mores, & cæremoniæ, diuisæ vitæ, & diuersi modi viuendi. Tales etsi congregati sunt in vna domo secundam primam communionem, non tamen sunt vnius moris in domo, quod pertinet ad secundã Communionem. Non illis est anima vna, sed quot supposita, tot animę: quot capita, tot sententiæ: quot homines, tot mores: quot animę tot vitę, quot vitæ tot viuendi modi, vel formę. Non est hæc vita Apostolica, sed vita Babilonica. Non hęc Augustini Regula, sed confusio anomala. non Ordo, sed horror. Vnde beatus Augustinus in quodam sermone: *De margaritis regularis institutionis*: pręcipue hortatur Fratres ad communionem spiritualis vnionis dicens: *Fratres dilectissimi commorantibus in eremo in nomine Dei nostri placeat secundum Apostolicam vitam vnum sentire, & communiter viuere. In hac autem vita permaneamus, & nos ipsos in ipsa Deo auxiliante fortiter teneamus.*


Ioann. 6.

Arist. 2. de anima.

lib. 4. Confess. cap. 6.

Serm. 1. ad Fratres.

De obedientia. Cap. II.



PRima igitur virtus, quæ secundum Vgonem ex vnione cordis generatur est obedientia, quę bene dicitur prima; quia, sicut dicit Augustinus in quodam sermone; Nihil sic Deo placet in Religioso quemadmodum obedientia. Nam vna obedientia plus valet, quàm omnes virtutes. Hanc idem Pater nobis pręcipit in Regula, vbi dicit: *Prapositio tanquam Patri obediatur*

To. 9. sermone de obedientia & humilitate.

obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit? Vbi nomine Prępositi intelligit Pręlatum, vel rectorum immediatum sub alio superiore pręlato monasterio pręstitutum, prout ipsemet exponit in quodam sermone, vbi sic dicit: *Quamuis omnes qui præsunt, præpositi rite dicantur, vsus tamen obtinuit eos vocari præpositos, qui quãdam prioratus curam sub alijs Prælatis gerunt, & isti apud nos vocantur Priores.* Et hoc congruenter recipitur ab eo quod dicit ibi Augustinus: *Prioratus curam.* Illi enim qui prioratus curam gerunt recte Priores vocantur. Item in Decreto obseruantię regularis, ipse appellat Pręlatum immediatum, Priorem loquens de nouitijs: *Probetur* (inquit) *in omni conuersatione sua ab illo qui prior est.* Nomine vero Presbyteri intelligit sacerdotem illum, cui cura animarum eorum generaliter incumbit, & talis in primitiua institutione Ordinis fuit Episcopus. Vnde etiam Episcopi olim dicebantur præsbyteri, vt capit. Olim Dist.xcv. Vnde patet, quod Ordo iste primitus institutus fuit sub ordinario regimine Episcopi, qui sub se habuit præponere fratribus vnum Priorem claustralem, qui exinde dicebatur prępositus adiectiue, quia alijs erat præpositus, Qui Prior potuit etiam esse laicus. Nec mirum si tunc temporis laicus potuit esse Prior, Cum & Abbates illo tempore potuerunt esse laici, vt cap. A subdiacono Dist. xciij. & cap. Generaliter xvj. quæst. 1. Immo etiam hodie potest esse Abbas quis irregularis in minoribus Ordinibus constitutus, qui etiam non possit ascendere ad Ordines superiores: vt extra De ætate, & qualit. Ord. cap. Tuam in domino. Vel etiam Augustinus potuit præponere eis de Sacerdotibus eiusdem Collegij canonicè electum, quod magis est verisimile. & illi committere de cura quantum sibi placuerit, quia tam sacerdotes, quàm laicos habebat in illo monasterio. Et tunc Præpositus habebat curam de communibus, Sed Presbyter de maioribus. Quod enim habuerit aliquos sacerdotes, patet, quia habuit ibi Euodium, Nebridium, Pontianum, & Alipium, quorum aliqui postea Episcopi facti sunt. De laicis etiam patet, quia multi eorum quos congregauerat per nemora laici, & sancti simplices erant, quos etiam docuit, quomodo deberent dicere Pater noster, vt patet in sermone De Oratione. Et hoc in statu Ordinis primitiuo. Hodiè vero cum Ordo sit à iurisdictione Episcoporum exemptus, in locum Presbyteri succedunt Priores prouinciales; & maxime ipse Prior generalis, qui solus omnium nostrum curam gerit. In Congregatione vero Canonicorũ regularium, vel Premonstratensium, vbi est Abbas, ipse intelligitur nomine Presbyteri. Vbi vero non est Abbas, tunc Episcopus nomine Presbyteri disignatur. Igitur obedire Pręposítis nostris iubemur à sancto Patre, & Pręceptore nostro Augustino.

Regula 1

Presbyteri nomine quis intelligatur.

Serm. 21. ad Fratres.

profitendæ obedientiæ ratio.

gustino. Vnde & obedientiam profitemur, quia non confidimus nobismetipsis, vt præsumamus nos scire, quid dominus velit à nobis; ideo commisimus nos superiori nostro, vt nos regat: Et dedimus manum nostram in professione sibi, vt ipse nos ducat in viam Dei. Vnde non licet nos amodo viuere pro velle nostro, sed quo ductor noster ire nos iubet, illuc statim debemus ire; & quod ipse prohibet debemus cauere: Nos enim dedimus nos ei propter Deum, & propter regnum cœlorum: & iam non sumus nostri, sed eius, cui nos vendidimus. & ideo nihil nobis licere agere de nobis sine eius voluntate: ipse enim dominus est nostræ voluntatis: Et quia contrectatio rei alienę inuito domino furtum est, Fur autem non appropriat cœlo, caueat sibi Frater ne quid velit contra velle, nec etiam præter velle superioris; Nec extimet quis leue præceptum Præpositi, vel Præsbyteri tamquã ab homine factum, ac per hoc non necessario obediendũ: dicitur enim in Regula beati Benedicti; quod obedientia; quæ maioribus debetur, Deo exhibetur. Super quo dicit beatus Bernardus in libro de dispensatione, & præcepto: *Quicquid vice Dei à maiore præcipitur, haud secus accipiendum, quàm si Deus præcipiat. quid enim interest vtrum per se an per alios ministros, siue homines siue Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum? Nec dicat quis, quod loquitur de his, quæ tradit scriptura, vel ratio manifestat, Quia de his non est præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus. Sed quod ita latens & obscurum esse cognoscitur, vt dubium sit, an Deus sic, vel aliter forte velit, dummodo homini non sit certum Deo displicere, in talibus obediendum est superiori, ac si à Deo præcipiatur.* Hæc Bernardus. Sic ergo in omni sua actione sit dispositus Frater quilibet, vt veraciter superiori suo dicat illud verbum, quod ipse filius Dei factus obediens vsque ad mortem dicebat Patri: *Pater mi non sicut ego volo, sed sicut tu.* Non sic dicunt, nec faciunt, qui malunt habere Prælatos, qui faciant eorum voluntates, quàm econtrario, dicentes saltem in corde suo: Pater, non sicut tu, sed sicut ego: Tales sunt similes illi cœco, cui dixit dominus: *Quid vis vt faciam tibi?* Matth. viij. Super quo verbo ait Gregorius in sermone, quod tales sunt multi, à quibus magis oportet, quod superior quærat, quid velint quod fiat eis, quàm econtrario. Vnde in Vitaspatrum narratur, de quodam qui venit ad quendam Abbatem, dicens: Vellem habere Abbatem iuxta voluntatem meam, & morari cum eo. Cui respondit Abbas: Tu quæris Abbatem, non vt sequaris eius voluntatem, sed vt ille sequatur tuam. Quod ille audiens ait: Ignosce mihi, quia gloriabar, æstimans me bene dicere, cum nihil * timerem. Audiui à quodam Fratre valente, & multum Religioso se habuisse filium confessionis, qui dicebat.

Subditus caueat ne quid velit contra, vel pręter voluntatem Pręlati.

In Reg. S. Bendicti cap. 5.

B. Bern. in De dispensat. & pręcep.

Matth. 26.

Vitaspat. par. 2. De discretione.

dicebat: se quadam vice à quodam spiritu, raptum, & ductum ante locum vbi cruciătur damnati: & cum videret inter alios vnam personam plus cœteris horrendissime cruciari, interrogauit iste à ductore suo, quid illa persona peccasset, quòd tam sæuissime tormentaretur? Cui ille dixit: Interroga ab eamet, & respondebit tibi: Et cum iste quæsiuisset ab ea, quare, & qualiter ad hunc tantorum tormentorum locum venisset: Respondit illa: Ego fui mulier pulcherima de mundo, & multis fui occasio multorum malorum prę̨ter peccata, quæ in proprio corpore nefandissime perpetraui. Quę̨rente autem isto; Quomodo ad hoc perducta esset, vt ita abuteretur pulchritudine quæ fuit donum Dei. Illa respondit: Ex desidia, & ex nimia condescensione confessoris mei hoc habui, qui nimis dimisit mihi voluntatem meam. Sic timendum est, quod accidat aliquibus Fratribus, qui volunt habere Prælatos, qui sequantur voluntatem eorum. Sed sciendum quod sicut ait Anselmus in libro De similitudinibus: Tria sunt secundum gradus scilicet obedientia, & inobedientia, quæ sunt contraria vel extrema; & licentia, quæ est inter eas quasi media, quæ quidem multos decipit, prout ait ibidem ponens exemplum de ancilla, quę est media inter dominam, & latronam. Hæc enim ancilla est sub domina sua, & non contrariatur ei sicut latrona, ac per hoc tenet medium inter illas, in multis tamen decipit dominam, procurat enim exire fingendo causas multiplices, & nisi obtineat licentiam intermittit opus, prętendit quod sit infirma, contristatur, occulte detrahit, & sic de alijs, vt ibi. Sic licentia quandoque mendacijs procurata, vel extorta etsi non contrarietur obedientię, sicut inobedientia, vel rebellio, sępe tamen molesta est, & detrahit veræ obedientię, & deficit ab eius merito atque fructu. Immo plerumque nihil valet, vt xxxiij. quęst.v. cap.ij. & extra De electione cap. Quorundam lib.vj. Quidam Frater solitus sępe discurrere per ciuitatem restrictus est à priore suo, ita quod nisi in casu necessitatis deberet exire conuentum; sed iste tot causas necessitatis finxit, nunc prętendendo se vocatum ad infirmum; nunc ire ad emendum pergamena, nunc candelas; nunc hęc, nunc illa, quę videbantur necessaria, & proficua; sed sub clamide talis licentię, iuit ad alia loca sibi placita, & sic illusit Priori; nunquam tamē sine licentia iuit. Hic Frater quadam die transiens vbi erat homo arreptus à dęmone, qui grauiter torquebatur, rogatus ab incolis loci vt accederet, & per orationes, & coniurationes suas dęmonem expelleret, non valens resistere petentibus, venit ad illum. Et cum legisset initium sancti Euangelij secundum Ioannem, & alia, quę sibi legenda videbantur; subiunxit. Pręcipio tibi in virtute sanctę obedientię, vt exeas vasculum

B. Ansel. in lib. De similitud.

illud.

istud. Tunc Dęmon de corpore possesso respondit: Quid tu mihi habes pręcipere in virtute sanctæ obdientię, qui nunquam verè obediens fuisti? ille vero Frater verecundatus, & confusus abscessit. Quod si iste verus obediens fuisset superioribus suis, certe illud dęmonium obedisset ei sicut dęmones, & insensibiles creaturę obedierunt Fratribus illis, de quibus infra proximo cap. enarratur. Caueat autem sibi Frater quilibet, si merito obedientię fraudari noluerit, ne detrahat Pręlatis suis, nec libenter audiat detrahere eis; quia Deus specialiter hoc vitium punit, vt patet in Cam qui verenda patris sui nudauit, & in hoc sibi maledictionem irremediabilem acquisiuit. Credat, & pro certo habeat Frater; quod Deus inspirauit Pręlato suo quicquid ei iusserit, quod totum sit ad salutem animę suę, sicut docuit beatus Hieronymus Rusticum monachum. *Præpositum* (inquit) *monasterij timeas vt dominum; diligas vt patrem, putes tibi salutare quicquid ille præcipit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse: Audi Israel, & tace.* Hęc Hieronymus. Sic fecit quidam bonus iuuenis Frater, quem cum Prior suus multis iussionibus vexasset, & ille omnia iussa infatigabiliter adimpleret: interrogauit eum Prior: An non de tot, & tam varijs iniunctionibus fatigaretur: At ille hilariter respondit: Pater, si non fatigat vos pręcipere, nec me fatigabit parere.

Admonentur murmurantes de pręlatis suis.

Gen. 9.

Subditus iussu à Prelato qd sibi psuadere debeat.

To. Ep. 4.

AD CAP. II. NOTÆ.

a Nam vna obedientia plus valet.] *Obedientiæ vim & laudes fusius prosequitur sanctus Basilius de constitutio. monastic. cap. 23. & in regul. fusiorib. interr. 41. Ioann. Cassian. de institu. Patr. cap. 10. & cap. 23. & seqq. Ea verò quam sit de substantia religionis videndus est sanctus Tho. 2. 2. quæst. 186. art. 5. & 8. Syluest. vers. Religio. 6. §. 6. Robertus Episcopus Arbericens. de tuendo cęlibatu To. 2. Laurent. Iustin. lib. de discipl. monasti. cap. 7.*

b Potuerint esse laici.] *Monachi olim ad clericatum non assumebantur ne monasticum cogerentur deserere institutum, vt est in 2. Tom. Epist. sancti Hieronym. epist. 60. quæ. est S. Epiphanij ad Ioan. Hierosolym. imò clericatum fugiendum vt ambitiosum monachis præcepit S. Basil. de Constit. monast. cap. 10. Sed tum in Ecclesiam conueniebant alienam, vt sacramentum perciperent, vel alienum aduocabant sacerdotem, ut ibidem docet sanctus Epiphanius. Propterea Parocho suberant. capit. A subdiacono. 93. dist. cap. Generaliter 16. quæst. 1. Quapropter vt hac se molestia liberarent, cæptum est, vt aliqui ex monachis presbyter ordinarentur, quibus tamen non ad alienas Ecclesias accedere, sed in*


coetu

coetu tantum suo sacramenta ministrare cõcedebatur, vt licet colligere, ex sancto Hieronymo ad Rusticum monachum epist.4. & epist. 1. Syricij Papæ ad Himerium cap.13. aliisque pluribus locis, qui passim citantur à Gratiano 16.quæst.1. Quinimo cum Ioannes Episcopus Urbis veteris id prohibuisset, reprehensus est à sancto Gregorio lib.1.epist.12.cap. Agapitus eod. c. & quæst. quod & Bonifacius etiam Papa statuit, qui quartus fuit à B. Gregorio Pontifex, vt ibid. habetur in cap. sunt nonnulli. Id quod explicat latius Marsil. Archiepiscopus Salernit. vir eruditiss. de Ecclesiast.redd.orig. & iu.par.1.c.7.num.17. Et idcirco Abbates erant laici, imò non poterant esse clerici nisi à temporibus Leonis primi Imp. ann. Domini 440.

c Cap. Tuam in Dño.] *Intellige id esse verũ in casu necessitatis & ex dispensatione Papæ, vt declarat glos. in d. cap. Tuam, & Panor. col. fi. Aliqui enim hodie sacerdotes esse debent cap. 1. de ætate & qualitate & benedici ca.1. eod.tit.in 6. vt possint minores ordines conferre cap.cum contingat eod. tit. vt censent Hosti. & Panorm in locis citatis.*

d Episcopus nomine presbyteri designatur.] *Fuit aliquando promiscuum Episc. & presbyteri nomen, ob communem curam rerum Ecclesiasticarum, vt docet sanctus Hieronym. epist. ad Euagrium. in quem sensum adducit cap.1. epist. ad Philippen. & act.20. Sed & ab ipsis Ecclesiæ incunabulis distincti sunt Episcopi à presbyteris. S. Ignat. epist. ad Trallianos & Magnesianos. B. Clem. lib. 2. Apostolica. constitutio. cap. 26. & 28. sanctus Hieronymus Epist. ad Oleanum. sanctus Augustinus Epist.19. Concil.Trid. sess. 23. cap.4. Porro hæresis fuit AErianorum, vt testatur sanctus Augustinus de hæres. c. 53. qua aßerebant nullum esse inter Episcopum & presbyterum discrimen. Viden. Demochares lib. 3. de sacrif. Missæ.*

De virtute & efficacia, fructuque veræ & sanctæ obedientiæ. Cap. III.



Vantę [a] autem virtutis & efficacię sit sancta obedientia in Religiosis, patet ex multis exemplis antiquorum. Legitur enim in Vitaspatrum de quodam Fratre valde voluntario, & prompto ad obedientiam, quem cum Abbas suus mitteret ad afferendum fimum boum in quodam loco vbi erat quędam lęena, & iste diceret: Pater, audiui à multis, quia in illo loco mala bestia leæna est; Tunc dixit ei Abbas quasi ioculariter: si venerit super te tene, & alliga

In Vitasp. li. De obedienza.

cam, &

eam, & adduc eam tecum. Cum autem Frater venisset ad locum, statim egressa leæna irruit super eum, ille autem comprehendens tenere eam voluit, illa vero se excutiens, de manibus eius aufugit: sequebatur autem ille dicens: Ne moueas te, quoniam Abbas meus præcepit mihi, vt alligem te,& perducam te ad eum; & statim stetit, & tenens eam reuertebatur ad monasterium: Quod cum videret Abbas admiratus est valde, gratias agens Deo. volens autem humiliare discipulum ne extolleret se in cogitationibus suis ait ei, sicut tu es insensatus, ita etiam istam insensatam bestiam adduxisti: solue ergo, & dimitte eam, vt pergat ad locum suum.

Item ibidem de quodam alio, quem cum misisset Abbas suus ad hauriendam aquam longius, oblitus est tollere funem; cumque venisset ad puteum contristatus est valde, nesciens quid ageret. Tunc prosternens se cum lacrymis orando ait: Domine miserere mei propter seruum tuum, qui me misit: & surgens exclamauit dicens. O putee misit me Abbas meus, vt hauriam aquam ex te; & statim aqua ascendit vsque ad os putei, & cum suam lagenam implesset Frater abscessit glorificans Deum, & aqua putei reuersa est in locum suum. Exemplū.

Item de quodam Fratre, quem volens Abbas suus exercitare, ne quando otiosus esset, præcepit ei rigare virgam aridam, qui per duo milliaria proprijs humeris aquam portauit; quæ virga ex virtute obedientiæ tertio anno floruit, & fructum protulit, qui vocatus est fructus obedientiæ, quam arbusculam sanctus Seuerus in suo Dialogo dicit se vidisse. Exemplū. Vitasp.parte.2. §.27.

Item, de quodam alio Fratre, quem cum Abbas suus misisset per obedientiam ad vicum pro negotio suo: ille autem timeret illuc ire, ne forte per aspectum alicuius fœminæ scandalizaretur, dixit ei Abbas. Orabo Deum vt protegat te ab omni tentatione. Cum autem venisset ad vicum pulsauit ad domum, vbi negotium referre habebat; & cum in domo non esset nisi vna iuuencula, aperiens ostium inuitauit Fratrem vt intraret donec pater suus adueniret: Isto non acquiescente, illa traxit eum, & præualuit. Iste videns, quod ad peccatum traheretur ingemuit, & clamauit ad Deum dicens: Domine, propter orationem eius, qui me misit, salua me in hac hora. Et cum hoc dixisset, subito inuentus est iuxta monasterium suum,& reuersus est Frater ad Patrem sine macula. Exemplū. Vitasp.parte.3. c.12. Exemplū.

Item de beato Paulo vocato simplice discipulo beati Antonij: cuius obedientiam beatus Antonius probare volens, iussit eum stare ante fores cellulæ suæ,& orare donec ipse egrederetur. Quod fecit ille per diē, Exēp.Pauli Siplicis. Vitaspatrū par. 1.

& no-

& noctem stans immobilis in loco, & orans.

Alia vice cum idem in congregatione Fratrũ aliquod absurde quæreret, beatus Antonius blando nutu eum silere, & abire iubet. Et ille accedens ad cellulam suam per multos dies silentium tenuit, donec sanctus præciperet sibi loqui: & tamen beatus Antonius inaduertenter illud verbum sibi dixerat. Huic ad probandam perfecte obedientiá præcepit quæ nec ratio, nec causa posceret: sicut haurire aquam de puteo tota die, & in terram fundere, sportellas contextas resoluere, & denuo texere: vestimenta dissuere, & iterum suere, & pluribus talibus exercitijs eum probabat. Sed ipse in nullo prorsus contradicens promptissimo affectu omnia peragebat: & ita per hæc omnia in breui ad tantam perfectionem venit, vt maiora miracula faceret, quàm ipse sanctus Antonius: Ita quod propter perfectissimam obedientiam suá, etiam ipse Deum sibi quodammodo obedire coegit. Quadam enim die, cum quidam dęmoniacus adductus fuisset ad eum, nec celer curationis eius sequeretur effectus, quasi infantum more indignatus ait ad dominum: Vere non manducabo hodie, si eum non curaueris, & statim curatus est.

Vitaspatrũ par. 2. lib. De obed.

Item de alio Fratre, qui merito obedientiæ mortuum in via suscitauit.

Item Seuerus in suo dialogo narrat de obedientia cuiusdam, qui promisit omnem obedientiam Abbati; & quod in ignem ire non recusaret, si Abbas imperaret: cui cum causa probandi eum Abbas iussisset intrare clibanum; ille non distulit; & flamma cessit ei sicut tribus pueris hebræis.

Vitaspatrũ par. 3. cap. 11.

Dan. 3.

Item Ioan. Cassianus in institutis Patrum refert de Abbate Mutio, quod ipse ad præceptum Patris monasterij proprium filium suum paruulum proijcere non dubitauit, & fecisset, nisi puer quodammodo ex industria de aluco ereptus fuisset: in quo eum opus Abrahæ fecisse reuelatum est seniori.

De Instit. Pat. lib. 4. cap. 29.

Gen. 22.

Item, In collationibus Patrum, de Fratre nobili cui dixit senex: vt decem sportas per plateas super humeros deferret ad vendendum, & vt diutius in hoc officio teneretur, non simul vni, sed sigillatim venderet, quod ille deuotus impleuit.

Item, est exemplum de beato Mauro discipulo beati Benedicti, qui vocatus à beato Benedicto cucurrit super aquam; nec sciuit aquam: Quod sanctus vir Benedictus, non suis meritis, sed obedientiæ discipuli sui imputauit, vt primo Dialog. cap. vij. ait Gregorius.

Item modernis temporibus de quodá Fratre nostro, cuius obedientiam Prior suus probare volens, cum esset magna pluuia, iussit

eum sta-

eum ſtare ſub ſtilla canalis donec eum reuocaret, quod obedienter fecit.

Item de quodam Fratre canapario, qui cum extraheret vinum de vegete, vocatus à Priore ſuo, mox venit ad eum dimiſſa amphora ante vegetem, & retento ducillo in manu; Quod cum Prior cerneret, ſuſpicatus effuſionem vini, & intrans cellarium inuenit foramen quidẽ vegetis apertum, ſed vinum ſtetiſſe, & non effluxiſſe, cum tamen in vegete ſatis eſſet de vino: de quo Prior valde miratus aſcripſit miraculum hoc obedientiæ promptæ Fratris. Exemplũ.

Item de beato Nicolao de Tolentino fertur, quod cum ſemel grauiter infirmatus eſſet, ita vt Fratres de vita eius dubitarent, vocatus medicus iuſſit eum carnes comedere, quod ipſe recuſauit donec Prior generalis, qui erat in loco, hoc ſibi præcepit. Tunc anguſtiatus vir ſanctus vocato Priore loci dicit ei: Generali omnino eſt obediendum; hoc eſt enim quod promiſi: hocque Saluatori meo, ſuæque ſanctiſſimę genitrici, & beato Auguſtino primo obtuli; & vſque ad mortem ſeruare cupiui: Cum ergo Prior, & infirmarius carnes ſibi offerrent co medendas, ipſe omnino volens obedire, accepta parua particula ſemel tantum guſtauit de carnibus dicens: Ecce obediui, me amplius de vitio gulæ moleſtare nolite. quia melioris medici adhæſi conſilio, & extunc celeriter eſt ſanatus; Quod certe, non eſui tantillæ carnis, ſed medicamini cœleſtis medici, & merito obedientiæ aſcribebatur. Et fertur de eodem, quod cum quadam vice, in infirmitate ſua vna perdix aſſata ad manducandum ſibi fuiſſet appoſita; & ipſe comedere de ea recuſaſſet, præceptum fuit ſibi à Priore per obedientiam; vt manum poneret ad manducandum: At ille nolens non obedire ingemuit & eleuatis oculis in cœlum, facto Crucis ſigno manum ad perdicem poſuit, & ecce perdix reuiuiſcens protinus euolauit. De S. Nic. de Tolent. S. Nicol. de Tol. perdicẽ coctam ſuſcitauit.

Item de Fratre alio valde prompto, ac voluntario ad ſingulas obedientias ſuperiorum ſuorum, qui cum eſſet præparatus ad dicendam Miſſam, ranę quę multę erant in loco illo in tantum vociferarent, quod per eas Fratres in deuotione ſua non parum impediebantur: Dixit ergo Prior Fratri iſti quaſi iocu lariter: Vade, dic illis beſtijs, vt teneant ſilentium: At Frater iſte vadens ad locum fluuialem vbi ranæ erant, & facto ſigno Crucis dixit hæc verba. In nomine domini Ieſu Chriſti præcipio vobis vt taceatis: & ex tunc non eſt auditus clamor huiuſcemodi ranarum in loco illo.

Item de alio Fratre in omni obedientia bene, & diu exercitato, qui quendam hominem à pluribus dęmonibus obſeſſum liberauit coram vniuerſo populo in eccleſia propter hoc congregato. Cum enim le- Exẽplum.

ctis sanctis Euangelijs, & alijs orationibus sanctis præciperet eis per sanctam obedientiam Domini N. Iesu Christi vt exirent corpus illud, & nunquam alicui homini nocerent: Dæmones contremiscentes ad Fratris obedientiam cum magno strepitu exiuerunt, & fœtorem intolerabilem post se reliquerunt. propter quod populus Fratrem illum multum venerari cœpit. Sed ipse inanem gloriam fugiens de terra illa recessit. Colligimus ergo ex his omnibus exemplis quanta sit virtus obedientiæ, quæ leænam ferocissimam domauit: aquã putei ascendere sursum fecit: Virgam aridam fructificauit: Fratrem subito de loco, ad locum transuexit, & a fornicatione præseruauit. Ipsum Deum ad expulsionem dęmonis compulit. Mortuos suscitauit. Flammam ignis cedere coegit. Affectum naturalem patris ad filium ligauit, & puerum à demersione præseruauit. Superbiam in nobili humiliauit, & Fratrem super aquas ambulare fecit. Imbricidium supportauit, vinum ne flueret conseruauit. Fratrem de infirmitate sanauit. Perdicem assatum reuiuiscere fecit. Ranis silentium imposuit. Dęmones de obsessis corporibus expulit: item lampadem fractam reintegrauit. Et saxum immensum de loco transtulit, vt infra cap. proximo per Gregorium. Ecce quanta est virtus obedientiæ, quæ naturis rerum sic multipliciter imperauit. Nec mirum, quia ipsa secundum Augustinum, & ipsum factorem creaturarum omnium filiũ Dei de cœlo in terram traxit, quem etiam in cruce clauis affixit, &, vt dicit Bernardus, In tantum ipse Dei filius dilexit obedientiam, vt citius daret vitam quàm perderet obedientiam. De hac sacra obedientia legitur in Vitaspatrum, quod quidã sanctus Pater vidit quatuor Ordines in Cœlo, Primus erat hominum infirmorum gratias Deo agentium. Secundus hospitalitatem sectantium, & instanter ministrantium. Tertius in solitudine conuersantium Quartus, eorum qui ad obedientiam spiritualibus Patribus se subijciunt propter Deum. Et iste quartus Ordo tanquam aureus videbatur, & maiorem quam alij gloriam habebant, & dixit hic Pater ei, qui hoc ostendebat; Quomodo iste Ordo, qui paruus est, maiorem quàm alij habet gloriam? At ille respondit: Quia, qui hospitalitatem sectantur secundum propriam voluntatem idipsum faciunt, similiter, qui in eremo se religant, arbitrio suo de seculo recesserunt: hic autem Ordo, qui se ad obedientiam dedit, omnes voluntates suas abijciens pẽdet à Deo & à iussione Patris spiritualis, & propterea maiorem gloriam alijs habet, *Quapropter*, inquit iste Pater, *O fili bona est obedientia, quæ propter Deum fit. Intendite igitur filij virtutis huius aliquod ex parte vestigium, quia obedientia salus est omnium fidelium, genitrix virtutum Cælos aperiens, homines de terra eleuans, cohabitatrix Angelorum, cibus om-*

Obedientiæ efficacia.

Serm. 5. ad Fratres.

In Vitasp. part. 2. S. 121. & lib. De obed.

Vitaspat. par. 2. in. li. De obed.

bus om-

bus omnium ſanctorum : Ex hac enim multi ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem venerunt. Cum ergo tantæ virtutis ſit ſancta obedientia, penſet Frater quantum delinquat, qui hoc, quod ſibi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur facere negligit, vel contemnit. Talis enim peior eſt dæmone, qui obedienti homini obediuit. Vnde Frater Ioan. de Viterbio vltra centum annorum ſenex, qui circiter octoginta annis irreprehenſibiliter vixerat, cum ageret in extremis interrogatus à Fratribus me præſente; quod eis verbum ſalutare pro teſtamento relinqueret: Reſpondit; *Obedientiam*.

Dæmones obediũt homini obedienti.

F. Ioan. de Viterbio.

AD CAP. III. NOTÆ.

a Quantæ autem virtutis.] *S. Greg. lib 35. moral. cap. 21. Hæc vero obedientiæ virtus emicuit in veteris, & noui teſtamenti Patribus, illuſtreſque præcipue redidit ſodalitates ſancti Baſilij in Græcia, ſancti Hieronymi in Paleſtina, S. Auguſtini in Africa, S. Benedicti in Italia, S. Martini in Gallia, S. Dominici in Hyſpania, S. Franciſci in Aſſiſio, cæteriſque omnibus partibus*.

b Item Seuerus.] *Is eſt Seuerus Sulpitius lib. 3. de vita B. Martini, vbi agit de virtutibus Orientalium monachorum : plura etiam obedientiæ exempla habentur apud Andr. Eborenſē. To. 2. exemplo. tit. de obedientia*.

De beneuolentia Prælatorum erga ſubditos. Cap. IIII.

Sicut autem ſubditus voluntatem ſuam Prælato ſubijcit per obedientiam, ita viceuerſa Prælatus debet condeſcendere ſubditis per beneuolentiam. Vnde beatus Auguſtinus cum dixiſſet in Regula: *Honore coram vobis prælatus ſit vobis*: ſtatim ſubdit: *Timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris*, & iterum: *Ipſe vero: qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet* a *poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem*. Officium enim prælationis in ordine non eſt officium poteſtatis, ſed charitatis; non honoris, ſed oneris: non dominij ſed ſeruitij, exemplum in ipſo vero paſtore, & prælato, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: *Ego* (inquit) *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*. Sic & Apoſtolus Paulus, *Cum eſſem* (inquit) *liber omnium, me ſeruum feci*. Huiuſmodi autem prælatorum ſeruitus duplex eſt, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis. Temporalem quidem ſeruitutem inter-

Luc. 22.
1. cor. 9

dum, & in casu expedit subditis impendere, sed non semper. Vnde & dominus noster semel legitur lauisse pedes discipulorum suorum, in casu illo, videlicet quando volebat separari ab eis, & relinquere eis exemplum humilitatis pro vltimo valete. Item beatus Martinus legitur interdum calciamenta famulo suo extraxisse, non quod semper, & in omnibus sibi seruiret, nisi secundum præparationem animi. Similiter & magister Henricus de Vrimaria, de quo infra commemorabitur, socio suo, seu Fratri seruienti sibi reseruire consueuit in cingendo cappá, & aliquibus humilibus exhibitionibus, ipse tamen statum suum tenuit magistralem. Sic igitur in talibus seruitijs corporalibus plerumque conuenit Prælatos subditis condescendere, siue pro exemplo, siue pro necessitatis, vel vtilitatis articulo, non tamen expedit se nimium seruiles, & humiles in talibus, suis subditis exhibere; *Ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur* [b] *humilitas, regendi frangatur auctoritas.* : ait idem præceptor in Regula. Spiritualis vero seruitus Prælati attenditur tam in actu interiori, quàm exteriori. Interiori quidem, quia licet ipse sit alijs prępositus in honore, debet tamen alios sibi prępponere [c] in corde. Vnde dicit Vgo in expositione Regulę: Quanto plus Prælatus honoratur exterius, tanto oportet vt amplius Deum timeat, atque semetipsum despiciens, eos à quibus honor impenditur sibi in cogitatione prępponat, & ex hoc generatur ex eo beneuolentia, per quam voluntatem inferiorum in se translatam non ad suum honorem, vel commodum conuertit . sed ipsam ad bonum ipsorum refundit, quatenus sicut subditi sibi ipsis bene vellent, si velle eis adesset; sic Pręlatus eis bene velit. Et inde dicta est beneuolentia. Est enim de Pręlato sicut de tutore alicuius minoris qui per seipsum non habet administrationem bonorum suorum, sed per tutorem. Hic tutor si bona pupilli bene, & fideliter conseruat, laudatur; si vero ad vsus suos ea distrahit, legibus reus tenetur. Sic in proposito de Pręlato, qui habet voluntatem subditi in potestate sua quasi sub tutela, vt dictum est. In actu exteriori attenditur seruitus Pręlati in spiritualibus: quia quicquid bene agit in officio suo, totum est in seruitutem eorum pro quibus fit. Siue enim corripiat inquietos, siue consoletur pusillanimes, siue suscipiat infirmos siue per patientiam supportet negligentes siue disciplinet errantes, siue liget peccantes, siue soluat pœnitentes; Omnia, inquam, hęc etsi honorem annexum habeant, actus tamen sunt spiritualis seruitutis, & quantum ad hoc Prelati sunt serui subditorum suorum: Vnde summus Pręlatus Ecclesię seruum seruorum se appellat iuxta illud.

Ioann. 13.

In vita sancti Mart. apud Suriū.

Exem. Magistri F. Hērici de Vrimaria.

Vgo, super Reg. cap. 2. Ver. Ideo.

Prælati cura sicut tutoris.

Serui

Serui erant tibi Roma prius Domini dominorum:
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.

Talis autem actus seruitutis ex habitu beneuolentiæ, quæ erumpere solet interdum cum quadam pia mansuetudine, & lenitate; quandoque vero cum quadam austera asperitate, & vtrunque [d] ex eodem fonte beneuolentiæ procedit in bonis Prælatis, & boni subditi ita vnum sicut aliud æquanimiter amplectuntur. De mansuetudine, & lenitate pij Prælati exemplum est in beato Martino Turonensi Episcopo, de quo legitur quod magnæ, & miræ beneuolentiæ fuit erga subditos suos, non solum circa bonos, & bene agentes, sed etiam circa delinquentes; quia omnes volentes pænitere, & cauere a delictis, compassionis, & misericordiæ sinu recipiebat: Nam & cum diabolus sanctum Martinum reprehenderet, quod semel lapsos ad pœnitentiam reciperet, eidem respondit: Si tu ipse ò miserabilis ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum pœniteret, ego tibi, in domino confisus, misericordiam pollicerer. Item exemplum de fratre Clemente de Marchia Anconitana, olim Priore generali Ordinis, qui nomen Clementis à re assumpsit, quia fuit vir miræ clementiæ, & pietatis, ac magnæ sanctitatis, tam Deo carus, quàm hominibus totus gratiosus per quem Deus multa miracula ostendit in vita sua. Et demum in morte sua in præsentia curiæ, & omnium Dominorum Cardinalium tempore D. Nicolai Papæ iiij. magnis miraculis claruit, & in Vrbeueteri, vbi decessit propter miraculorum pluralitatem, & magnitudinem, per plures hebdomadas de mandato eiusdem Papæ inhumatus stetit, asserentis non esse dignum, quod corpus tantæ sanctitatis terra obrui deberet. Tanta etiam multitudo populi ad videndum illud corpus ex singulari deuotione cateruatim irruebat, quod propter nimiam pressuram populorum oportuit communitatem Vrbisveteris plures domos effringere, & vicum communem tendentem ad locum Fratrum ampliare; vt sic populo liberior accessus præberetur. De cuius corpore tempore calidissimo nulla horrenda exhalatio, sed potius odor suauissimus flagrabat, vt testabatur venerabilis Pater D. Benedictus Cardinalis, qui fuerat filius suus confessionis, & ex speciali deuotione illud corpus benedictum pluries visitauit: Qui etiam postea effectus est Papa Bonifacius viij. De austeritate vero duri, & asperi Prelati plura sunt exempla in Vitaspatrum: Quomodo illi sancti Patres discipulos suos exercitauerunt imponendo eis onera grauia preceptorum, etiam de quibus nulla vtilitas, aut ratio apparebat; sicut beatus Antonius

Exem. clemētiæ in B. Martino Turoneñ.

Exemp. magistri F. clementis Generalis.

B. Clemēs de Auximo obiit moltis clar⁹ miraculis ī Ciuitate Vrbeuet.

De auctoritate Prælatorum. Vitaspatrū par. 1.

In vita Pauli Simplicis

Instit. Fatrum lib. 4. cap. 24.

Vitaspatrũ par. 3. c. 26.

multa talia legitur B. Paulo Simplici imposuisse ad probandam eius obedientiam, & perseuerantiam, vt habes supra cap. proximo. Item Ioan. Cassianus in hoc exemplificat de quodam, qui ad præceptum senis rigauit lignum aridum portando aquam per duo milliaria: A quo quæsiuit senex, si miserat radices, qui respõdit se nescire; & euulsit senex lignum quod rigauerat ille per annum, & proiecit. Similiter de alio, qui ad imperium senis proiecit lenticulam olei per fenestram, quę sola in eremo erat, nõ considerans præcepti ineptitudinem. Simile exẽplum in Fratre iuuene portante oua in canistro, & debente transire fossatum, & cum quæreret à sene: quomodo posset transire cum ouis, dixit senex quasi iculariter; proijce prius canistrum cum ouis, & deinde sequere tu: quod mox iuuenis fecit, non cõsiderans ineptitudinem verbi. Similiter exemplificat idem Cassianus de alio Fratre, qui ad imperium senis saxum euoluere toto nisu intendebat, quod multę turbæ hominum mouere non possent. Item Gregorius in lib. primo dialogorum scribit de quodam Patre cuiusdam monasterij asperrimo, sub quo beatus Nonnosus in monasterio degebat, qui mores illius asperrimi Patris mira semper ęquanimitate tolerabat, sicque cum mansuetudine inter Fratres conuersatus est, vt crebro Patris iracundiam ex humilitate mitigaret. Vnde ad tantam perfectionem peruenit, quod multa miracula per eum Dominus fecit: Quadam namque die cum lampades vitreas in oratorio lauaret, vna ex eis de manibus eius cecidit, quę in multas partes fracta fuit. Qui vehementissimum Patris furorem timens fragmẽta lampadis omnia collegit, & ante altare posuit, seque cum magno gemitu Deo in orationem dedit. Cumque ab oratione caput leuasset, sanam lampadem reperit. Hic etiam saxum magnum, quod quadraginta iuga boum mouere non possent, sua oratione transtulit, vt ibidem Gregorius. Ecce quantus bonus profectus est subditis austeros habere Pręlatos, & eiusmodi asperitas etiam iniuriosa, ex beneuolentia procedit Pręlatorum: Ideo bona conscientia hoc fecerunt. Nec de talibus iniuriosis exercitationibus oportuit eos petere veniam à subditis, cum ad bonum eorum fierent; nec zelo iniurię, & rancoris, sed zelo amoris, & beneuolentię facerent. Et hoc est quod B. Augustinus dicit in regula: *Si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis.* Et infra. *Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.* Fuit quidam Prior in ordine, vt à senioribus meis ad me peruenit à pueritia castus, religiosus, & deuotus, sed valde rigorosus in regimine, & sub ipso viguit maxima disciplina: nam regularis obseruantia, & diuinum of-

Io. Cass. De instit. Pat. lib. 4. ca. 26

1 Dial. c. 7.

De B. Nonnoso.

Exẽplum.

num officium optime fiebant, & delinquentes strennue corrigebantur: Erat autem inter conuentuales suos Frater quidam in beatum Ioannem Baptistam singularem deuotionem habens, qui propter rigorem Prioris procurauit mitti ad alium conuentum: Cui apparens sanctus Ioannesbaptista in visione dixit ei: Noli recedere à Priore tuo, quia vtile, & salubre est tibi sub ipso esse vsque ad mortem: & tandem deuote obijt in die natiuitatis S. Ioannis baptistę: Prior autem diu infirmatus diem claudens extremum, magnam gloriam, & multa pręmia percepit à Domino, sicut reuelatum est cuidam sanctę sorori nostri Ordinis. Ad idem est insigne exemplum de duobus venerandis viris huius sacrę Religionis, videlicet Fratre Augustino de Terano Priore generali Ordinis, & Fratre Iacobo de Viterbio sacrę Thęologię venerabili professore. Idem enim vir Frater August. erat magnę sanctitatis, & mirę austeritatis, & rigoris in disciplina Ordinis, & maximi zeli pro iustitia, & honore Ordinis, & ante Generalatus officium erat pœnitētiarius D. Papę famosus, & in vtroque iure* cōuentatus. Frater vero Iacobus erat vir magnę scientię, & famę, sicut eius opera testantur, qui propter vitę, & scientiæ suę merita certatim, & concorditer electus fuit pro Archiepiscopo in duabus Ecclesijs, scilicet Neapolitana, & Beneuentana, Hic cum in capitulo generali Neapoli celebrato rogatus esset, quod prędictum Patrem generalem Priorem informare vellet de innocentia cuiusdam boni, & valentis Fratris apud eum sinistre delati, & ipse ex pietate hoc fecisset. Ipse Pater Generalis ex zelo vehementi, cōuocato toto capitulo generali, nō deferens tantę personę dixit hęc verba: Fratres carissimi dolentes nobis denuncio, quod Fratres quidam per Ordinem enutriti, & in statu honoris positi sic rependunt suę matri Religioni, quod Fratres defectuosos, & vitiosos excusare, & defendere nituntur: Ad quę verba venerabilis pręfatus magister Iacobus considerans quod prædicta obiurgatio non procederet nisi ex corde beneuolo, & zelo feruido tanti Patris, surrexit coram omnibus Fratribus, & humiliter respondit ista verba: Pater protestor coram Deo, & vobis, si quid in ista materia locutus sum, hoc feci ex syncero animo, & pura intentione pro bono Ordinis. Tamen si vobis videtur, quod in hoc offenderim, dico meam culpam Deo, & vobis, & paratus sum emendare. Ad quod responsum tantæ humilitatis, & reuerentię à tanto viro, omnes fratres fuerunt stupefacti, & medullitus emendati; & animus prædicti Patris Generalis totaliter acquieuit. Ecce cum quanta auctoritate Patres nostri olim personas quantuncumque magnas ex zelo Ordinis corripuerunt, & cum quanta humilitate, & patientia has obiurgationes etiam minus iuste eis irrogatas sustinuerunt, permaximæ personæ Ordinis,

Exempla B. Aug. de Terano, & magistri Iacobi de Viterbio.

*fortè commendatus

& columnæ Ecclesiæ mox futuræ: nam eodem anno idem magister Iacobus in Archiepiscopum est electus, & in Neapolitana metropoli confirmatus. Cauere tamen debent Prælati, ne sua indiscreta asperitate Fratres in desperationem inducant. Exemplum de Abbate Appolline, de quo legitur in collationibus Patrum quod cum ipse occurrisset cuidam Fratri iuniori, qui præ ardore concupiscentiæ monasterio relicto voluit redire ad seculum, cognouit ex deiectione sui vultus, & circunstantijs dolorem, & afflictionem mentis. Et cum ab eo causam tantæ tristitiæ requisisset. Respōdit se carnis stimulo perurgeri, & cum hoc cuidam seni medendi gratia reuelasset, ille verbis amarissimis eū increpauit, asserens eum miserabilem, & nomine monachi indignum, qui potuerit tali vitio titillari. Ex quibus (inquit) verbis tanta sum desperatione deiectus, quod volo ad seculum redire, & vxorem ducere. Quē sanctus Apollo blanda consolatione demulcens seipsum asseruit eisdem incentiuis sępius incitari, & iccirco ipsum non debere tali agitatione frangi, sed de gratia, & misericordia Dei confidere, qui nunquam derelinquit præsumentes de se; rogans, quod solum per vnam diem reuerteretur ad cellam, & si ibi misericordiam Dei non sentiret, tunc faceret quicquid sibi dominus inspiraret. Tunc senex cum lacrymis Dominum exorauit vt impugnationem iuuenis in illum senem cōuerteret, vt sic doceretur compati infirmitatibus aliorum. Completa oratione, vidit æthyopem valde nigrum contra illum senem ignea iacula dirigentem: quibus cum fuisset protinus sauciatus, egressus velut amens huc illucque discurrit, & ad seculum redire concepit. Tunc sanctus Apollo dixit ei: Reuertere ad cellam tuam & scias te à diabolo tentatum esse qui vnum iaculum eius in te directum in tanta senectute non potuisti sufferre, quo Dominus passus est te sauciari, vt disceres compati infirmitatibus aliorum, qui iuuenem illum infestatione diabolica laborantem non tantum nulla consolatione fouisti, sed, quantum in te fuit, in inimici manibus tradidisti. Disce igitur tuis exemplis aliorum infirmitatibus compati, & exemplo Saluatoris arundinem vento agitatam non conterere, sed potius blanda exhortatione confouere. Et extunc ad preces senis Apollinis ille qui percutit, & medetur tam illum iuuenem, quàm istum senem protinus à tentatione diaboli liberauit. Noui & ego quosdam Pręlatos in Religione, qui sua asperitate indiscreta bonas personas, quæ columnæ Ordinis in suis prouincijs esse poterant, deiecerunt, quos pijs potuissent consolationibus fouisse. Noui & alios Fratres in Ordine, qui Fratres nonnullos prope desperationem positos suis blandis exhortationibus, & mansuetis manuductionibus ad tranquillitatem animi reduxerunt: ac per hoc eos

Ioan. Cass. coll. 2. ca 3. de Apolline Abbate.

Matth. 12.

median-

mediante Dei gratia in honore, & bona fama conseruauerunt.

AD CAP. IIII. NOTÆ.

a Potestate Dominante.] *Sic & 1. Pet. 5. non tanquàm dominantes in clero sed forma facti gregis. Et Matth. 20. Principes gentium dominantur eorum. Vos autem non sic.*

b Humilitas.] *S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 2. Talis,* (inquit) *debet esse dispensatio regiminis, vt is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, vt & arridens timeri debeat, & iratus amari. Vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata sæuitia odiosum. sæpe enim subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiæ tenemus. qui profectò vigor iam iustitiæ non erit, si se sub iusto moderamine, non custodit. Et sæpe à disciplinæ metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis fræna laxamus; quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resoluuntur,*

c In corde.] *Ecclesiast. 32. Ducem te constituerunt noli extolli:* Ezech. 34. *Vos autem austeritate imperabâtis.* Hos reprehendit sanctus Gregorius lib. 34. moral. cap. 21. *Sæpe nouimus,* (inquit) *quod plerique qui præsunt, intus se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt; nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt; quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis, quibus eos præesse contingit non agnoscunt.* Quod ipsum monet etiam in pastorali par. 2. cap. 6.

d Ex eodem fonte.] *S. Gregor. lib. 20. moral. cap. 6.*

De mutua charitate Fratrum. Cap. V.

QVia vero in communione spiritualis vnionis non solum debet bene ordinati esse subditi ad Prælatos per obedientiam, & Prælati ad subditos per beneuolentiam, sed etiam requiritur, vt Fratres omnes bene sint ordinati inter se per mutuæ charitatis colligationem: Ideo ipse noster Præceptor Augustinus in principio regulæ suæ nobis dilectionem commendat, dicens. *Ante omnia fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.* Videndum igitur qualis sit ista charitas, vel dilectio, qua Fratres vniri esse debeant. Hanc autē idem præceptor Augustinus determinat in regula dicens. *Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.* Est autem carnalis dilectio illa, quæ est secundum (De duplici dilectione erga proximos.)

affectum cognationis, & carnis; qua videlicet contribules, vel coniuges aut fratres, vel consanguinei naturali dilectione connectuntur. Hæc autem dilectio non reprobatur inter homines mundanos, & de facili interrumpitur: prohibetur autem inter personas spirituales, quæ renunciantes mundo carnalibus affectibus esse debent exutę. Spiritualis vero dilectio est, quę glutino connectitur charitatis: quam sola gignit similitudo virtutum, vt dicit Io. Cassianus in collationibus Patrum. Collatione Abbatis Ioseph. *Hæc est* (inquit) *vera dilectio qua gemina amicorum perfectione, & virtutum parilitate concrescit: cuius semel initum fœdus nec desideriorum diuersitas; nec vlla disrumpet contrarietas voluntatum*. Et idcirco in his tantum potest indisrupta dilectio permanere: in quibus vnum propositum, vna voluntas: idem velle, & idem nolle consistit. Et hec est vera sancta, & perfecta amicitia, quæ debet esse inter Fratres, quorum idem est velle, & nolle in Deo. Hac autem dilectione tamquam speciali signaculo gregem ouium suarum Christus voluit agnosci dicens: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si charitatem habueritis adinuicem*. Qua autem intentione Fratres se inuicem diligere debeant Augustinus aperit in regula infra dicens: *Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum: cuius templa facti estis*. Ecce quomodo quilibet debet cogitare Deum habitare in fratre alio, & sic Deum in Fratre diligere, & honorare. Vnde in Vitaspatrũ legitur, qđ S. Appollonius Fratribus suis pręcipiebat attentius, vt venientes fratres quasi domini susciperent aduentum. Nam & adorari aduentantes fratres propterea (inquit) traditio habet, vt certum sit in aduentu eorum aduentum domini Iesu Christi haberi, qui dixit: *Hospes fui, & collegistis me*. Et ex hoc sumpta est illa laudabilis obseruantia Ordinis, vt Fratres Ordinis recipiantur cum genuflexione, & manuum deosculatione.

[Margin: Collat. 16. cap. 3. — Ioan. 13. — In vita S. Apoll. & li. 3. cap. 32. — Quare adorãtur aduenĩẽtes hospites. — Matth. 25.]

Est autem aduertendum; quod secudum doctrinam Abbatis Ioseph in Collationibus patrum; ad conseruationem dilectionis, & pacis inter Fratres septem requiruntur.

Primum est contemptus sobstantię mundialis, nam ex rebus vilissimis solent insurgere lites. Vnde per contemptum rerum temporalium amputantur: cum indignum quis arbitratur vilissimam supellectilem preferre Fratris dilectioni. Exemplum in Vitaspatrum de duobus senibus pariter sedentibus in vna cella; & nunquam inter se vel qualemcumque contentionem habuerunt. Dixit ergo vnus ad alterum: faciamus etiam nos litem adinuicem, sicut & alij faciunt, dixit alius: Nescio quomodo fiat lis, dixit ille: Ecce ego pono laterem istum in medio & dico: quia meus est, & tu dic non est tuus, sed meus est. & ex hoc fit con-

[Margin: Col. 16. c. 6 Septem circunstantiæ pro conseruanda dilectione inter Fratres — Prima circunstantia. — Vitaspatrũ par. 2. §. 92]

fit contentio, & rixa. Et cum poſuiſſent laterem in medio, dicente vno: meus eſt, alter dixit: ego ſpero eum eſſe meum; & illo iterum dicente: non eſt tuus ſed meus, ille reſpondit: ſi tuus eſt tolle illum, quo dicto [b] non inuenerunt, modum litigandi. Sed non oportet temporibus modernis ſic fingere cauſas litium, diabolus enim, & propriæ voluntates hominum cauſas adinueniunt ſufficientes.

Secundum eſt [c] mortificatio proprię voluntatis. Ideo antiqui Patres per maxime præcauebant à propria voluntate. Vnde legitur in Vitaſpatrum de quodam ſancto Patre, qui cum arctaretur ab alijs extra horam comedere; comedit; & poſt hoc dicunt ei Fratres: contriſtatus es aliquid Abba, quia hodie extra conſuetam horam comediſti, quibus ille reſpondit: Tunc eſt mihi tribulatio, quando propriam fecero voluntatem. Vnde dicebat Abbas Pacomius: voluntatem tuam nunquam adimpleas; ſed magis humilia te ipſum, vt facias voluntatem proximi. Item alius ſenex dixit: quod dęmones non pugnant nobiſcum quando facimus proprias voluntates, quia ipſæ voluntates dęmones factæ ſunt. Propria etiam voluntas murus aeneus eſt inter Deum & hominem, quam ſi homo reliquerit poterit dicere: *In Deo meo traſgrediar murum*. Sed dices: Quæ eſt voluntas propria? ad hoc reſpondet Bernardus in ſermone de lepra Naaman: *Voluntatem dico propriã quæ non eſt communis cum Deo, & hominibus: ſed tantum noſtra, quando aliquid volumus, non ad honorem Dei, non ad voluntatem Fratrum ſed propter nos metipſos facimus non intendentes Deo placere, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere proprijs motibus animorum. Huic contraria eſt recta fronte charitas, quæ Deus eſt: hæc enim aduerſus Deum inimicitias eſt exercens, & guerram crudeliſſimam. Quid enim odit Deus, & punit niſi propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit.* Hæc Bernardus.

Secũda circunſtantia. Vitaſpatrũ pa.2.ſ.140 De Abb. Pacomio. Vitaſpatrũ par. 2. De diſcretione. Pſal. 18. Quæ propria voluntas. ex ſermone 3. B. Bernar. De de reſurrectione. Domini.

Tertium eſt, non temere [d] inhærere ſuo proprio iudicio, ſed ſemper magis velit proximi iudicio, quam ſuis diffinitionibus obedire.

Tertia circunſtantia.

Quartum eſt, quod omnia quæ vtilia æſtimat, ſciat eſſe poſtponenda bono charitatis, & pacis. Quomodo enim ſeminarium diſſenſionis poteſt inſurgere inter eos, quorum quilibet cedit voluntati, & iudicio ſuo, etiam in his, quæ vtilia æſtimat: & præfert voluntatem, & iudicium alterius?

Quarta circunſtantia.

Quintum: vt credat nec iuſtis, nec iniuſtis cauſis penitus iraſcendum.

Quinta circunſtantia.

Sextum eſt: ſi Frater contra ſe, etiam ſine ratione concepit aliquam triſtitiam, illam eodem modo curare ſtudeat, quomodo propriam: ſciens ſibi æqualiter pernitioſam eſſe Fratris triſtitiam, ac ſi ipſemet

Sexta circunſtantia.

contra

contra alium irasceretur, nisi eam, quantum in se est, de Fratris corde [e] depulerit.

Sept. circũstantia.

Septimum est, quod omni die credat se de hoc mundo migraturum: [f] Et hęc cogitatio comprimit omnes motus vitiorum, & passionum. Vnde beatus Bernardus in speculo suo dicit. Quando de aliquo vitio tentaris: cogita intra te, quid si esses iam moriturus velles ne hoc facere?

Exẽp. B. Nicolai de Tolentino.

Exemplum multę charitatis fraternæ habemus in beato Nicolao de Tolentino, qui fuit vir totius pietatis ad Fratres, & ad proximos: tanta enim charitate fulgebat, vt mori lucrum putaret non solum pro Christo, sed etiam pro proximo. Quicquid victus, & vestitus erat Fratribus, modicum reputabat; cum tamen modicis esset ipse contentus: pauperes diligebat, quos verbo, & facto fouebat; vestimenta eis acquirebat, & cibos: hospites fratres libenter recipiebat vt Angelos Dei, Mœstis erat lætitia, afflictis consolatio; diuisis pax; laborantibus refrigerium: pauperibus subsidium: captiuis, & infirmis remedium singulare: peccatoribus ita compatiebatur, vt ipse pro multis sibi confitentibus oraret, ieiunaret, Missas celebraret, & lacrymas funderet coram domino, vt à peccatorum tenebris soluerentur. Huius virtutis gratia non quęrebat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Denique sua verba quia à corde charitate pleno procedebant, nihil otiositatis nil superfluitatis aut ampullositatis sapiebant, sed omnia ædificatoria & honestate plena erant.

F. Hertinodi de Gotta.

Similiter exemplum de fratre Hertinodo de gotta, cum quo ab infantia creuit miseratio ad proximos: qui cum adhuc esset iuuenis scholaris, quicquid victualium in domo paterna subripere poterat, pauperibus erogabat, Erat enim filius diuitis honesti ciuis. Deprehensus aliquando fuit portare super dorsum suum cophinum plenum allijs, cõpatiens pauperi portatori: Factusque Frater micas, & cortices panum solitus erat de licentia colligere, & pauperibus portare. Hic in vitando colloquia inutilia, loquendo proficua in miserationibus ad pauperes, in castigatione corporis, in exercitio bonæ actionis: in deuotione orationis: in dulcedine contemplationis: in obseruatione regularis disciplinationis: in zelo fraternæ dilectionis inter omnes sui temporis in illa patria singulariter effulsit. Signa quoque, quæ per eum post mortem Deus operatus est, ipsius in terra sanctitatem, & in cœlo adeptam fœlicitatem attestantur.

Fris Thomę de Arimino.

Item exemplum de fratre Thoma de Arimino canapario: qui tantę miserationis fuit ad pauperes, quod quicquid in canapa habuit de pane, & alijs rebus præter necessitatem Fratrum immo plerumque de necessario

cessario victu Fratrum subripiebat, & pauperibus erogabat: Quadam namque vice capitulo prouinciali in conuentu Ariminensi constituto, dum Procuratores capituli pro Fratrum multitudine de panibus bonam prouidentiam fecissent. Iste Frater videns tantam copiam panum, compassione ad pauperes motus, magnam partem panum distraxit: Cum autem Procuratores viderent panes deficere, de quibus adhuc pluribus diebus Fratres refecturos æstimauerant: indignatione commoti contra canaparium interrogant: quo tantus panum numerus deuenerit. Ipse vero simplicitate columbina nesciens excusationem pro tunc aliam facere, in Domino confidens inducias sibi dari petijt, dicens, se velle Deo propitio, de cunctis panibus reddere rationem Quo dicto ipse diuertens ad locum orationis, cum lacrymis orauit ad dominum, vt eum in tali angustia positum misericorditer adiuuaret, oratione completa rediēs ad canapam inuenit tam numerosam panum multitudinem,& maiorem quàm prius habuerat & tantæ recentiæ, ac si pridie panes de furno portati fuissent. Quod cernens vir Dei, lętus efficitur, laudans Deum,qui non derelinquit cōfidentes de se. Vocat ergo Procuratores, & assignat panes in superfluenti numero,& valore. Qui obstupefacti cognoscentes miraculum dederunt gloriam Deo. Hic Frater multis miraculis claruit in vita, propter compassionem, quàm habuit semper ad pauperes Christi, & similiter in morte, & post mortem, quæ in conuentu Ariminensi conscripta habentur.

Item exemplum de B. Augustino de Terano, qui deposito Generalatus officij onere elegit habitare in eremo,scilicet in loco sancti Leonardi Senarum diœcesis, volens latere mundo, vt mente conseruaretur in cœlo: non potuit tamen tantum latere quod non manifestaretur. Sed venerunt vndiquę ad eum non solum Fratres ordinis pro spirituali exhortatione ab eo capescenda, sed etiam,& multi seculares homines famam eius sanctitatis audientes de longiquo ad eum veniebant Quos ipse verbo vitæ, & sanctitatis exemplo reficiebat. Nec erat aliquis tam desolatus, & afflictus, qui non recederet ab eo consolatus,& qui Deum non veneraretur in eo. Nam & quidam nobilis vir Dominus Pręposítus de salimbenis, cum ex morte matris tam esset afflictus, vt quasi eum tęderet viuere, amicorum suorum * auxilio ad eum accessit. Et audiens dulces exhortationes sancti viri, amplius quàm credi posset ad mirans ait: Ego iam nollem matrem meam habere viuam vt tantam consolationem ab isto viro minime recepissem. Erat etiam quidam Frater iuuenis in ciuitate Rheatina nomine Ioannes simplex humilis & semper iucundi vultus: in cibo, potuque ac alijs ad commu

Exempl. B. Aug. de Terano.

B. Ioan. de Rheate.

nem

nem conuersationem Fratrum spectantibus commũnis & irreprehensibiliter socialis, sed in abscondito erat multum singularis. Hic multæ dilectionis & charitatis fuit ad omnes Fratres. Nec vmquam auditum est verbum de ore suo, nec visum aliquod factum, quod à fraterna dilectione discreparet. Omnibus obsequiosus fuit, præcipue infirmis & hospitibus, quorum pedes lauit, vestimenta excussit, & sua eis accommodauit: & omnem charitatem, quam potuit eis hilariter impẽdit. Sacerdotibus insuper omnibus indifferenter, quibuscumque potuit ad missam cum summa diligentia libentissime seruiebat. Hic Frater solitus fuit solus ingredi hortum cõuentus, & dum eriret visus est sę pius lacrymas fudisse; & interrogatus quadam vice cur fleuerit, respondit: Quia video arbores, herbas volucres, & terram cum suis fructibus obedire Deo, & homines, quibus pro obedientia promissa est vita æterna, transgredi præcepta creatoris sui; hæc gemo, & defleo. Huic Fratri felicis recordationis per aliquot dies ante obitum suum philomena veniens singulis diebus ad fenestram cellæ suæ dulciter decantabat: de quo mirantibus fratribus, & interrogantibus: quid hoc esset, respondit subridendo quasi iculariter: sponsam suam inuitantem eum ad paradisum. Quadam ante die ministrante eo ad Missam vidit desuper altare lucem cœlicam, & eadem die cœpit decumbere. Et cum magna deuotione perceptis dominicis sacramentis, spiritum reddidit ei, qui fecit illum. Et intra eundem annum Deus per istum sanctum Fratrem fecit circiter centum quinquaginta signa gloriosa, vt audiui à fratribus illius conuentus: cum olim Rheatæ essem apud sepulchrum eiusdem sancti fratris præsentialiter constitutus.

B. Ioann. Rheatinus centum & qnquaginta miracula fecit.

AD CAP. V. NOTÆ.

a Nam, & adorare aduentantes.] Insignis est hic locus, ad explicãdũ quanta charitate, & humilitate hospitalitatis munus sit exercendũ, de qua quidem sic habet sexta synodus Constantinopolitana. c.9. *Admonendi sunt omnes, vt hospitalitatem diligant, & si cui hospitium præstiterint nullam ab eo mercedem accipiant: Dicendum quoque est illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo. Per hanc placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio susceptis:* Et iterum: *Hospitales sine murmuratione:* Et ipse Dominus ad iudicium veniens dicturus est: *Hospes eram, & collegistis me. Modum etiam hospitalitatis eleganter docet sanctus Basilius in regulis fusioribus interrog. 20. Hugo de sancto Victore de claustro animæ lib. 2. cap. 4. Tomo. 2.*

1.Hebr. 13. 1.Pet. 4. Matth. 25.

Non

b Non inuenerunt modum litigandi.] *Lites omnino ſtatui regulari contraria ſunt. Sanctus Baſilius, in regul. fuſior. interrog.* 49. *& in regul. breuioribus. interrog.* 29. *& S. Auguſt. in regu. cap.* 19.

c Mortificatio propriæ voluntatis.] *S. Baſil. regul. fuſiorib. interrog.* 41. *Laurentius Iuſtinian. de vita monaſt. cap.* 7.

d Inhærere proprio iudicio.] *Iuxta illud prouerb.* 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ, &c. *cap. ne innitaris, de conſtitut.*

e Depulerit.] *Matth.* 5. *B. Auguſt. in reg. cap.* 20.

f Et hæc cogitatio.] *Plura huc ſpectantia ſcribit Laurentius Iuſtin. tract. de humilitate cap.* 4.

De diſcordia quantum periculoſa eſt inter Fratres. Cap. VI.

SIcut in congregatione Religioſorum nihil eſt ſalubrius charitate, qua Fratrum corda vniuntur per vnionem voluntatum; ſic [a] nihil pernitioſus diſcordia, qua corda diſiunguntur per diuerſitatem voluntatum. Sub nomine autem diſcordiæ ad præſens comprehendo omnia vitia, quę ad ipſam quomodolibet concurrere ſolent, ſiue per modum matris, ſiue per modum filiarum, vel comitum; ſicut ſunt iræ, rixæ, lites, odium, inuidia, rancor, indignatio, contentiones, murmurationes, partialitates, & talia: Quæ omnia B. Auguſtinus prohibet in regula nomine litis dicens: *Lites autem nullas habeatis, aut quàm celerrime finiatis*. Tangit autem ibi tria mala pernicioſa, quæ ex lite, & diſcordia generantur. Tria mala pnicioſa q̃ ex diſcordia obueniunt.

Primum eſt, quia animam homicidam facit, & quantum ad hoc Auguſtinus addit: *Ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitur. Qui odit Fratrem ſuum, homicida eſt*. Cum enim lites non ſint ſine ira: Ira autem niſi cito deponatur creſcit in odium. Odium vero generat homicidium animæ, ſecundum illud iam allegatum, vt ſcribitur in Ioann. iij. *Qui odit Fratrem ſuum, homicida eſt*. ſaltem ſpiritualiter: quia primo animam ſuam occidit odiendo Fratrem: deinde animam Fratris occidit, inquantum prouocat eum ad iram, & diſcordiam, & rixas: Ex quibus etiam plerumque ſequitur homicidium corporale ipſiuſmet paſſiue primo odientis, & prouocantis. Et ſic ipſe homicida eſt ſui ipſius occaſionaliter prouocantis. Primũ dãnum. 1. Ioann. 3.

Secundum eſt, quod orationes noſtras inexaudibiles facit, & quantum ad hoc ſubdit Auguſtinus: *Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem* Secundum damnum.

ſibi

ſibi debita relaxare debebunt propter orationes veſtras, quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſanctior es habere debetis propter orationes (inquit) *veſtras*. Niſi enim Fratres ſibi inuicem relaxent offenſas, orationes eorum non ſunt eis ſalutares, ſed noxiæ. Quia, vt dicit Vgo in expoſitione Regulę ſuper eodē paſſu: Quotidie dicimus Deo in oratione: *Dimitte nobis debita noſtra, Sicut & nos dimittim⁹ debitoribus noſtris*. Quod ſi debitoribus noſtris, ideſt qui in nos peccant, non dimittimus, cum dicimus Domino: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Ipſa noſtra oratione inculpamur & Deum aduerſus nos ad iracundiam concitamus. Et ipſi ſuper nos inducimus maledictionem, potius quàm benedictionem. Sic que fit, vt oratio quæ debebat nobis eſſe ſalutaris, ſit noxia: Et peccata noſtra quæ debemus minuere coram Deo, augemus. Item ex alio loco docemur, quod Frater tenens rancorem contra Fratrem, & non dimittens ei offenſam, non poteſt, nec debet quicquam orare. Scribitur enim Matth. v. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod Frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari Fratri tuo*. Quod verbum pertractans Ioann. Caſſianus in Collationibus Patrum dicit: *Quomodo aliquis in ſe vel in alio rancorem ſubſtinebit, qui conſiderat ſibi non eſſe orandum, ſi ſe contra alium, vel alius contra ipſum aliquid triſtitiæ, vel rancoris habere perſpexerit. Eadem enim neceſſitate tenetur ſedare iram Fratris, qua præcipitur non iraſci. Intantum enim vult Deus nos Fratris lenire triſtitiam, vt quamdiu Frater noſter aduerſus nos aliquid habuerit, nec munera noſtra ſuſcipiat, ideſt nec orationes noſtras ſibi permittat offerri donec de eius animo triſtitiam ſiue iuſte, ſiue iniuſte conceptam celeri ſatisfactione tollamus. Non enim dixit Deus: Si habuerit veram querelam aduerſum te: Sed ſi recordatus fueris, quod habet aliquid aduerſum te, ideſt quantuncumque ſit leue, & vile, quo Fratris in te ſit excitata commotio, ſcias te offerre precum tuarum munera non debere, niſi prius ortam triſtitiam ex quacunque cauſa de corde Fratris tui depuleris*. Sed quia humanæ fragilitatis eſt interdum motu iracundiæ tangi. Ideo ſolerter addit Auguſtinus dicens; *aut quam celerrime finiatis*, Iuxta id Eph. iiij. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Exemplum in Vitaſpatrum de Abbate Agathone qui ſolebat dicere. Nunquam dormiui, litem habens cum aliquo, ſed nec permiſi aliquem mecum litem habentem dormire quantum ad virtutem meam pertinuit, niſi prius in pace cum illo reuerterer. Item exemplum experimētaliter cognoui de venerabili viro in Ordine. f. Mag. Proſpero de Regio ſacræ Theologiæ profeſſore, cuius ſtudens fui olim Boloniæ.

Vgo ſuper Regulā. ca. 10. ver. quotidie. Matth. 6.

et inſt. Pat. li. 8. ca. 13. Coll. 16. c. 16. & 17.

Vitaſpatrū par. 2. §. 121 De Agathone. Abb.

De magiſtro F. Proſpero de Regio.

noniæ. Ipse enim hanc virtutem habuit, quod si aliquando, verbum durum dixisset alicui Fratri, quantūcumque paruo, ipse semper antequam dormiret mittebat pro Fratre illo: et sibi humiliter petebat indulgeri. Quam etiam humilitatem mihi indigno sæpe exhibuit.

Tertium est, quod ad disciplinam monasticam nos inhabiles, & in idoneos reddit, & quantum ad hoc subinfert Augustinus: *Qui autem nunquam vult petere veniam aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non eijciatur*. Bene dicit, sine causa, frustra enim est in monasterio talis, quia non placet Deo sacrificijs, vel orationibus, nec proficere valet operibus bonis, immo, talis ita vtilis est in monasterio, sicut hircus in horto. Quid enim aliud facit hircus in horto, nisi dissipare? Et ideo expellere eum debet dominus de horto suo, si vult hortum suum fructiferum conseruare. Sic ergo talis ad concordiam inflexibilis non idoneus, imo nociuus est in monasterio, quare tamquam pestifer est eijciendus. Damnum 3

Quartum potest addi, quia discordia res quantuncunque magnas dilapidat, & disperdit. Vnde Hieronymus in homilia super illud Luc. xj. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*. Quomodo (inquit) concordia paruæ res crescunt, sic discordia res maximæ collabuntur. Exempla patentia de hoc habemus ad oculum. Videmus enim monasteria quamplura magnæ opulentiæ, quæ per discordias, & partialitates personarum inhabitantium ad inopiam sunt deducta: Videmus, & alia monasteria pauperrima, & super paupertatem fundata, quæ propter fraternam concordiam in bono, semper in melius proficiunt notabili incremento. 4 damnum. Sallust. De bello iugurtino.

Quintum superaddi potest, quia discordia incursionibus hostium nos patere facit. Vnde super illo Canticorum: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, dicit Gregorius: *Castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur; quando ita constipata, & condensata fuerit, vt a nullo interrupta videatur: E contra, quando fuerit diuisa*. Et Chrysostomus super Ioannem hom. lxxvij. ostendens quomodo concordia fortificat hominem contra hostes: *Si* (inquit) *vnanimes fuerint duo, vel decem, non vnus est qui vnus est* (scilicet tantum) *sed decies tantum multiplicatus vnusquisque eorum inuenies vnum, & in vno decem. Et si inimicum habuerint, vni inimicantur vt decem, si vero fuerint amici mille vel duo millia idem est*. Hæc Chrysostomus. 5. damnū. Cant. 6. B. Greg. homil. 8. sup Ezechiele.

AD CAP. VI. NOTÆ.

a Nihil perniciosus discordia.] *Præter ea, quæ hic ab auctore traduntur*

duntur de discordia, videndi sunt S. Io. Chrysostom. homil. 34. in Genes. S. Gregorius 3. par. pastoral. admonit. 23. & 24. S. Tho. 2. 2. quæst. 37. ar. 1. & ibid. Caieta.

Exempla vero quam plura de discordia habebis apud Andr. Eborensem To. 2. de Odio, & discordia Fratrum.

De humilitate. Cap. VII.



Via vero charitas, & concordia conseruari non potest * absq; humilitate, dicente beato Augustino in sermone ad Fratres eremitas: *Vbi superbia fuerit, ibi discordia dominatur.* Ideo idem præceptor in regula superbiam resecandam præcipit, dicens: *Nec erigant ceruicem, &c.* Et iterum: *Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint. Nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas ipsi in monasterio partiuntur, quàm si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quacunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: superbia vero etiam bonis operibus insidiatur vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo?* Et bene dicit: *Anima misera*, miserum enim, & miserabile est valde, Fratrem, qui in ingressu Religionis omnia reliquit, etiam seipsum, de huiusmodi contemptu superbire. Vnde dicit Vgo: *Sicut illa anima est beata, quæ sua pauperibus propter Deum diuidit vt humilietur; ita illa est misera, quæ inde extollitur. Infelix profectò est, qui per iter virtutum tendit ad vitium, & vnde præmium debuit habere, inde tormentum incurrit.* Et talis reuera est in monasterio sine causæ. Absurdum est enim in schola humilitatis discere superbiam. Si enim superbis Angelis non fuit vtile cœlum, constat profectò, quod superbis hominibus non erit vtile monasterium. Et si sanctus est locus, si sanctus sit habitus, si sancta opera videantur, totum ex vitio superbiæ inutile habetur. Solūmodo ergo humilibus vtilia sunt monasteria, ipsi enim sunt docibiles Dei, sicut scriptū est: *Docebit mites vias suas*: Boni enim Religiosi sunt studentes, & discipuli in schola humilitatis sub magro humilitatis Christo legente lectionē de humilitate, & ad eam hortante. Hanc lectionē audiant Fratres humiliter, intelligant veraciter, retineant memoriter: impleant efficaciter. Quæ autem sit hæc lectio audiamus Matth. xj. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Lectio breuis & multum sententiosa; quia omnia Christianæ Religionis præcepta complectitur, sicut ostendit Augustinus in Epistola ad Dioscorum; *Non est* (inquit) alia

[Margin notes: Serm. 70. ad Fratres. — Vgo super Reg. c. 2. versiculo Non prodest. — psal. 24. — lectio Christi ab omnibus auscultanda. — Epist. 56.]

alia via ad capeſſendam, & obtinendam veritatem, quàm ſcilicet humilitas: & quoties interrogares dicerem, quod hæc eſt via, ſcilicet humilitas; non quod non ſint alia præcepta: ſed niſi humilitas omnia quæcunque benefecerimus & præceſſerit, & comitata fuerit, & conſecuta, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui inhæreamus, & impoſita qua reprimamur, iam nobis aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia. Et ſequitur: *Sicut rhetor quidam nobiliſſimus interrogatus, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſeruari oportere, pronunciationem dicitur reſpondiſſe: & cum ſecundo quæreretur, reſpondit idem: & cum tertio, idem reſpondiſſe fertur: Sic quoties interrogares me de præceptis chriſtianæ Religionis, nil reſpondere liberet, niſi humilitatem.* Hæc Auguſtinus. Denique [b] ſi exempla de humilitate quærimus, primum habemus in ipſo humilitatis magiſtro Chriſto; qui ſicut bonus, & legalis magiſter, non tam verbo eam docuit, quàm exemplo, & opere oſtendit. Vnde ait: *Diſcite*, non ſolum verbo, ſed etiam facto: ipſe enim cum eſſet dominus omnium, ſemetipſum humiliauit uſque ad mortem exprobabiliſſimam, & ad ipſam docendam deſcendit de cœlis, vt ait Auguſt. ſuper Ioan. Hom. ij. *Crucifixus eſt* (inquit) *Chriſtus, vt humilitatem doceret.* & iterum Hom. xv. *Vt omnium morborum cauſam curaret, deſcendit filius Dei, & humilis factus eſt;* & ſequitur: *Puderet te imitari humilem hominem: humilem Deum imitare.* De magna etiam humilitate ſanctorum Patrum multa exempla ſunt in Vitaſpatrum. Refert Ioannes Caſſianus in Collationibus Patrum de Abbate Pynuphio, qui cum eſſet presbyter in magno cœnobio in Ægypto, quia honorabilis erat ibi, videns humilitatem non poſſe exercere, fugit aſſumpta veſte ſeculari ad cœnobium, quod ſciuit eſſe diſtrictius: Vbi multis diebus cum lacrymis præ foribus excubauit, & ad omnium Fratrum genua prouolutus tandem vt ſuſciperetur, obtinuit: Vbi cuidam Fratri adoloſcenti ad excolendum hortum eſt adiunctus, & humeris ſuis ad paſtinandum ſtercus gerebat: & non ſolum illa, quæ ſibi eſſent imperata cum maxima humilitate compleuit, verum etiam quędam opera vilia, quę propter ſui horrorem à cæteris vitabantur, nocturno ſilentio perficeret, ita vt diluculo omnes illius operis ignorarent actorem: et hoc continuauit per triennium. Poſtmodum per quendam Fratrem ſuperuenientem agnitus, & proditus receſſit dicens quod inuidia diaboli in humilitate tali fuiſſet fraudatus. Et idem ſecunda vice fugit ad Paleſtinæ partes, vbi nec nomen ſuum fuiſſet auditum. Ad idem eſt exemplum de B. Fratre Auguſt. de Terrano, qui cum eſſet de nobili genere ortus; & vtriuſque iuris famoſus profeſſor, & nihilominus in curia Manfredi Regis valde

Humilitas ī primis amplectenda.

Matth. 11.

Ad Philip. 2.

Coll. 20. c. 1

De Pynuphio Abb.

De inſt. Pat. lib. 4. cp. 30.

In Vitaſpa. par. 3. cap. 3

De B. Aug. de Terano admirabili humilitate

potens, & omnibus carus, Deo disponente incidit in ægritudinem validam; cumque timeret se moriturum, petiuit à Deo spacium pœnitentiæ, promittens se Religionem ingressurum statim cum esset liberatus. Restitutus ergo pristinæ sanitati, diuina vocatione Ordinem Fratrum eremitarum S. August. in insula Siciliæ ingressus, voluit vir Dei in ipso suæ * conuersionis primordio humilitatis iacere fundamentum: habitum sanctę Religionis assumens, occultauit suæ scientiæ claritatem; generis nobilitatem, & prioris status nobilitatem, ne quis in aliquo prędictorum eum considerans veneraretur; & ne ex hoc in cor eius aliqua superbia irrepere posset. Factus est igitur inter Fratres stultus, vt à Deo instrueretur: Factus est pauper, vt diuitijs cœlestibus ditaretur. Factus est ignotus hominibus, vt à Deo cognosceretur. factus est vilis mundo, vt apud Deum exaltaretur. Conuersabatur enim inter Fratres cunctis vilior, & despectior, sciēs se tanto maioris meriti esse apud Deum, quāto amore eius magis despectus in mundo esset apud homines. Iactantia ac verbum aliquod prioris status nunquam ex ore eius audiebatur. Quæstam, & humiliora seruitia domus, & quæcunque viliora incognitus manens deuotione, & humilitate magna adimpleuit. In ipsa vero sua humilitate gaudens plorabat, quod tantum distulerat suam cōuersionem ad Deum. Liquefiebat anima eius amore supernæ patriæ, pro cuius amore omnia præsentia pro nihilo reputabat. Si quod verbū aliquando causa fraternæ correptionis laberetur ex ore eius, quod aliquando ex zelo boni, & detestatione mali fraterna charitate solitus erat facere, statim seipsum condemnans, ad pedes Fratris prostratus veniam postulabat. Postquam autem vir Dei in illa insula Siciliæ aliquanto tempore fuisset cum Fratribus in magna humilitate conuersatus, contigit quosdam Fratres de Senis ex obedientia Ordinis ad conuentum eiusdem insulæ venire: A quibus cum interrogasset vir Dei de locis Senensis prouinciæ, didicissetque ibidem esse loca eremitica ab hominum habitatione semota, & ad vacandum Deo plurimum apta, obtenta licentia à superiore suo, ad Senensem prouinciam venit, paucis, & vilibus pannis indutus, & Fratribus illius prouinciæ penitus ignotus, positus fuit in quodam eremitorio sanctę Barbarę, quod non longe distabat à Castro de sancta Flora, vbi soli Deo vacabat, tātaque dulcedine deuotionis cor eius affluebat, vt plerumque videretur beatorum agminibus interesse, & beatæ quietis premium degustare. Quia vero non cognoscebatur qualis & quantus esset, imponebantur ei humilia seruitia domus, quæ ipse cum omni humilitate, & alacritate cordis libenter adimplebat. Faciebat quęstas, purgabat domum, paropsides, & alia domus vtensilia abluebat. Fratres autem considerantes eius sanctam conuersatio-

* aliter cōuersationis.

B. Aug. de Terano ex Sicilia pgit ad eremit S. Barb. in pૃuinc. Senē.

uersationem ac verborum ædificationem, quæ nunquam nisi cum quadam simplicitate ex ore eius prodibant, libenter eum audiebant. Erat autem ibidem tunc Prior Frater quidam de Senis vocatus Frater Bonus, vir satis venerabilis, & prudens, qui considerans eius bonitatem &consilia saluberrima, eum multum diligebat, delectabaturque de eius humilitate, morum grauitate, & eloquiorum suorum suauitate. Cum ergo iste Frater Bonus à conuentu sanctę Barbaræ ad locum sancti Antonij per obedientiam Ordinis transferretur, ipsum Fratrem Augustinum secum adduxit, quem etiam sequenti anno factus Prior Rosiæ sęcum retinuit: In quo loco seruus Dei omnibus ignotus diuina dispositione factus est cognitus hac occasione. Cum enim Fratres conuentus Rosiæ quandam haberent in curia quæstionem, in qua iam Fratres ne succumberent, dubitarent, & de hoc nimium tristarentur; cum ex hoc quandam possessionem perderent, de qua conuentus multum sustentabatur, voluit Deus lucernam, quæ diu sub modio fuerat, super candelabrum Religionis ponere, vt luceret omnibus, qui in ea erant. Videns igitur vir sanctus Fratrum animos perturbatos, & cognoscens Fratribus magnam iniuriam fieri, procuratorem adijt petens sibi occulte dari necessaria ad scribendum, procurator vero deridebat eum ignorans quod sciret scribere, vel legere. Ipso tamen perseuerante in petendo, porrexit ei cartham, calamum, & atramentum, Qui secedens ad partem, scripsit verba pauca, licet sententia multa; quam scripturam tradidit Procuratori, aduersario exhibendam: quod & factum est. Cum autem aduersarius, scilicet D. Iacobus de Pagliaresijs hanc scripturam legeret, verborum breuitatem, & sententiæ virtute prægnantē considerans ait: Diabolus, vel Angelus, vel Dominus Matthęus de Terano cum quo ego fui studens Bononiæ, qui mortuus est in conflictu D. Manfredi Regis hanc scripturā condidit (ipse quippe ante ingressum Ordinis Matthæus vocabatur, sed in ingressu Ordinis accepit nomen August.) & audiens à procuratore, quod quidam Frater rusticus, & ignarus eam scripsisset: Non (inquit) ita est. Et statim accedens ad locum Fratrum in Senis, accersito Priore, & Fratribus quamplurimis interogauit quis esset hic Frater, & cuius patriæ, & qualiter accessErit huc, & ex responsionibus fratrum cognitis conditionibus suis, suspicatus est esse illum, qui erat, & statim accedens Rosiam, & videns quem mortuum æstimabat admirans eius humilitatem, ruit in amplexus, & osculum eius, lacrymas continere non valens. Cumque rogaret illum vir Dei, ne eum prodendo pacem suam perturbaret, ille nullatenus acquiescens ad Fratres ait: Fratres habetis thesaurum occultum, hic enim est melior homo mundi: teneatis ergo eum vt decet: Sed & quæstio vestra terminata est pro vobis cœ-

F.bonus trāslatus de loco s. Barbaręad s Antonij duci secum B.Augustinum.

B August. transfeit ad Vallem Rosiæ.

Qua rōne innotuit doctrina B. August. de Terano.

bis. Cœperunt ergo Fratres eum venerari,& sibi reuerentiam exhibere. Sed vir Dei in vera humilitate fundatus, honorem,& omnē reuerētiam respuens, priora seruilia opera non dimittens, omnino sicut prius manebat. Nec inter humilitatis exempla de eodē viro sancto prætermittendum est; quod cum D. Nicolaus Papa iiij. petiuisset à Priore generali. s. Fratre Clemente supra memorato vnum Fratrem sufficientem,& idoneum pro confessore seu pœnitentiario in curia præsentari. Et idē Prior generalis Fratrem Augustinum ignarum quid intenderet, coram summo Pontifice simul cum Cardinalibus in Consistorio existentibus adduceret; Videntes Cardinales despectum habitu, in facie austerum, & rigidum, Generali dixerunt: Ex qua sylua adduxistis eum? Ductus itaque est Frater Augustinus ad pedes summi Pontificis: Cumque Papa imponeret ei manus, auctoritatem suam sibi committens, ita acerrime plorare cœpit, vt Papa,& Cardinales mirarentur: inerat enim appetitus ad eremum redeundi, vt soli Deo, prout solitus erat, vacaret: Summus autem Pontifex, & Domini Cardinales cum cognouissent eius humilitatem, vitæ sanctitatem, & scientiæ ipsius claritatem pio eum venerabantur affectu.& cum quandoque eos iustitiæ zelo fulcitus, non solum obsecrando, sed etiam increpando argueret, patientissime audiebant, Deum in suo famulo venerantes. Tanti enim zeli,& saluberrimi consilij fuit, vt putarentur e cœlo sonuisse verba, quæ sæpe ab ore suo procedebant: Quamquā autē vir Dei sic cogeretur manere corpore in curia summi Pontificis, animo tamen semper in eremo morabatur. Cum autem in eadē curia mansisset pœnitentiarius D. Papæ ferme annis xxij.& Capitulū generale Ord. Mediolani celebraretur, idem Pater venerabilis in eodem capitulo licet absens ab omnibus de capit. in Generalē Priorem Ord. concorditer est electus; Quam electionem ipse acceptare quā plurimum renuit, donec per summū Pontif. ad acceptandum compulsus fuit. Præfuit ergo Ordini multa charitate,& humilitate iustitiæ zelo fulcitus, vt pote humilis in hortando, seuerus in corripiendo, omnibus benignus, licet sibi austerus:& quoniā grauissimū erat ei solitam sui cordis dulcedinē deuotionis relinquere, & curæ aliorum intēdere, postquā duos annos in regimine Ordinis expleuerat, festinauit sarcinam regiminis deponere,& ad Eremitoriū redire. Nam cū ex more Ordinis capit. generale de triennio in trienniū celebrari cōsueuerit, ipse tamen capitulum Neapoli celebrandum per vnum annum anticipauit: In quo capitulo votis omnium electorum suam resignationem acceptare nolentium, sed ipsum potius pro patre, & pastore retinere concorditer postulantium, ipse vsque ad quartam diem inflexibiliter restitit, & nullatenus acceptauit. Demum cum nec per supplicationem

B. August. de Terano instituitur pœnitentiarius in Romana curia sub Nicol. Papa iiij.

B. August. eligitur absens in Priorem Gen. in cap. Mediolani celebrato.

B. August. præuenit tēpus cap. celebrandi, & se abdicat officio Generalatus.

totius

totius capituli, nec per preces regias, qui pręſentialiter eidem capitulo adfuit, poſſet aliqualiter inflecti ad Generalatus officium ſubeundum ex tunc Fratres ſunt coacti eligere ſucceſſorẽ. In eodem cap. idem Rex, deuotus ſcilicet Carolus Pater Regis Ruberti iam Ordinis, quàm illius deuoti viri deuotione affectus Caput beati Lucæ Euangeliſtæ Ordini donauit. Depoſito itaque Ordinis onere, idem pater licet per Dominum Bonifacium Papam viij. vocatus eſſet ad curiam, ipſe tamen ex propoſito eius pręſentiam declinauit: Sed ſtatim omnibus omiſſis ad deſideratam ſolitudinem redijt; & in quodam eremitorio, quod in honore ſancti Leonardi conditum fuerat cum paucis ſibi adiunctis Fratribus ſe recepit, requieſcens ibi ad vmbram diuinæ contemplationis.

Carol⁹ Rex Neap. donat caput S. Lucę Euangel. Eccl. S. Auguſt. de Neapoli.

B. Aug. ſeceſſit in Eremitoriũ. S. Leonardi.

AD CAP. VII. NOTÆ.

a Abſque humilitate.] *Fundamentum eſt omnium virtutum humilitas, vt paſſim teſtatur alibi S. Auguſtinus. Sed quia latiſſimus eſt hic campus, ſufficiet indicaſſe loca S. Baſil. in ſerm. de abdicatione rerum, & in conſtitutio. monaſticis cap. 17. & in duab. orationib. de humilita. S. Ambroſ. ſerm. 20. in pſal. 118. & lib. 10. Epiſt. 84. ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in 5. cap. Matth. S. Gregorius in libris Moralium, & alibi paſſim.*

b Si exempla de humilitate.] *Plura etiam licebit legere apud Marcum Marulum lib. 1. & Andr. Eboren. To. 2. de humilitate.*

De Patientia. Cap. VIII.

SEd quia teſtis humilitatis eſt a patientia, dicente Auguſtino ad Probam virginem; *Perfacile eſt veſtem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum ſuper oculos dimittere; ſed verum humilem patientia oſtendit iniuria.* Vnde etiam ait Ioann. Caſſianus; quod patientia vera abſque profunda cordis humilitate nec acquiritur, nec tenetur, & vera humilitas patientia comprobatur. Idcirco exemplis humilitatis ſunt exempla patientię congrue ſubnectenda. Refert beatus Gregorius in primo libro Dialogorum, de humilitate, & patientia cuiuſdam dicti Conſtantij. Cum enim quidam ſapiens audiens famam eius, veniſſet vt eum videret, & aſpiciens eius perſonam contemptibilem, ait: Ego grandem hominem credidi videre; iſte nihil habet de homine, quod ille audiens gratias egit ei dicens: Tu ſolus es, qui in me oculos apertos habuiſti: *Quanta ergo humili tatis fuit,*

Coll. 8 cap. 13.

1. lib. dial. cap. 5.

ait Gregorius, *qui despicientem se amplius amauit. Qualis quisque apud se lateat contumelia probat.* De mira etiam patientia sanctorum patrum [b] plura exempla scribuntur in Vitaspatrum. Inter alia narratur ibi de quodam Abbate, à quo cum esset quæsitum: quomodo acquisiuit hanc virtutem, vt cum emergeret tribulatio in Monasterio nõ loquebatur. Respondit: Quando intraui, dixi animo meo: Tu, & asinus vnum estote. Sicut ergo ille vapulat, & non loquitur, iniuriam patitur, & non respondet. Sic & tu facias, prout ait Psalm. *Vt inmentum factus sum apud te:*

Patientię exempla.

in Vitaspat. par. 4. Qũo in Cœnobiis viuẽdum sit.

Psal. 72.

Item de Fratre iuuene, qui expulsus de domo per senem exibat, reuocatus veniebat, & iterum expulsus exibat, & sedebat foris humiliter expectans: Et aperiens senex ianuam, & inueniens eum per omnia æquanimiter patientem, egit pœnitentiam apud eum, dicens: tu pater meus es: humilitas, & patientia tua vicit pusillanimitatem meam, à modo tu senex, & pater, & ego iuuenis, & discipulus, quoniam opere tuo superasti senectutem meam.

Item Philosophi aliquando volebant probare Monachos; & transeunte vno dicebant ei: Tu Monache, male senex veni huc, ille vero cursim venit; & cœperunt ei alapas dare; at ille conuertit & altam maxillam. Tunc Philosophi surrexerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Ecce verus Monachus; & fecerunt eum sedere in medio sui, & interrogauerunt eum dicentes: Quid plus facitis nobis in solitudine ista? Ieiunatis? & nos ieiunamus; castigatis corpora? & nos castigamus. Sed & quicquid facitis, nos etiam facimus. quid ergo plus facitis sedentes in Eremo? respondit ei senex, In gratia Dei superamus vos, & mentem nostram custodimus. Et illi dixerunt: nos hoc custodire non possumus: & ædificati dimiserunt eum. Simile quodammodo exemplum humilitatis & patientiæ vidi de Fratre Ioãne de Lana viro vtique probatæ religionis, qui fuit baccalarius in Theologia, legerat enim sententias Parisius, & fuit actu Prior meus Bononiæ, quando accidit quod narro. Quidam Nobilis genere, sed ignobilis moribus, vel scelere, intrans conuentum Bononię cum suis complicibus; & videns Priorem deambulantem in claustro, quoddam exegit ab eo, quod conuentui non expediebat, cumque Prior hoc sibi denegaret, ille stomachatus, Priori alapam dedit ad maxillam, ita fortem, quod cecidit ante pedes suos. ille vero, tam pedibus quàm manibus eum conculcare cœpit, sed Fratres accurrentes, compescuerunt illum, Prior vero eleuans se, stabat super genua sua, exhibens sibi alteram maxillam, & dicens: domine percutite quantum vobis placuerit, quod videns ille, obstupuit, & recessit. Quam sceleratam iniuriam Prior ipse, tam patienter sustinuit quod

De B. Fratre Ioan. de Lana.

de hoc

de hoc nunquam aliquod verbum querulosum ab eo auditum fuit, aliàs tamen Ordo illam iniuriam reuocauit ad animum, & emendam de ea exegit condecentem.

Aliud etiam patientiæ exemplum in eodem felicis memoriæ uiro accidit me præsente. Cum enim idem Prior in Capitulo suo quosdam de eorum negligentijs corripuisset; surgens vnus quosdam illatos articulos contra ipsum Priorem recitauit, dicens ipsum excommunicatum, & irregularem, nec pro Priore eum haberi debere. At ille quam uis defensiones legitimas de iure Ordinis habuisset, sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum; sed pro pace sua, & aliorum de conuentu recedens obiurgationi cessit, & ad locum sancti Bartholi secedens, ibidem in humilitatis Spiritu stetit, orationibus, & ieiunio uacans, & iudicium Prioris generalis cum patientia expectans; Vbi ego ipsum cum socijs meis pro sui consolatione, & reuerentia, & profectu nostro pluries visitauimus, & nullum vmquam impatientiæ verbum ab ipso est auditum: Demum, & si non immediate, tamen non multo post idem Pater eidem conuentui præfectus est iterum in Priorem cum maiore honore suo; cui multis annis laudabiliter, & vtiliter præfuit; vt effectus demonstrauit.

Est etiam tertium de eodem viro non minoris excellentiæ exemplũ humilitatis. Quia cum ipse baccalarius in sacra Theologia fuerit per omnia sufficiens, & valens; adueniente tempore suæ præsentationis, ex humilitate, & ex zelo quem habuit ad conuentum, cui præfuit, & cui vtique suam absentiam non mediocriter dispendiosam prospexit, spõte dignitati, & statui magisterij renunciauit, contentus in statu humiliori Deo, & Ordini vtiliter deseruire magis quàm in sublimiore statu super titulo honoris efferri. Ipse enim tempore sui regiminis conuentum illum in ampliatione arearum, & in ædificatione domorum notabiliter emendauit; & non solum murorum constructione, sed & morum compositione, ac disciplinæ manutentione: victus quoque conuenientis ministratione conuentum laudabiliter gubernauit. Hic vir tam præclaræ famæ, & tam syncerae fidei, & tam sanctæ conuersationis fuit, vt nonnulli secularium hominum fidem suam nomine eius astruerent, iurantes per Fratrem Ioannem de Lana. Qui tandem bonis operibus plenus, in bona senectute in Bononia emigrauit, bona Domini in terra viuentium visurus.

Fuit & alius magnę reuerentię vir, & sanctitatis eiusdem Ordinis Frater Simon de Tuderto lector, & olim Prior prouincialis, & localis in pluribus locis: hic à quibusdam ęmulis suis grauiter delatus fuit apud Priorem generalem in capitulo generali me pręsente, licet ipse

De B. fratre Simone de Tuderto.

fuerit absens, propter quas delationes taliter qualiter deductas multa incommoda grauia, improperiaq; calumniosa perpessus est. Sed ipse sciens quia scriptum est: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*: cuncta sibi intentata, & illata grauamina propter eum, qui pro nobis contumelias, & terrores passus est à suis calumniatoribus sustinuit patienter: qui tandem Bononiam in prędicatorem destinatus, sicut gratiosus in sermone, populum Dei, & verbo doctrinę copiose instruxit, & exemplo vitę salubriter illustrauit. Hic suum obitum ante in publica prędicatione prędixit, & sic felici exitu vitam terminauit; qui etiam nonnullis miraculis coruscauit. Ex prędictis liquet exemplis qualiter humilitas, & patientia charitatem, & cócordiam corroborant inter Fratres; Ná si pręfatus Frater Simon de Tuderto se ad defensioné viriliter posuisset, talis homo qualis ipse fuit totam suam prouinciá, immo magnam partem Ordinis commouisset & varia disturbia suscitasset. Si etiá Frater Ioan. de Lana voluisset suis obiurgationibus obstetisse, vt potuisset, non est dubium quin adhęsionem multorum Fratrum cóuentus, & studij habuisset; & sic diuisio, & partialitas forsitan in conuentu suborta fuisset indelebilis. Sed ipsi sicut veri sancti maluerunt humiliter, & patienter in se iniurias sustinere, quàm disturbia propter se concitari; multorum enim discordię vnius patientia pręcauentur, sicut etiam concordia vnius interdum pusillanimitate disrumpitur, vt dicit Ioan. Cass. Sed sicut idem ait, multi æstimant se habere humilitatem veram, & nó habent nisi vmbram.

Luc. 21.

Coll. 18. c. 13.

Vnde is autor in Collat. Patrum narrat, quod cum quidam Frater iuuenis venisset ad Abbatem Serapionem, summam sui abiectionem habitu, & verbis prętendens, hortabatur eum senex, vt secundum morem orationem faceret, ille autem dicens se peccatorem, & ipso monachi habitu indignum, non acquiescebat: voluit etiam pedes eius lauare; sed ipse tantis se inuolutum flagitijs asseruit, vt nec vsum quidem communem huius aeris capere mereretur: Fecit autem ipsum comedere: Cum comedisset cœpit senex in charitate eum monere, dicens: fili, cum sis iuuenis, & robustus non expedit tibi sic vagum, & otiosum instabili leuitate discurrere; sed si vis proficere, permane in cella tua, & attende tibi ipsi, & operi manuum tuarum. Ille autem hęc audiens, ita exacerbatus est, vt & vultum mutaret. Dixit ergo ei senex: O fili, vsquemodo dicebas, peccator sum, & teipsum accusabas tanquam indignum etiam sic viuere: & quia te commonui, ita exacerbari debuisti? Si vis autem vere humilis esse, quę tibi ab alio inferuntur disce portare viriliter; & noli otiosa verba effundere. Hęc audiens Frater pœnitentiam gessit coram sene; & multum emendatus discessit.

Coll. 18. c. 11.
Vit. Pat. par. 2. De patientia.

Item

Item exemplũ in Vitaspat. ad idẽ de quodã Fratre moderni tẽporis, qui cũ in pręsentiã plurium verbis se multũ humiliaret, dicẽs se esse peccatorẽ, & hominem vilem, & indignũ, & huiusmodi: alter Frater respõdit: Tu dicis verũ. Tunc ille indignatus qa sic sibi respõdisset, verbis duris eum inuasit. Iste autem dixit: Quid voluisti quod ego dicerem? Nunquid debui tibi dicere: Tu mentiris? Absit, vt sic irreuerenter tibi loquar: Nunc autem quia dixi tibi: verum te dicere, cur inde turbaris? Vnde dixit Abbas Serapion, qui supra, quod vera humilitas est corde retinenda, quæ non de affectata corporis, atque membrorum, sed de intima mentis humilitate descendit, quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ fulgebit indicijs, cum quis non ipse de se crimina ab alijs non credenda iactauerit, sed ab alijs sibimet arroganter ingesta contempserit, & irrogatas sibi iniurias mansueta cordis stabilitate tolerauit.

Citetur locus forsan est par. 2. de patientia citatus pauln superius.

Est autem sciendum, quod veræ humilitatis, & patientiæ multi sunt gradus, scilicet vigintiunus, in quibus se exercitare debent Religiosi; quorum primos duodecim assignat beatus Benedictus in Regula sua; sequentes septem assignat beatus Anselmus in lib. de similitudinibus. Vltimi duo ponuntur in Glossa super illud Matth. iij. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Primus gradus est, Corde, & corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram aspectibus. Secundus, Pauca verba, & rationabilia, non clamosa voce proferre. Tertius, Vt non sit facilis ad risum. Quartus, Taciturnitas ad interrogationem. Quintus, Tenere quod habet communis monasterij Regula. Sextus, credere, & pronunciare se omnibus viliorem. Septimus, Ad omnia indignum, & inutilem se confiteri, & credere. Octauus, Confessio peccatorum. Nonus, Pro obedientia in duris, & asperis patientiã amplecti. Decimus, Cum obedientia se subdere maiori. Vndecimus, Voluntatem propriam non delectabiliter adimplere. Duodecimus, Deum timere, & memorem esse omnium, quæ præcepit. Tertiusdecimus, Cognoscere se contemptibilem esse. Quartusdecimus, Dolere se contemptibilem esse. Quintusdecimus, Recte consulere omnibus. Sextusdecimus, Hoc persuadere. Decimusseptimus, Pati de se non recte dicta. Decimusoctauus, Pati contemptibiliter tractari. Decimusnonus, Hoc amare. Vigesimus, Subdere se æquali, nec præferre se minori. Vigesimusprimus, Subesse minori, In quo impletur omnis iustitia.

Gradus veræ humilitatis. S. Bened. in Reg. cap. 7.



A D

AD CAP. VIII. NOTÆ.

a Est patientia.] *Conscripsit diuinum planè librum S. Cyprianus de bono patientiæ, quod ipsum fecit etiam S. Aug. De illa vero auctoritate agit S. Tho. 2. 2. q. 136. ar. 1.*

b Plura exempla.] *Multa etiam habes apud Baptistam Fulgosium lib. 3. & Eboren. To. 2. de patientia.*

De superbia spirituali, qua viri religiosi, siue in Congregatione, siue in solitudine viuentes perniciosissime impugnantur.

Cap. IX.

SIcut autem Fratres in Congregatione viuentes sæpe superbia impugnantur, & nisi scuto humilitatis sint muniti, lites, & discordiæ plurimæ suscitantur; quia (vt supra dictum est) auctoritate Augustini, vbi superbia fuerit, ibi discordia dominatur; & propter huiusmodi discordias plerunque nonnullos à religione apostatare contingit: Sic in solitudine degentes sæpe superbia spirituali tentantur, & si vera cordis humilitate armati non existant, hostis subintrans virtutum collegium dissipat, & nõ nunquam à salutari proposito viros sanctos cadere facit. Istud etiam vitiũ superbiæ spiritualis ita subtiliter impugnat, quod etiam ab oculis perspicacissimis præuideri, & caueri vix potest: Vnde cum putatur extinctum, tunc sua morte contra ipsum suum victorem validius conualescit, vt dicit [a] Ioan. Cassianus in Collationibus Patrum: Et hoc est quod dicit præceptor noster in Regula: *Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur vt pereant*. Insidiatur, inquit, quia superinduit pellem virtutis, sicut ostendit idem Augustinus, super Ioannem homilia viij. sic dicens: *Videte Fratres quanta opera, & quam similia, & quasi paria charitati facit superbia. Pascit esurientem charitas, pascit & superbia; vestit nudum charitas, vestit & superbia; ieiunat charitas, ieiunat & superbia: Sepelit mortuos charitas, sepelit & superbia; Omnia opera bona, quæ vult facere charitas, & facit, agit contra superbia: Charitas vt Deus laudetur, superbia, vt ipsa laudetur.* Vnde idem Pater Fratres suos in eremo maximè docuit fugere superbiam in sermone

In Epist. Ioan. Tr. 8.

quodam, qui sic incipit: *Nihil sic Deo placet, Fratres carissimi, quemadmodum obedientia:* Et ibi subdens, dicit: *Denique de Fratribus ista loquor, qui solent sedere longius à monasterijs: Non eis debet nasci superbia de exemplo: In cœnobio vixisti; placuit tibi vt maneres in decimo milliario, non debes synaxim sanctorum Patrum contemnere: non te ideo æstimes viliorem si ad Fratres veneris.* Et subdit: *O vos, qui manetis in deserto, cuilibet vestrum dico: Aut melior es Fratribus, qui sunt in cœnobio, aut peior es: Si melior es, veni vt exemplum vitæ præbeas. si autem deterior es, veni vt discas, quæ nescis. Superbia dicitur quando aliquis dicit se in secreto sedere, & Fratres non dignatur videre, & visitare. Quando ergo seniores, qui regunt animas sanctorum aliquas viderint ire ad deserta, & ad cœnobium non venire; & in superbia esse, vadant, & adducant eos, non vt eis noceant, sed vt tollatur superbia.* [b] Hæc Augustinus. To.9.Serm. de obed. & humilitate.

Exemplum ad hoc in Vitaspatrum circa principium de quodam monacho, qui fuit vir miræ abstinentiæ, in orationibus die noctuque persistens, cunctisque animæ virtutibus florens. Sed hic lętis successionibus elatus quasi in profectibus suis confidere cœpit, & non Deo totũ, sed sibimetipsi quod profecerat deputare; Ad quem diabolus in specie decoræ mulieris accedens, pernoctansque apud eum, animum ipsius viri in affectum sui illecebroso amore deflexit at: vbi obscœnos iam conabatur inire complexus; ille vlulatum deterrimum diræ vocis emittens vmbra vt erat tenuis per manus amplectentis elabitur ipsumque fędissima derisione deseruit. Tunc multitudo dæmonũ in aere cum cachinno clamauit: O, inquiunt, monache qui te vsque ad cœlum extollebas, quomodo demersus es ad infernum? Tunc ille valde amens effectus deceptionis suæ pudorem non ferens, regressus est ad seculum præda dæmonum effectus. In Vitasp. par. 1. De Monacho superbo.

Item ibidem de alio monacho in omni spirituali exercitatione perfecto, ita quod etiam cęlesti cibo pascebatur in deserto, qui quoniam gloriabatur de meritis suis tanta desidia tepere cœpit, tantoque incendio libidinis inflammatus est, vt raperetur redire ad seculum: Cumque exiens cellam suam vagaretur per eremum, hospitatus in cellula quorundam Fratrum, & rogatus sermonem facere de effugiendis laqueis diaboli, in ipso suo sermone compunctus rediens ad cellam suam pœnitentiam egit, sed cœlestis mensæ beneficium non recuperauit.

Erat quidam Frater nostri temporis magnæ austeritatis, & singularitatis vir, qui prætendens maiori velle perfectioni vacare de licentia sui Prioris cellam sequestratam à consortio Fratrum habuit, in qua residens aliquibus annis Deo seruiens solitarie vixit; vnde ab hominibus

venerari cœpit quasi sanctus: In cuius corde tantam sator malorum superbiam seminauit, quod ipse Fratres alios despiciens, se solum magni aliquid æstimauit: intantum quod ipse dixit, & scripsit se à Deo vocatum, & electum, & dilectum Dei, & * præmium * beatæ Virginis multa talia arrogantiæ verba de seipso scribens. quem libellum de manu sua scriptum ego post mortem suam vidi. Hic Frater non tam gloriticum vitæ suæ exitum habuit sicut Frater Ioannes bonus; nimirum cum in vita non fuerit sibi similis. Et licet multa bona opera fecerit, tamen propter superbiam suam Deo grata non fuerunt: Quia (vt dicit beatus Gregorius, in primo Dialogorum libro: Multa videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt, nam finis operis probat, quod munda intentio in operatione non fuerit. Antiquus quippe hostis maxime solitarijs insidiari non cessat, vt eorum bona opera superbiæ toxico inficiat, & extinguat. De hoc habes supra libro primo capitulo iiij. in fine, & capit. v. Propter quod beatus Augustinus Fratres in eremo hortatur in quodam sermone dicens: *Fratres mei, non decet seruos Dei in eremo constitutos superbos esse. Cauete igitur, & vigilanter attendite, ne superbia inflemini de bonis commissis, scientes, quòd superbia de Angelis bonis dæmones fecit. O, Fratres mei, cauete ne orantes, vel quicquam agentes dicatis in ore, vel in corde cum pharisæo: Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri hominum; Hoc enim solitariam vitam ducentes sæpe cogitant, sæpe hoc dicere tentamur ab inimico seruorum Dei, potius enim volo vos eremum exire, quam talia dicere, vel cogitare; sed dum tentamini, hoc asserite, & de vobis ipsis cogitate; mox clamate; mox vlulate & dicite: Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis, & cum publicano quibuscunque virtutibus ornati: Deus propitius esto mihi peccatori:* Vel forte sperandum est, quod Deus misericors præfati Fratris opera grata quidem habuit, sed per superbiam suæ singularitatis per ingloriosam mortem expiare voluit. Sed huius rei iudicium illi, cuius iudicia abyssus multa sunt, committamus. Exemplum ad hoc familiare habemus adhuc infra libro eodem cap. xiij. ibi: Est autem aduertendum. Sed hoc vnum documentum ex præmisso elicimus exemplo, quod in Congregatione cœnobitica singularitas detestabilis est, & vix sine superbia spirituali esse potest: & de hoc plenius habes infra lib. iiij. cap. xij.

* aliter præuium.

De B. F. Ioan. bono.

1. Dial. c. 9.

Serm. 12. ad Fratres.

psal. 21.

Luc. 18.



A D

AD CAP. IX. NOTÆ.

a Ioan. Caſſianus in collationibus.] *Non potui reperire locum, ceterum de hoc vitio fuſius agit idem Caſſianus lib. 12. inſtitut. renunciat. paſſim.*

b Hæc Auguſtinus.] *Et idem ſanctus Auguſtinus in lib. de nat. & grat. omnia vitia in malefactis docet valere: ſolam ſuperbiam etiam in recte factis eſſe cauendam, cui conſentit ſanctus Gregorius moral. lib. 34. cap. 18. & S. Hieronym. Superbia, inquit, in cinere, & cilicio latet & Epiſt. 32. & 45.*

c Prœmium.] *Non congruit lectio, neque etiam præmium, forte legendum, præelectum, vel prædilectum.*

De correptione Fraterna. Cap. X.


D charitatis etiam officium correptio fraterna pertinet, quę fieri debet cum dilectione hominum, & odio vitiorum, De qua præceptor noſter in Regula ita ſcribit: *Et ſi hanc, de qua loquor oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim ad monete, ne cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem poſt admonitionem iterum vel alio quocunque die idipſum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat quicunque hoc potuerit inuenire: Prius tamen eſt alteri, vel tertio demoſtrandum, vt duorum vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos quando hoc indicatis; magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari dum timet ſecari, nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde? Sed antequam alijs demonſtretur per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, prius præpoſito debet oſtendi ſi admonitus neglexerit corrigi, vt forte poſſit ſecretius correctus non innoteſcere cęteris: ſi autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alij etiam coram omnibus, vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus vero ſecundum præpoſiti, vel etiam presbyteri, ad cuius diſpoſitionem pertinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam, quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione*

pestifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cęteris inueniendis, indicandis, prohibendis, iudicandisque peccatis diligenter, & fideliter obseruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Ecce quàm bene, & clare Pater noster nobis exprimit formam correptionis fraternæ, quæ per omnia concordat cum forma Euangelica, & Apostolica, dicitur enim in Euangelio: *Si peccauerit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris Fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum duos vel tres, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum.* Apostolus vero ait: *Si praeocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Igitur in correptione fraterna est isto modo procedendum. Primo admonendus est frater inter te & ipsum in charitate secrete, & si se correxerit, bene. Sin autem, referatur Præposito, idest Prælato * immediate, ad quem pertinet correctio, & sibi soli, non propalando crimen Fratris vlterius, vt si forte adhuc Frater vellet se emendare, maneat secretum apud Prælatum. hæc est enim intentio beati Augustini, quod quantum est possibile delictum fratris maneat occultum, dummodo velit se emendare, propter quod dicit: vt forte possit secretius correptus non innotescere cœteris: vbi quidam libri habent: ne forte; & male, quia intentio Augustini est, vt non innotescat cæteris in casu, quando Frater vult se emendare, & quod tunc secretius corrigatur. Vnde legitur in Vitaspatrum, quod quidam Frater interrogauit Abbatem Pastorem dicens: Si videro culpam Fratris mei, bonum ne est celare eam? dixit senex: Qua hora tegimus peccatum Fratris nostri, tegit etiam Deus nostrum; & qua hora prodiderimus culpam Fratrum, prodit Deus & nostram similiter. Deinde tertio gradu si negauerit, seu se emendare non curauerit, tunc est alijs denunciandum per quos possit conuinci: & tunc denuncietur, & prodatur in publicum, idest, proclametur in capitulo, & competenti seueritate coerceatur, secundum arbitrium Prælati, vt ait Augustinus. Cum dolore enim abscindenda sunt vulnera, quæ leuiter sanari non possunt. Caueant ergo Fratres, ne hoc ordine prætermisso quemquam deferant, vel denuncient contra formam Euangelij & Regulæ nostræ. Est autem aduertendum, quod secundum iura triplex est denunciatio: scilicet, Euangelica, Canonica, & Regularis. Euangelica est de qua Matth. xviij. *Si peccauerit in te frater tuus*: vt supra, & requiritur in hac denunciatione duplex monitio, vt ibi patet. Et de hac habetur ij. quæst. 1. Si peccauerit, &c.

[Margin notes: Matth. 13. — Gal. 6. — * aliter immediato — Textus mẽdosus corrigitur. — In Vitasp. pa. 2. lib. qd nõ oportet iudicare quẽquam. Abbatis pastoris sentẽtia. — Denunciatio triplex.]

Canonica est quæ fit de crimine publico. De hac habetur capitulo Qualiter & quando. Extra de accusation. Et cap. licet Heli. de simonia.

Et est

Et est differentia inter Euangelicã denunciationem & canonicam, quia Euangelica requirit duplicem monitionem, Canonica vero triplicem, & ista fit ad pœnam; illa ad pœnitentiam.

Regularis denunciatio est, quæ fit secundum formam cuiuslibet Ordinis, qualis est hęc de qua loquimur hic, de Regula beati Augustini: Et differt hęc forma denunciationis regularis, quæ est secundum Regulam beati Augustini ab Euangelica, quia in illa requiritur duplex monitio, vt dictum est: in hac autem regula debet interuenire triplex monitio antequam fiat denunciatio publice in capitulo, vt visum est. Differt autem hęc regularis a canonica, quia ista fit ad pœnam, illa ad pœnitentiam, & pœnam. & hoc est quod subdit Augustinus: *Debet emendatoriam subire vindictam*: Et sequitur, *quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur*: Quod non est sic intelligẽdum, quod Frater immediate sit reijciendus de Ordine, sed gradatim procedendum est. Nam tribus modis aliquis proijcitur de societate Fratrum.

Prius enim Frater proijcitur ad pœnam grauioris culpę; qua Frater excluditur à consortio Fratrum; prohibitum est enim, ne quis se debeat coniungere illi, aut ei loqui, vt iiij. cap. Constit. habetur. Tribus modis Frater eijcitur de societate Fratrum.

Secundus, cum quis incarceratur: Talis enim proijcitur de societate Fratrum, & recluditur in tenebras exteriores.

Tertius est, cum quis sicut ouis morbida eijcitur de Ordine. Sed ad istum tertium non leuiter est procedendum, nisi demum cum frater est incorrigibilis, ita quod de eius emendatione desperetur.

Legitur in Vitaspatrum, quod cum quidam Frater offendisset in congregatione, interrogatus est quidam Anachorita, quid de eo faciendum esset: At ille dixit: Expellite eũ. Expulsus vero Frater misit se in carectũ plangens, & dolens, quod cum nunciatum fuisset Abbati Pastori, misit pro eo, Qui cum venisset ad Pastorem, osculatus est eum adgaudens ei, & rogabat eum vt cibum sumeret. Misit autem Pastor ad illum Anachoritam rogans vt ad se veniret, quo veniente, dixit ei Abbas Pastor: Duo homines erant in loco vno, & ambo habebant mortuos, reliquit autem vnus mortuum suum, & abijt plorare mortuum alterius, Audiens Anachorita compunctus est in sermone eius, & quod fecerat recordatus dixit: Pastor, tu sursum in cœlo, ego autem deorsum in terra. Vitasp. par. 2. lib. ꝙ nõ oportet iudicare quẽquam. Pastoris Abbatis sentẽtia.

Sunt autem nonnulli, vt dicit Vgo, qui aliorum redarguunt culpas, non tam vt eas corrigere velint; quàm vt odium quod in corde gestant exercere possint: Fieri ergo debet correptio fraterna non ex ira, vel rancore, sed potius cum dulcedine, & charitate: Et si aliquando culpa exigente sonet in voce asperitas, semper tamen maneat in mente lenitas. Vgo in exposit. Reg. vers. Hinc idem.

Vnde

Gal. 6. Vnde Apostolus cum dixerat: *Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis,* subiunxit: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

Ser. 14. ad Fratres. Vnde beatus Augustinus in serm. De iustitia ad Fratres eremitas sic ait: *Ad nos Fratres pertinet mundos esse, & sanctos: & si tunc Fratrem nostrum peccare videmus, reprehendere eum cum omni solicitudine debemus, ne per nostram negligentiam pereat: Charitas enim non rancoris, sed zelo iustitiæ gladium correptionis euaginare debet.* Hęc ille.

par 2.5.130 In Vitaspatrum legitur, quod quidam Anachorita audiens quendam Fratrem deliquisse, interrogante ipsius Abbate quid illi faceret, dedit consilium vt eum expelleret de cœnobio. Cum ergo ille expulsus fuisset, statim tentatio venit super alium Anachoritam, & cum ploraret in conspectu Domini, & diceret: Miserere mei. Venit ad eum vox dicens: Ideo hæc causa venit, quia Fratrem tuum in tempore tentationis deseruisti. Non frustra Beatus Augustinus vult Fratrem, si fieri potest, secretius corrigi, sciens quod nonnulli ex publicatione delicti non emendantur, sed plerumque in deterius ruunt.

par. 2. 128. Exemplum in Vitaspatrum de quodam Fratre, cui culpa acciderat in cœnobio, & dum culpa sua manifestaretur, & ab omnibus increparetur, profectus est ad Abbatem Antonium, & insecuti sunt eum Fratres, volentesque eum reducere, cęperunt culpas eius exprobrare; Ille vero fecisse culpam denegabat, inuentus est autem ibi Abbas Paphnutius, qui talem retulit auditam in congregatione Fratrum parabolam. Vidi (inquit) in ripa fluminis hominem vsque ad genua demersum in limo; venientes autem quidam, vt eum porrecta manu extraherent, vsque ad collum demerserunt. Tunc beatus Antonius de beato Paphnutio dixit: Ecce homo qui potest animas ex veritate saluare; quo Fratres sermone illius compuncti, agentes pęnitentiam eum qui discesserat reuocauerunt. Sicut autem huiusmodi correptio in charitate facienda est ex parte corripientis, sic ex parte correpti est in charitate sustinenda. Contra quod faciunt nonnulli, qui dum quantumcunque leniter, & charitatiue admoneantur, ipsi tamen moleste ferentes indignantur, & commouentur. Exemplum de iuuene Fratre illo supra eodem lib. cap. viij. Item exemplum de quodam Fratre alio mihi noto, qui illam habuit consuetudinem, vt quicunque eum pro aliqua negligentia sua quantumcunque charitatiue admoneret, semper aliquam econtrario culpam in monitorem retūdebat, vndecumque eam conflaret: & si dicebatur: Frater, ego dico tibi in charitate, respondebat: & ego in eadem charitate dico tibi istud: sed reuera talis correptio non tam ex charitatis affectu, quàm ex vindictæ fomite procedere videbatur; & si sic grauiter accepit monitionem secretam, qualiter

Paphnutij Abbatis sententia.

acciperet

acciperet proclamationem in capitulo coram conuentu publicam. Sane Fratres olim se mutuo de suis culpis proclamauerunt secundum formam constitutionum, & sic proclamati in charitate hoc humiliter susceperunt exemplo antiquorum Patrum, qui etiam falsa eis incriminata humiliter sustinuerunt, & se peccatores fore dicentes tamquam rei vltro pœnitentiam portauerunt: sicut de sancta Marina legitur, quæ se pro monacho gerebat, & cum inculparetur de impregnatione cuiusdam puellæ, respondit se peccasse, & eiecta est de monasterio, & multam pœnam, & pœnitentiam sustinuit. In Vitaspat. Par. 1. in vita s. Marinæ

Item in Collationibus Patrum legitur de beato Paphnutio, quod quidam Frater pestifer die dominico cum beatus Paphnutius in Ecclesia esset, cellam eius ingressus codicem suum ibidem latenter abscondit, & post hoc sancto Isidoro coram omnibus querelam detulit, asserens se suum codicem perdidisse. Et cum cuncti mirarentur de tanti sceleris nouitate; ille qui querelam detulerat hoc iudicium protulit; vt cunctis in Ecclesia detentis cellæ singulorum scrutarentur; quo facto codex in cella Paphnutij est inuentus; quem cum inuentum coram omnibus protulissent, Paphnutius licet in conscientia immunem se agnosceret, ad satisfactionem, & pœnitentiam se humiliter obtulit. Cumque de ecclesia rediens profusis in oratione lacrymis cum summa humilitate, se coram omnibus prosternens de illo facinore veniam postularet, & die Dominico se à communione subtraheret, seque in limine posterneret pro uenia postulanda, ille patrator facinoris à diabolo arreptus cunctas fraudis suæ insidias patefecit. Collat. 18. cap. 15 De B. Paphnutio.

AD CAP. X. NOTÆ.

a De correptione Fraterna.] *Licet verba hæc correptio, & correctio, promiscue capiantur, & vsurpentur, diuersa tamen sunt. correptio enim admonitio est, quæ correctionem præcedit, nam correctio finis est correptionis, vt videtur docere sanctus Augustinus li. 1. de Ciuit. Dei cap. 9. Et apud latinæ linguæ peritos apertissima est inter duo hæc nomina differentia: Licet aliter ea distinguat sanctus Thomas in 4. dist. 19. quæst. 2. Porro de correctione fraterna, & denunciatione, illiusque ordine, præter ea quæ traduntur à sanctis Patribus in cap. 18. Matth. agit fusius sanctus Thomas 2. 2. quæst. 33. Domini. Sotus lib. 5. de iust. & iure quæst. 6. ar. 2. & tractatu de ratione tegen. & detegen. secret. memb. 2. quæst. 1. cum alijs seqq. præsertim quæst. 5. Summistæ omnes ver. Correctio. Nauar., in Enchiridion confessariorum cap. 24. num. 12.*

b Proijcitur de societate Fratrum.] *De hac Fratrum eiectione, & ordine in ea seruando, videndi sunt Inno. Host. Card. Panorm. & alij in cap. vltimo de regularibus. Ancharanus, & Henric. Boich. in cap. cum in Ecclesijs. ad fid. de maioritate, & obedientia. Archid. in capit. Abbates 18. quæst. 2. & in cap. peruenit 27. quæst. 1. Federicus de Senis Consil. 38. sancti Antoni. part. 3. tit. 16. cap. 7. Turrecremata ad regulam sancti Benedicti cap. 28. tract. 87. Tabien. ver. religio. §. 26. num. 27. Syluest. ver. Apostasia, num. 6. Nauar. in cap. Non dicatis. 12. quæst. 1. num. 68. Alfonsus Casarub. in compendio priuileg. ver. Eijcere. & Eiecti. S. Basil. regul. breuior. 57. & in regul. fusius disputa. interog. 28. omnium pulcherrime S. Bouent. quæst. 14. in reg. Fratrum Minor.*

De charitate erga Fratres infirmos exercenda. Cap. XI.



EXigit fraterna charitas, vt fortiores imbecillitatem portent infirmorum. Ideo ipse pater, & præceptor noster singulariter prouidet Fratribus infirmis, ostēdens qua charitate [a] tractari debeant, ait enim in Regula sua: *Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, &c.* & post: *Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauiter, &c.*

Item post: *Lauacrum etiam corporis cum infirmitatis necessitas cogit, &c.* Et iterum post: *Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, &c.* Et attende quod totiens replicat de infirmis, ostendens sibi cordi esse, vt debita solicitudo circa eos habeatur, sciens quod illi deseruitur in eis, qui dicturus est: *Infirmus fui, & visitastis me.* (Matth. 25.) Fecit vir sanctus, quod docuit: legitur enim, quod ipse ægrotantes libenter visitauit, & multos eorum facta oratione, & manus impositione sanauit.

(Exēplum. par. 2. De charitate.) Legitur in Vitaspatrum, quod quidam Frater interrogauit quendam senem, dicens: Si duo Fratres sunt, ex quibus vnus quiescit in cella sua protrahens ieiunium sex dierum, & multos sibi labores imponens, alter vero infirmantibus deseruit: Cuius opus magis acceptum est Deo? Respondit ei senex: Si Frater ille, qui sex dies ieiunium protrahit, appendat se per nares, non potest æqualis esse illi, qui infirmantibus deseruit. Et si aduertimus seruire infirmis est seruitium Angelicum Angelorum enim est seruire Christo: & infirmus Frater repræsentat Christum.

(Aliud Exēplū. pa. 2. 5. 145.) Vnde in Vitaspatrum legitur, quod Deus misit Angelum ad ministrandum

ſtandũ ſeni infirmo non habenti qui miniſtraret ei, miniſtrauit autem ei ſeptem diebus, poſt quos cum Fratres ſuperuenirent ad viſitandum eum, Angelus receſſit. Et cum iſte dixiſſet Fratribus, quę ei acciderant per Angelum, dormiuit in pace.

Item ibidem legitur de alio ſancto Ioanne minore, qui duodecim annis ſeruiuit cuidam ſeni, & cum ſenex vidiſſet eum laborantem, nunquam illi ſermonem placidum loquutus eſt: quando autem iam moriturus erat coram reſidentibus ſenibus loci tenuit manum eius, & dixit: Sanus ſis, ſanus ſis, ſanus ſis, & tradidit eum ſenibus dicens: Hic Angelus eſt, non homo, qui tot annis mihi infirmanti ſeruiuit, nec bonum ſermonem à me vmquam audiuit.

Item eſt exemplum in magiſtro Henrico de Vrimaria, qui omni die finita Miſſa ſua, & orationibus, quas præter Miſſam Deo ſoluere ſolitus erat, expletis; infirmos, ſi qui erant in loco, viſitabat, quos dulci alloquio confortabat, & quia in iudicijs medicinæ optimam induſtriam habuit, non dedignabatur eorum pulſus tangere, vrinas inſpicere, & alia ſigna pronoſticationis ſolerter exquirere, & præter verbales conſolationes nonnunquam medicos aduocans, etiam realia remedia de rebus ſibi ad vſum conceſſis eis charitatiue miniſtrauit. Tantam denique pietatis humanitatem ad infirmos habuit, vt ſæpe cibum, vel potum, quem infirmus perhorrebat, ipſe prior quaſi credentiam faciẽs coram eo ſumeret; vt vel ſic infirmus audacius, & libentius ſumeret quod miniſtrabatur. Quadam etiam die, cum quidam Frater de lepra haberetur ſuſpectus, ac per hoc Fratres eum omnes horrentes, nemo cum eo comedere, vel bibere vellet, iſte Dei famulus Fratrem illum examinans, cum eum immunem à tali infectione comperiſſet, vt Fratrum imaginationi ſatisfaceret, eumdem Fratrem apud ſe in menſa collocauit, & ſecum de ſcutella ſua comedere, & de vaſculo ſuo bibere fecit; vt vel ſic minus abominabilis Fratribus redderetur. *De magiſtro F. Henrico de Vrimaria.*

Item exemplum de beato Nicolao de Tolentino, qui & ipſe infirmis multum compaſſiuus erat, & frequenter eos viſitabat, immo tanta pietate afficiebatur, quod cum ipſe ex plagis, & verberibus multiplicibus ſibi à diabolo inflictis ſine baculo ambulare non poſſet, infirmorum viſitationes tamen nullatenus omittebat, quos diuinis, & pijs alloquijs confortabat, immo etiam plures infirmos ex pietate ſanauit. *De S. Nicola de Tolentino.*

Erat vir quidam de Tolentino nomine Leonardus de Apulia, qui vltra mare accedens vxorem ſuam nomine Margaritam grauidam dimiſit, quæ ante viri ſui reditum filium peperit ſanum, & pulchrum, qui non longe poſt mortuus eſt; de cuius morte mater tantum dolorem habuit, quod incidit in talem morbum, quod deinceps redeunte viro *B. Nicolai De Tolent. aliqua miracula.*

cum pluries fieret grauida, semper fœtum abortiuum proferret. Cogitans autem illa quod frustra grauidabatur, cum semper abortiuum pareret, gemens, & dolens vehementi tristitia affligebatur. Quod vir sanctus Frater Nicolaus percipiens, eique compatiens, orationem pro ea pluribus diebus fudit, & postea dixit ad illam: Confide filia in domino, nec vlterius lamenteris, quia in breui nascetur tibi filia habens animam à factore meo creatam, de cuius pietate confidens tibi dicere audeo quod ex hac hora filium, vel filiam nunquam paries, que animam non habeat, atque vitam, & sicut vir Dei dixerat, ita euenit: pepetit enim filiam viuam, & deinceps filios semper peperit animatos.

Cuiusdam mulieris quædam fuit filia paruula nomine Ceca tumefactionem sub mento ad modum oui anseris habens, quæ cum nullo medicorum consilio curari posset, prælertim cum tam mater quàm filia incisionem valde abhorrerent, mater mœstitudine repletur, & filia grauissimo dolore torquetur. Quod vir Dei in spiritu cognoscens misit iubens vt puella sibi apportaretur. Baiulat mater filiam, ipsamque offerens viro sancto ait: Vere scio, & credo, quod per te liberabitur filia mea: Qui ait: tace, & de me ista dicere non presumas: roga Deum, suamque matrem sanctissimam, & beatum Augustinum, vt tuam filiam pristinæ sanitati restituat; factoque signo crucis super puellam, & tacto morbo ait: Vade, Dominus meus Iesus Christus det tibi consolationem, quam desideras. Illa vero recedens, & virtutem istius considerans, mox vt fuit domi filiam suam respiciens nullum dicti morbi, & tumefactionis potuit inuenire vestigium. Eidem quoque mulieri natus fuit filius, cuius labia, & non alia membra moueri videbantur, & cum baptizaretur, animam nequaquam perpendere potuerunt, plorat ergo mater. heu (inquiens) misera, quia filium genui, cuius anima damnata est: Cogitur vir sanctus visitare dolentem, vt quod viderat in nocte de filij anima ad matris consolationem recitaret. Eram (inquit) in meo lecto dormiens, & ecce filij anima in manibus meis deponitur, circuncirca autem dæmones terribiles astiterunt tractantes inter se, & dicentes, quia huius anima nostra est; nondum enim baptismum perfecte susceperat cum decessit. Ego autem quamuis fragilem me cognoscerem pro anima meis manibus commendata, Deum supplicaui, vt Angelum salutis ab alto mitteret ad defensionem animæ pereuntis; cuius immensæ pietati placuit Angelum dirigere fortiorem, qui dæmonibus illis eiectis de manibus meis suscepit animam cœlestibus sedibus collocandam, consolare ergo consolare, & de Dei iudicijs

non tur-

non turberis: melius est enim, quod filium genueris cœlo altissimo; quã huic infimo mundo, & quæcunque Deo volente de Dei gratijs in me misero conspexisti, nulli dum vixero audeas vllo modo dicere.

Sane sicut iste vir sanctus in vita sua cõpassiuus fuit infirmis, plures eorum ab infirmitatibus curando; ita compassionem eandem ostendit post mortem suam, multo plures curans mortuus, quàm viuens. Sępe enim dicta mulier totiens virtutem sanctitatis viri Dei experta, cum ipsius non posset habere reliquias, corpore sancto iacente in feretro pedes, atque manus eius deuote lauit, cuius lotionis aquam deuote, & reuerenter in vitro mundo colligens reposuit, quæ multis infirmis causa extitit sanitatis: de qua, & hoc miraculosum fuit, quod per vigintiocto annos seruata nullam vnquam putrefactionem admisit, sed clarissima semper, & incorruptibilis permansit.

In Monte rotundo vir quidam vadens per viam occurrentibus sibi inimicis suis, nec valens manus eorum euadere, petiuit amore Dei, & S. Nicolai sibi vocari sacerdotem confessorem antequam eum interficerent; quod illi sibi denegantes, eum occiderũt recommendante se Deo, & B. Nicolao. Eo mortuo acceperunt corpus, & proiecerunt in lacum calidũ, vbi erat aqua bulliens, & inde scaturiens e terra, in qua eiectione corpus dedit se ad fundũ, & remansit ibi viij. diebus. Octauo die B. Nicolaus venit in habitu suo, & excitauit illum de lacu, à quo ipse exiliens ducente eũ B. Nicolao, venit ad castrũ præfatum de nocte clamãs sibi aperiri portam; qua aperta venit intus in domum suam, vxore, & filijs præ gaudio flentibus, & eum recipientibus; qui posuit se ad lectum, & postulato sacerdote confitebatur, & communicabatur corpore Domini, & inunctione facta fecit testamentum, & sic valedicens vxori, filijs, ac cunctis, expirauit hora tertia, dicto prius quomodo beatus Nicolaus suscitasset eum, custodisset & duxisset ad locũ suum. Quo facto, posito eo in feretro fuerunt ossa candida sine carne, quę reseruata dicuntur pro miraculo vsque in hodiernum diem.

Quidam fuit de Tolentino nomine Magister Thomas, cui natus est filius semimortuus, nec sic cito obstetrices habere poterant aquã ꝓ puero baptizando, quin prius spiritus exhalaret, anima autẽ exhalata (quod horrendum est in natura) remansit caro indistincta membris ad modũ cuiusdã massæ, quæ per manus deducta diuersas sumeret formas. Clamat ergo pater: clamat, & aua nati, & vota sua offerunt *B.* Nicolao, vt à Deo impetraret, ne sic horrendam, & monstruosam rem ipsum, & vxorem suam genuisse diceretur; & quod illa anima non damnaretur, sed vt anima illa reunita corpori membra distincta reciperet. Mirum in modum precibus Sancti anima redditur monstruoso corpori, &

caro membris distincta pulchro suo naturali redditur iuri,& baptismũ sanctum suscepit. Multa alia miracula de eodem Sancto audiui, sed quia distincte non recolo, in genere quędam rememoror sic, quod dicitur plures quàm viginti mortuos suscitasse.

Item de quodam, qui seipsum suspendit, quem beatus Nicolaus in vita conseruauit.

Item de muliere, quæ in vita sua consueuit illi dare eleemosynam, cuius arca frumenti aucta est.

Item, de quodam, qui percussit vxorem, ita quod fibula illi fregit mamillã in partes quatuor, quæ per B. Nicolaũ sanata fuit. Multa, & innumera alia miracula Deus per eundem beatũ virum operatus est, quę vix lingua sufficeret dicere, vel calamus exarare, & operatur hodierna die, de quorum aliquibus est tractatus specialis in fine libri.

Huiusmodi tractatus desideratur.

AD CAP. XI. NOTÆ.

a *Præter hic relata exempla, aliquot etiam reperies apud Marulũ lib. 3. & Eborens. To. 2. de charitate erga homines.*

Tractari debeant.] *S. Benedict. in reg. de infirm. Conc. 1. Mediolanẽ. par. 3. tit. de Præfec. Oxoniense Anglicanum cap. 46. cap. cum ad monasterium, de statu monachorum.*

De patientia, & gratiarum actione infirmorum. Cap. XII.



QVemadmodum autem Fratribus ægrotantibus est cum omni charitate ministrandũ, & in necessarijs subueniendum; ita ab ipsis infirmis impẽsum eis propter Deum seruitium est gratãter cum patientia, & gratiarum actione suscipiendum. Cauere enim debent infirmi, ne sua superfluitate, aut impatientia sibi in charitate seruientes contristent, & cum vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, vt dicitur in Regula. Itaque *a* memores esse debent infirmi, quoniam eo ipso filij Dei esse comprobantur quo disciplinæ Dei flagellis castigantur; quia scriptum est Prouerb. iij. & ad Heb. xij. *Fili, noli negligere disciplinam Dei, neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* In disciplina perseuerate, tamquam filijs offert se vobis Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis. Et hoc idem valde pulchre

chre persuadet Pater noster beatus Augustinus super psal. xxxj. pertractans illud verbum: *Gloriamini omnes recti corde. Illi* (inquit) *sunt recti corde, qui in hac vita sequuntur voluntatem Dei. Voluntas Dei aliquando est vt sanus sis, aliquando vt ægrotus, Si quando sanus es dulcis est tibi voluntas Dei, & quando ægrotas amara est tibi voluntas Dei, non recto corde es. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam; Illa recta est, sed tu es curuus, voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda ad te; & rectum habebis cor. Ne dixeris in corde tuo: Vere non curat Deus res humanas. nec dicas hoc mihi diabolus fecit, prorsus ad Deum refer flagellum tuũ, quia nec tibi aliquid diabolus facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam: ad pœnam impys, ad disciplinam, filijs. Ne te sine flagello futurum speres, ne forte cogites exhæredari, flagellat enim omnẽ filium, quem recipit, vnde etiam ipse vnicus sine peccato, non tamen fuit sine flagello, vide quomodo ipse voluntatem suam direxerit secundum patris voluntatem: Tristis (inquit) est anima mea vsque ad mortem. &: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: ecce ostendit humanam voluntatem, sed vide rectum cor: Verun tamen, non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Hoc ergo fac gaudens in his, quæ tibi accidunt. Bene tibi est in seculo, benedicatur Deus quia cõsolatur: Affligeris in seculo, benedicatur Deus, quia emendat, & probat; & eris recto corde dicens: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et si venerit dies ille vltimus, gaude; aut si subrepit humanæ cuiusdam voluntatis fragilitas, cito dirigatur in Deum, vt sis in eis, quibus dicitur: Gloriamini omnes recti corde.* Hæc Aug. & similia dicit super psal. xxxv. & lxiij. De hoc etiam pulchre valde loquitur Aug. super Canonica Ioan. Homil. vj. & habes infra cap. xix. in fine.

Heb. 12. Matth. 26. Psal. 33.

Vnde in Vitaspatrum dixit quidam senex: Si te præocupauerit infirmitas corporis, noli pusillanimis fieri, quia si dominus Deus tuus vult debilem corpore fieri, quis es, qui moleste suscipias? Nonne pro te ipse cogitat de omnibus? Nunquid sine ipso viuis? Ergo fer, & roga eum, vt donet tibi quæ expediunt, hoc est, vt quod voluntas ipsius est, facias. Exemplum de sancta Petronilla, quæ cum voluntate beati Petri patris sui febribus laboraret, dicente ad eum Tito: Cum omnes à te sanentur infirmi, cur Petronillam iacere permittis? Respondit Petrus, quia sic expedit ei, & hoc propter nimiam eius pulchritudinem. Vnde dicebat sancta Sincletices: Si infirmitas nobis superuenit, non contristemur, quia ad destruenda desideria corporis nobis proficit. Sicut enim ex forti medicamento recedit ægritudo, ita ex tribulatione corporis recedunt vitia; & hæc est magna virtus

Par. 2. De patientia. ibidem.

quando in infirmitatibus fuerit patientia, & gratiarum actio: Si amittimus oculos, non feramus grauiter, quia extollentiæ instrumentum amisimus; sed magis gaudeamus, quia interioribus oculis gloriam domini speculemur. Si surdi facti sumus, non contristemur: quia auditum vanum amisimus. Etiamsi totum corpus nostrum infirmetur, gaudeamus: quia interiori homini nostro sanitas crescit. Exempla de hoc habemus duo infra cap.xxviij.videlicet de Didymo & Abbate, &c.

Vitasp. par. 2.§.147. Dixit etiam quidam senex: Summa religio est, vt in infirmitate quis Deo gratias agat: sicut enim magno, & forti medicamine ægritudo corporis curatur, sic ægritudine corporis, cordis vitia retunduntur. Si ferrum es, eruginem per ignem tribulationis amittis. Si aurum, splendidior, & purior efficieris. Quapropter sancti Patres desiderabant semper esse in infirmitate ad ipsorum castigationem.

Vitasp. par. 1. De Beato Polemone. Vnde legitur de beato Polemone socio beati Pachomij, quod cum doloribus splenis grauiter affligeretur, & rogaretur a Fratribus, vt pateretur aliquid remedij impendi, respondit: Si martyres Christi alij per frusta lacerati, alij cæsi capite, nonnulli etiam ignibus sunt cremati, & tamen vsque in finem pro fide fortiter tolerauerunt; cur ego patientię prȩmia paruis cedens doloribus impatienter abijciam, & desiderio vitȩ præsentis afflictiones momentaneas inaniter expauescam?

Vitasp. par. 2.§.148. Item narratur in Vitaspatrum de quodam Fratre, qui noluit pultes sibi oblatas comedere in infirmitate ducens triginta annos, vt amplius purgaretur.

Item de alio qui frequenter ægrotabat, contingit autem vno anno non ægrotare, qui affligebatur, & plorabat Dicens: Dereliquit me dominus, & non visitauit me.

De B Amb. Ad idem legitur de beato Ambrosio, qui cum quadam vice hospitatus fuisset apud quendam hominem locupletem, requisiuit eum super statu suo: Cui ille: Status meus domine semper felix extitit, & gloriosus. Ecce enim infinitis diuitijs abundo, copiosam filiorum, & nepotum turbam possideo; seruos quamplures habeo, & omnia semper ad vota habeo, nec vnquam quid aduersum mihi accidit, nec quod contristaret, euenit. Quod audiens sanctus Ambrosius, vehementer obstupuit, & ijs qui secum erant in comitatu dixit: Surgite, & hinc quantocyus fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Cum ergo fugerent, & aliquantulum processissent, subito se terra aperuit, & hominem illum cum vniuersis, quę ad illum pertinebant, absorbuit. Quod cernens Ambrosius, dixit: Ecce Fratres, quàm misericorditer Deus parcit, cum hic aduersa tribuit. Et quàm seuere irascitur, cum semper prospera elargitur. Denique infir-

mi pa-

mi patientes, & gratias Deo agentes sunt multum honorabiles apud Deum.

Exemplum in Vitaspatrum de illo, qui vidit quatuor Ordines in coelo, quorum prius fuit infirmorum gratias agentium Deo, vt supra eodem lib. capit. iij. Agant ergo infirmi gratias Deo de filiali castigatione, & cum omni patientia portent disciplinam, & flagellationem patris, commendantes se totaliter voluntati Dei, qui nouit quid nobis vtilius sit, an ab hac vita discedere, an pro vlteriori pœnitentia, vel merito conualescere.

Vitasp. par. 2 S.131.

Sic fecit beatus Nicolaus de Tolentino, qui quadam vice ægrotans grauiter, ita quod de vita sua desperabatur; ipse vero recommendabat se Deo, ac beatæ Mariæ virgini, & beato Augustino. Quo facto, suaui somno arripitur, & ecce beata Virgo cum beato Augustino ineffabili aspectu ei apparuit; in quam vir sanctus intendens, & admirans ait: Quæ es Domina, quæ ad me qui sum puluis, & cinis tam admirabilis aduenisti? At illa dixit: Ego sum Saluatoris tui mater Virgo Maria, quam tu crebrius cum Augustino, quem iuxta me conspicis, in tuum auxilium inuocasti: Ecce iam venimus, vt recuperandæ accipias sanitatis consilium: protensoque digito versus plateam ait: Mitte illuc ad talem dominam, & panis recens in nomine filij mei pro te petatur, quem cum receperis, aqua intinctum comedes, & tunc sanitatis beneficio potieris: Euigilans vir sanctus suum excitat seruitorem, visionemque [illegible]acens ad ostensum sibi locum pro pane in nomine Iesu Christi petendo misit à quadam domina. Seruitor panem recentem lætanter accipiens imbibit cum aqua, & sancto viro obtulit comedendum; qui signo crucis præmisso, panis modici sumpta particula, absque intermedia mora, sanitatis recepto beneficio surrexit. O virgo sanctissima, in hac medicina recte consuluisti seruitori tuo: Nulla enim cibaria ita libenter gustabat sicut quæ pro filij tui amore fuerunt mendicata.

De B. Nicolao de Tolentino.

Item est exemplum in magistro Henrico de Vrimaria sacræ Theologiæ professore. Cum enim benignissimus Dominus seruo suo vellet dare requiem post laborem, prius per biennium, & amplius grauibus eum renum, & vesicæ doloribus, calculi quoque & stranguriæ passionibus paterne castigauit, ac per hoc sicut filium diligere demonstrauit. In quibus omnibus passionibus, & doloribus semper Deo gratias egit, dicens se nullatenus de diuina clementia dubitare, qui illam castigationem in expiationem delictorum suorum ei immiserit, si forte ex petulantia humanę lubricitatis circa illas partes corporis vmquam illicite delectatus fuisset, quod non plene adhuc per pœnitentiam deleuisset,

De magistro Henrico de Vrimaria.

propter

propter has etiam passiones nunquam a studio, & lectione sacræ scripturæ, & ab orationibus consuetis se relaxauit, sed per amplius addidit vltra posse. Nec etiam à consilijs, & a solicitudinibus pro Ordine se abstraxit quamdiu aliquid potuit. Demum cum pro maiore expurgatione reliquiarum peccatorum suorum dignaretur Dominus flagellum suum exacuere, per duos menses, & amplius ante mortem suam passus fuit paralysim in lingua, ita vt loqui non posset nisi imperfecte, vt vix, vel minime intelligi posset. Cum in illa infirmitate Prouincialis suus eum visitaret, & ex superabundanti eum ad patientiam hortaretur, inter cœtera dicens ei: Magister, vos in eloquentia excessistis omnes homines huius patriæ, & vix esse potuit, quin ex hoc aura vanæ gloriæ interdum cordi vestro subrepserit: quare sperandum est, quod ad huiusmodi fumum ante finem vitæ vestræ expiandum, hanc passionem, & priuationem officij linguę diuina clementia ordinauerit, vt cum largiente Domino anima vestra carne exuta fuerit, Dei misericordia suffragante nihil vlterius remaneat ad purgandum. Hæc audiens vir Dei sicut erat bene compos rationis, & omnium sensuum suorum vsque ad exitum animæ suæ, totus in lacrymas resolutus signis, & verbis quibus potuit innuere videbatur, sic esse in corde sicut Prouincialis fuerat proloquutus. In tota autem ægritudine sua tantę patientiæ, tantæque deuotionis extitit, vt quicunque eum ex charitate visitarent, emendati ab eo recederent. Vnde magister quidam de Ordine Minorum sermonem faciens in exequijs suis, inter cœtera commendationis verba sic dicebat: Et nos visitauimus eum in lecto ægritudinis, & vidimus eum sicut vnum Angelum Dei, rubebant enim genę eius vsque ad exitum animæ suæ, roseo colore, ita vt rubor faciei fulgorem mentis indicaret, cum tamen longo languore extenuatus fuerit & exhaustus.

AD CAP. XII. NOTÆ.

a Memores esse debent infirmi.] *De malorum tolerantia videndi sunt sanctus Ioan. Chrysostom. Homil. 29. ad 12. capit. Epistol. ad Hebr. Tomo 4. & de prouidentia Dei ad Stargirium Tomo. 5. sanctus Gregorius lib. 7. moral. cap. 8. & 9. & lib. 6. cap. 6. & lib. 16. cap. 9. sanctus Augustinus in Sermone ad Lipp. & Epistola 87. & 122. sanctus Basilius in moralibus regu. 55. sancti Thom. 1. 2. quæst. 87. ar. 6. & 2. 2. quæst. 108.*



De pra.

De præparatione Fratrum ad mortem. Cap. XIII.

ET quamuis veri Religiosi omni hora ad aperiendum pulsanti Domino parati esse debeant, maxime tamen in infirmitate decumbentes, cum mortem propinquam aut morbo inualescente, aut Deo reuelante cognouerint, debent se summa diligentia preparare, & Domino inuitanti occurrere ad transeundum cum eo ad regnum suum. Vnde dicitur Lucę xij. *Beatus, seruus quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem*. Vbi Gregorius in Homilia: *Venit Dominus cum ad iudicium properat; pulsat, cum per ægritudinis molestias mortem eße vicinam denunciat: Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus.* Vnde etiam beatus Augustinus ad Fratres Eremitas in sermone de fletu, & pœnitentia sic ait: *O monache, si mors imminet, noli dolere, prepara te vt mortem timere non poßis, vt post mortem viuere incipias, qui ante mortem moriendo viuebas, vel viuendo moriebaris*. Exemplum in ipso Patre nostro Augustino, qui cum decumberet, & intelligeret dissolutionem sui corporis imminere septem psalmos pœnitentiales, quos sibi scribi fecerat, in lectulo contra parietem habebat, eosque legebat, & relegebat, & inter legendum vbertim flebat, incumbens assidue orationi, & deuotioni, ac plorationi, & sic ad extremam horam veniens obdormiuit in pace.

S. Gregor. Hom. 13. in Euangelica.

Serm. De lacrymis & pœnitentiã ad Fratres.

S. Aug moribundus legit septem psalmos pœnitentiales legebat, & relegebat.

Fertur de beato Nicolao de Tolentino, quod ipse per sex menses ante obitum omni nocte ante matutinalem horam etiam corporalibus auribus canticum angelicum suauissimum audiuit. Ex quo delectabiliter prouocatus dicebat: *Cupio dissolui, & eße cum Christo*. Ex hoc enim vir Dei suæ vitæ terminum cognoscens adesse, suum obitum in foribus esse lætanter pronunciauit. Et cum decumberet, gratias egit Deo, & visitauerunt eum multæ personæ in lecto iacentem, & facta sunt per eum plurima miracula in lecto ægritudinis, sicut beatus Augustinus infirmus legitur infirmum curasse. Cognoscens autem horam sui transitus propinquare, venire fecit Priorem, & Fratres, quos humiliter alloquutus est his verbis: Quamuis mihi nihil conscius sim, tamen in hoc me iustificatum non cognosco; Ideo si quem læsi, si cui in aliquo iniuriatus fui, rogo vt propter Deum parcatis meis delictis, & vt debita vestra vobis à Deo dimittantur. Petiuit insuper a Priore Generali absolutionem omnium suorum peccatorum, & sacramenta sanctæ matris Ecclesiæ sibi ministrari. Solemni igitur benedictione accepta, & circunstantibus hinc inde Fratribus, & flentibus, & vna cum ipso orantibus ingenti lacrymarum effusione sumit corpus Dominicum

Ex vita eius per Possid. De B. Nicolao de Tol. Philip 1.

Match.21. dicens: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Post hæc ait ad Priorem: Crucem illam argenteam de bonarum personarum huius castri eleemosynis factam me laborante, vbi lignum veridicum sanctissimæ Crucis me vidente intropositũ est, quæso, ante mortem meã oculis istis mortalibus ostendite; vt in eius virtute, velut in baculo omnipotentissimo Iordanem huius seculi libere transire possim, vt ad Paradisi fluuiũ valeam feliciter peruenire. Cuius piæ petitioni Prior annuens, Crucem cum reuerentia asportari fecit. Quam cum vidisset vir sanctus, prouolutus in lecto cum lacrymarum inundatione ait: Salue Crux pretiosa, quæ mundi pretium portare fuisti digna, qui in te pependit, & passionis æstu roseo sanguine sudauit, latroni misericordiam imploranti pepercit; ipse me per te defendat ab hoste maligno in hac hora. Deosculata igitur Cruce sanctissima iacuit vt prius, seruitorique suo præcepit dicens: Vide ne meis auribus amodo desinas intonare: *Dirupisti Domine vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis*: Vt si carne

Psal. 115. hac debilitata proprio ore aliquid dicere non possem, memoria saltem dicere valeam Deo meo. Videntes autem Fratres quia incolumis esset memoriæ, modo ab eo recedunt, modo redeunt ad eum; ipsis autẽ recedentibus vox gaudij, & risus audiebatur, & cum esset vox sua, alia videbatur. Sed nec mirũ, quia vox illa, quę Deum laudare cõsueuerat per spem, nunc laudare incipit vidẽdo per speciem. Vnde cum quęreretur ab eo; q̃d est tibi gaudij, & lętitię pater? de visione habita exhilaratus ait: Deus est & dñs meus Iesus Christus cum sua matre, patreque meo August. Iesus dicit mihi: *Euge serue bone, & fidelis, intra in gau-*

Luc. 9. *dium domini tui.* Perpendentes autẽ Fratres, quod suus instabat exitus consuetas orationes pro cõmendatione animę persoluunt. Quibus ex-

Luc. 22. pletis, ipso dicente: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, Iunctis manibus, ad cœlum erectis oculis, & ante positam Crucem leuatis iucundo, & hilari vultu spiritum suo reddidit creatori. Post cuius transitum plura miracula euidentissima meritis eius facta sunt. Mirificauit enim Dominus sanctum suum in vita sua, & amplius post mortem sua signa, & prodigia multiplicauit.

Item exemplum de beato Augustino de Terano, qui cum ferme

De B. Aug. de Terano. per decem annos postquam regimne Ordinis dimiserat in eremitorio sancti Leonardi stetisset, cum vellet eum Deus à mundi exilio euocare cępit vltra modum consuetum suę infirmitatis molestias alias corporis sustinere. Qui vocem Dei se vocantis intelligens pluribus Fratribus indicauit, rogans vt suo obitui interessent, ex quo manifestum est suam mortem in spiritu præcognouisse; perueniens autem ad ipsum vitæ suæ extremum, ita sana mente, & spiritu permansit, ac si nul-

lam in

lam in ſuo corpore alterationem habuiſſet, & cum adeſſent ſuo obitui multi Fratres, & nonnulli nobiles de Senis, patefiebat à ſuo geſtu ipſum ad æternas epulas inuitatum properare, ſicque aſtantibus Fratribus, & orantibus ſpiritum Deo reddidit. Fuerat autem eius obitus cuidam probatæ ſanctitatis viro Fratri Petro de Camerata reuelatus, qui circa viginti annos in quodam eremitorio vbi erat locus Ordinis relictus de licentia Ordinis in magna auſteritate, & ſanctitate vitæ permanſerat, qui etiam ad ipſum ſanctum Patrem Fratrem Auguſtinum magno afficiebatur amore. Cum itaque Fratres vellent Fratrem Auguſtinum in ſua ægritudine conſolari, miſerunt duos Fratres ad ipſum Fratrem Petrum, qui ad quatuordecim milliaria diſtabat, rogantes vt dignaretur venire, & viſitare tantum Patrem. Qui cum appropiuquaſſent ad cellam Fratris Petri, ipſe egreſſus eis obuiam antequam illi propoſitum ſuum panderent lacrymabili voce ait: Fratres non eſt neceſſe vt ego veniam, pater enim noſter Frater Auguſtinus migrauit, & ego recommendaui animam ſuam Deo meo. Reuertentes autem qui miſſi fuerant, cognouerunt eadem hora, qua peruenerant, & illa verba audierant, Fratrem Auguſtinum ſpiritum exhalaſſe. Ex quo manifeſte patet, quod idem Frater Petrus in cella ſua tam longe corporaliter manens, ſpiritu præſens fuerat prout patuit in effectu. Claruit autem idem venerabilis Pater multis miraculis poſt mortem ſuam. Vnde Dominus Epiſcopus Senarum venerandum corpus ſuum non permiſit in terra ſepeliri, ſed potius in quadam tumba decenti reponi ipſum fecit, & in Eccleſia Fratrum honorifice collocari, vbi etiam annis ſingulis in die depoſitionis ſuæ ſolenne feſtum fit per commune ciuitatis ad laudem Dei, & iugem memoriam viri ſancti.

F. Petro de Camerata reuelatus fuit obitus B. Aug. de Terano.

Quidam iuuenis de Maſſa cum laboraret in quadam fouea; terra cecidit ſuper eum in tanta quantitate, quod mortuus inde fuit extractus; ſoror autem ſua videns fratrem mortuum recommendauit ipſum beato Auguſtino, vouens, quod ſi eum à morte ſuſcitaret, veniret ad monumentum eius pedibus diſcalciatis, & vnam imaginem pulchram, & magnam ſicut ipſe erat, faceret. Facta itaque oratione iuuenis, oculos aperuit, & cibum ſumpſit, ſteterat autem mortuus per diem, & noctem, & precibus beati Auguſtini reſuſcitatus fuit.

Miracula aliqua B. Aug. de Terano.

Item quædam puella cecidit in quamdam foueam plenam aqua, & ſuffocata fuit: pater autem eius, & mater quærentes eam per vnam diem minime inuenerunt, ſed altera die reinuentam de fouea extrahentes, vouerant eam beato Auguſtino, & reſuſcitata reuixit.

Item

Item quidam de comitatu Senensi dormiebat in agro suo, serpens quidam intrauis per os in corpus suum: Ille autem veniens Senas, nec aliquem medicum inueniens, qui eum à serpente liberaret, fecit votum beato Augustino, & coram multis astantibus serpens ille per os patientis exiuit, nec ille in aliquo læsus fuit.

Item quidam iuuenis de Senis passus fuerat magnam infirmitatem in parte inferiori, vt pote quia ruptus erat: In qua infirmitate cum stetisset per magnum tempus, votum fecit beato Augustino; & facta oratione liberatus est, & quia votum, quod fecerat minime adimpleuit, infirmitas illa post modicum tempus redijt. Cumque iterum per sex menses passus esset, iterum votum fecit, & adimpleuit, & continuo liberatus est.

De B. Ioan. Rheatino.

Item exemplum de beato Ioanne de Rheate, qui ante mortem suam aliquibus diebus audiuit philomelam ad fenestram cellæ suæ quotidie cantantem, & per hoc eum ad paradisum inuitantem, de quo supra eodem lib. cap. v.

De magro F. Henrico de Vrimaria.

Item est exmepl. in magistro Henrico de Vrimaria, qui cũ infirmaretur, & tempus suæ dissolutionis instaret, Fratribus in persona infirmantis, nec loqui potentis confessionem generalem facientibus Prior Prouincialis, qui adfuit, qui & dotatus pro tunc à sede Apostolica, & à Priore Generali singularibus gratijs fuit, absolutionem largam, & bene copiosam fecit, quam vir Dei cum magna deuotione, & gaudio, & lacrymarum multa effusione intente accepit: Cumque ad extremam horam venisset, officio linguæ vtcumque restituto aliquandiu orauit, & inter orandum hæc verba distincte, ita vt coram stantes optime intelligerent, protulit.

In manus tuas Deus Pater commendo spiritum meum.
In manus tuas Deus fili commendo spiritum meum.
In manus tuas Spiritus sancte Deus commendo spiritum meum.

Et ex tunc integro aspectu, atque auditu coram positis Patribus, & orãtibus senex plenus dierum velut obdormiens spiritum exhalauit. Cumque corpus eius de more delatum esset ad Ecclesiam, & multæ personæ ex deuotione ad videndum, & tangendum, atque osculandum eius deuotissimas manus confluxerunt, quædam Sancta religiosa Ordinis eius graui dolore capitis cum continua vertigine diu sauciata dum faciem sacri funeris manu sua tetigisset, eademque manu propriam faciem cum deuotione delinisset, subito omnis ille dolor sensibiliter velut quodam suaui sudore perfunderetur abscessit.

De F. Hermano de Allis.

Item, Exemplum de Fratre Hermanno de Allis baccalaureo in sacra Theo-

cra Theologia, viro vtique sanctæ conuersationis, & mundæ vitæ, qui cum fere per annum, longam ægritudinem cum multa patientia duxisset, & quantũcunque esset debilis omni die horas canonicas deuote dixit, & Missam celebrauit quandiu de lecto se mouere potuit, & ex tunc omni die coram se celebrari fecit, immo etiam vltima die sui trãsitus horas canonicas dixerat vsque ad Nonam, & Missam audierat, & tunc appropinquante hora nona vocari fecit Fratres, dicens eis, quod hora sua esset decedendi, iubens apportare librum pro legenda commendatione animæ, & cum mitteretur pro libro, non est inuentus, quia ad quendam infirmum delatus fuerat ad ciuitatem, & cum iste agonizans diceret; quare non apportaretur liber; responsum fuit sibi, quod esset in Ciuitate, dixit iste vir Dei, mittatur pro eo, & expectabimus eum: Cumque demum allatus fuisset liber, legerunt Fratres commendationem ipso cum eis de more legente, & respondente: Amen. Finita commendatione petiuit sibi legi passionem Domini nostri Iesu Christi, & legebatur coram eo passio secundum Matthæum libro posito ante eum super lectum, ipse vero ponens manum suam super eum, punctauit legenti quando pausare, & quando vltra legere deberet, vt intentionem suam passibus deuotioribus melius applicare posset. Et finita passione secundum Matthæum, legi fecit sibi secundum Marcum, & peruento ad locum illum vbi dicitur: *Iesus emissa voce magna expirauit*: Etiam iste vir Dei expirauit, & qui Mar. 15.
vidit testimonium perhibuit. Nam fui seruitor ipsius in tota infirmitate illa: Deo gratias.

Item, Exemplum in Fratre iuuene ægrotante, qui cum sentiret horam mortis instare, violentauit se, surgens de lecto suo, & apprehendens cappam suam, rogauit seruitorem, vt iuuaret eum induere, ille æstimans eum delirare, voluit reponere eum ad lectum, sed isto instante indutus est cappa, & corrigia cinctus: quærente seruitore: quo vis ire, & quid intendis? respondit iste: cito videbis, & cum inter induendum iste infirmus cum magna imbecillitate stans agonizans factus esset, manutenens se ad perticam ait: Domine Iesu Christe, qui pependisti in Cruce pro me misero peccatore propter acerbissimam passionem tuam, da mihi peccatori, vt istud dolorosissimum stare, quo iam sto, sit pro omnibus peccatis meis. Et sic reposuit se ad lectum in habitu super dorsum componens pedes suos, & trahens caputium ante oculos suos, & collocans manus in modum Crucis ante pectus dicens: Luc. 22.
In manus tuas Domine commendo spiritũ meum, & post paruulam moram expirauit. O quàm bonus Dominus, qui sibi deuote in vita seruientibus in morte confert exitum tam deuotum.

Item

Item de alio Fratre sacerdote, qui sentiens sibi iminete mortẽ, ad Missam se præparauit,& cũ magna inualetudine celebrauit.Finita Missa ad lectũ se posuit,& eodem die spiritum Deo reddidit;Quia enim libenter iste Frater omni die,& cũ magna deuotione celebrare cõsueuit ideo Deus sibi dedit, vt vltimum vale in Missa propria acciperet.

Ietm de alio Fratre laico, qui quasi sanus videbatur, & iuit per conuentum quærendo vnum Fratrem confessorẽ de licentia superioris sui, quem cum inuenisset occupatum rogauit, vt secum iret ad chorum, & confessionem suam audiret,& sacramenta Ecclesię sibi conferret.Ille excusabat se per laborem quo occupabatur,etiam quia delirare istum sibi videbatur. Tandem precibus Fratris victus secum iuit ad chorum, & facta confessione pure sicut Deus illi dedit,petijt sibi ministrari viuifici corporis Christi sacramentum; At Frater sacerdos cum reuerentia pixide accepta cum corpore Domini istum Fratrem procumbẽtem ante altare communicauit; quo facto Frater idem laicus mox posuit se ad sedem coram altari, & rogauit sacerdotem vt statim eum inungeret sacramento vnctionis extremæ; quod facere Frater sacerdos contradixit, cum ille sanus videretur. Tandem tamẽ cum importunis precibus isto quod petebat obtinuit. vnde idem calceos suos extrahens sacra vnctione cum magna deuotione suscepit: deinde calceos suos reinduens misit pro barbitonsore, & fecit se radi in capite, & barba,dicens se velle mundum, & comptum venire ante Deum. Surgens ergo de rasura ait, modo volo ire ad lectum, & inde nunquam viuus exurgere, statimque vt posuit se ad lectum cœpit ægrotare,& sequẽti die spiritum exhalauit. Hunc Fratrem a puero noui,& fuit multum castus,& puto eum virginẽ euolasse. Fuit etiam tantæ fidei,quod si ego habuissem horreum plenũ auro, & gemmis pretiosis,suæ custodiæ commendassem. Zelum quoque ad honestatem Ordinis habuit satis feruidum.Fuit etiam pluribus annis socius Sacristę,& cum summa diligentia,& mũditia res Sacristiæ tractauit,& conseruauit,pręter alias virtutes eius ab intra Deo cognitas, propter quas tam mirifico exitu eum diuina clementia munerauit.

Quidam alius Frater bonus prædicator, & habens multos filios, & filias confessionis hanc virtutem habuit, quod pauperculatum, & deuotarum personarum confessiones libenter audiebat; quo iacente in extremis,quædam deuota mulier vidit in excessu mentis, quod idem Frater erat filius perditionis vsque iam quando exhalare debuit,& tunc Dominus misertus saluauit eum, cuius anima tunc egressa descendit in grauissimas incendij pœnas; sed ipsa die mortis suæ vidit lacrymas, & orationes deuotarum filiarum suarum magnam partem eius incendij extinxisse: hora autem liberationis eiusdem Fratris de purgatorio venit

vox ad

vox ad eandem sororem dicens: Propera ante altare sanctę Chaterinę quia ibi hodie dedicatio est: in illo etenim altari idē Frater solitus erat celebrare missam. Quæ iussa complens vidit Fratrem illū duci de purgatorio,& venire super idem altare,& protinus multi filij, & filię eius, quę ante eum obierant, & ad patriam transierant descendebant de cœlo ad idem altare,& statim idem Frater cum eis solenniter ascendit. Ex quo exemplo apparet quàm bonum,& salubre sit pauperibus & despectis,& deuotis benefacere,& confessiones eorum,& multorum propter Deum audire; quia talium precibus, & fletibus iste Frater fuit cito de purgatorio liberatus. Prędicta exēpla pretiosam in conspectu Domini sanctorum mortē ostendunt. Quia, vt ait Augustinus in De disciplina. *Non potest male mori, qui bene vixerit.* Sed propter illud quod subditur & vix bene moritur, qui male vixerit, subiciamus quędam exempla de male morientibus, ad terrorem malorum. De discipl. Christiana cap. 2.

Legitur in Vitaspatrum dē quodam Fratre, qui desiderauit videre animā peccatoris,& iusti,& cum sederet in cella sua ingressus est lupus, & tenens ore vestimēta eius, trahebat eum foras, surgensq; Frater sequebatur eum: lupus autem ducit eum ad quandam ciuitatem, & dimittēs illum recessit. Intrauit autem Frater quoddam monasterium foras ciuitatem, in quo erat quidam habens nomen magni solitarij, & erat idem solitarius infirmus expectās horam mortis suæ. Frater ergo ille videbat magnam præparationem fieri cereorum, & lampadarum propter solitarium illum, qui tantæ reputationis habebatur quasi per illum Dominus saluaret Ciuitatem,& eo moriente omnes perituri essent. Facta autem hora exitus ipsius, vidit Frater ille tartareum quemdam inferni descendentem super solitarium illum, habentem tridentem igneum:& audiuit vocem dicentem sibi quasi à Deo: sicut anima ista non me permisit requiescere vel vna hora in se, sic nec tu miserearis eius, euellens animam. Ponens ergo tartareus ille tridētem in corde solitarij per multas horas torquens eum abstraxit eius animam. Post hoc Frater ille ingressus ciuitatem inuenit hominem peregrinum iacentem in platea ægrotū non habentem, qui eius curam haberet, & mansit cum eo die vno, & cum venisset hora exitus sui, vidit Frater Angelos Michaelem, et Gabrielem descendentes,& sedentes vnum à dextris, alterum à sinistris infirmi, rogabantque animam vt egrederetur,& non exibat, quasi nolens derelinquere corpus suum; dixit autem Gabriel ad Michaelem. Assume iam animam istam, vt eamus, cui Michael respondit: Iussi sumus a Domino, vt sine dolore eijciatur, ideoque non possumus cum molestia euellere eā. Ex clamauit ergo Michael voce magna dicens: Dn̄e quid vis de aīa hac, qa nō acquiescit nobis vt egrediatur. Cumque descēdissent oēs Exemp. aliqua male morientiū. Vitasp. pa. 2 De conuersatione diuersorū sāctorum Patrum.

Angeli in circuitu illius animę cum canticis,& hymnis,venit vox dicēs Ecce mitto Dauid cum cithara,& omnes psallentes Hierusalem*vt audiens psalmodiam,& Angelorum canticum, ad vocem ipsorum egrediatur anima eius , sic in manibus Michaelis assumpta est.

* aliter in vnum

Erat quidā Frater sacerdos,iuuenis,& leuis,& incontinens,qui quadam die exiuerat cum Priore ad terminos,infirmatus autem Frater iste ad mortem nullo modo voluit confiteri Priori suo,confessus est autem vni clerico seculari , & mortuus est . Post mortem apparuit ille Frater cuidam bono,& religioso Fratri dicens se damnatum,eo quod non vere pœnitens decessisset. Hoc exemplo discant Fratres cōfiteri Priori suo vel superioribus,qui possint eos absoluere,maxime de casibus Priori in Constitutionibus sub excommunicationis pœna reseruatis,quia absolutio,quæ ab alijs confessoribus de facto impenditur est [b] irrita,& inanis. Ad idem plura alia sunt exempla infra lib.iij.cap.xiij.& xv.

Nota de cōfessione faciẽda à Regularib⁹ cōfessoribus legitimis.

Erat quidam Frater laicus iustus,& zelator Ordinis,sed valde superbus,&appetens dominari, in conuentu, & in officio potens, fuit enim procurator libenter,& non poterat sustinere aliquem Priorem,nisi esset ad voluntatem suam,nec procuratorem,nisi seipsum.Et interdum petiuit callide absolui ab officio procuratoris; & si obtinuit, sic fecit, quod sibi cito redditum est.Sacerdotes , & Fratres clericos non plus curabat quam coquinarios, & sciuit sic se exhibere Prælatis zelotipum pro Ordine,& conuentu, quod omnia alia de ipso tolerabant.Iste in vltima infirmitate sua tribus diebus iacuit sine loquela,& cū in nocte moreretur, quidam Frater senex,& deuotus vidit,& audiuit in somnis terribilia,& excitatus suspicatus est Fratrē illum esse mortuū, & accēsa candela, prę horrore adhuc tātus horror ei inerat,quod nesciuit,qd ageret.Sed conuersus ad Deum dixit:O Dn̄e Deus anne vicit iste Frater,an est victus? & audiuit vocem dicentem sibi : si vis iam respondebitur tibi . At ipse expauescens dicebat : Non Domine,timens, quod si horrendum quid audiuisset,de illo;à sensu defecisset. Quod igitur vigilans non potuit sustinere sustinuit dormiēs. Nam ei dormiēti postea idē Frater in somnis apparuit dicens:se damnatū esse:Et ipso petente, An in aliquo posset ei suffragari? ille respondit: Non. Interrogauit ergo iste Frater, per quod damnationem meruisset : Fecit ille sicut qui erubescit plene confiteri confusionem suam : Attamen parum post respondit: Per ista, quibus Priores , & Fratres volebant mihi benefacere, fecerunt mihi male : & hoc dicto disparuit. Frater autem euigilans, & resoluens verba illa , & reuoluens mente conuersationem , & vitam illius inuenit,quod ista responsio per omnia concordauit cum vita, quam ille duxerat in Ordine, quia in ominbus dimittebatur voluntati suæ . Et ipse

nullum

nullum curauit; nec Priorem, nec subPriorem, nec lectorem, nec aliquem alium; sed omnia disponebat ad libitum suum, & hoc tolerabatur in eo propter zelum, quem prætendebat. Attendant ergo Fratres, & non appetant dimitti suæ propriæ voluntati.

Quidam Frater bonus, & castus quadam die turbauerat quendam senem indebite, de quo viuens non petiuit ab eo veniam. Cum autem idem Frater esset mortuus, apparuit ei dicens: Ignosce mihi, supplico, quod olim te offendi, quia modo nosco, quod peccaui in te, & iniuriam feci tibi, & hoc modo in pœnis luo. Hoc exemplo docentur Fratres ante mortem veniam petere à singulis Fratribus de offensis, & si non recordantur in specie, saltem petant in genere.

Docentur morietes vt petāt veniā de offensis saltem in genere.

Frater quidam sacerdos habuit talem visionem de Priore suo mortuo, & in loco soleni sepulto, vidit Fratres quasi de sepultura eius redire ad chorum, & in choro audiuit vocem dicentem: Idolum desolationis positum est in loco sanctuarij: Vere Idolum desolationis dicitur Prælatus quilibet solum nomen habens sine correquisito, qui solum quęrit præesse, & non prodesse, qui sibi largus, alijs parcus: sibi, & suis mollis, & remissus, alijs austerus, & grauis, & si forte casus absolutionis in ipso reperiatur, eo verius desolationis idolum nuncupatur, & quia talis præsumitur fuisse iste Prior, vox illa non caruit mysterio.

Est autem aduertendum, quod [c] non semper ex modo mortis præsumendum est de merito defuncti, quia nonnunquam sancti viri despicabilem, reprobi vero honorabilem exitum sortiuntur.

Nota

Exemplum in Vitaspatrum: Erat in eremo quidam solitarius infirmus, cui quidam deuotus secularis seruiebat, & in ciuitate vicina erat quidem diues impius semper infirmus; contigit ergo vt moreretur iste diues, & deducebat eum tota Ciuitas simul, & Episcopus cum luminaribus, & lampadibus; egressus iste seruitor solitarij secundum consuetudinem, vt portaret ei panes, vidit illum diuitē sic honorabiliter duci, & reuersus inuenit quod solitarium comederat belua, & cecidit in faciem suam in conspectu Domini dicens: Non surgam hinc donec mihi demonstretur à Deo quare ille quidem impius talem apparatum habuit in deducendo: hic vero, qui seruiuit tibi die noctuque ita pertulit. Et ecce Angelus Domini venit, & dixit ei: Ille impius paruum bonum opus habebat in hoc seculo; & recepit illud hic, vt illic nullam requiem inueniat; Iste autem solitarius, quia homo erat ornatus bonis moribus, & virtutibus, habebat autem, & ipse vt homo modicum aliquid culpæ, & recepit illud hic, vt ibi inueniatur purus coram Deo & ita consolatus his verbis abijt glorificans Deum super iudicia eius, quia omnia vera sunt. Nec prætermittendum arbitror, quod cum infir-

Vitaspat De pruden. & contēplat.

mi, & decedentes sui compotes non existant, indigent aliorum confortatione, & auxilio non solum in seruitio corporali, sed & magis in spirituali. Vnde valde sancte, & prouide in constitutionibus Ordinis capitulo quartodecimo, statutum est, quod Prior, & Fratres ipsum infirmum dulciter verbo, & exemplo adiuuent, & confortent, atque ab omnibus orationis quotidianæ suffragio subleuetur, & quod in hora egressionis anima eius à corpore ad signum infirmarij vel sacristæ sine mora omnes Fratres conueniant circa eum & officium super eum debito modo persoluant. Vbi aduertendum, quod non absque ratione Patres sanxerunt, quod circa Fratrem decessurum omnes conueniant, quia cum illa hora Frater ille dimicaturus est contra hostem teterrimum, opus habet, vt multorum suffragio adiuuetur,

De B. Aug. de Terano. Vnde beatus Frater Augustinus de Terano ante mortem suam rogauerat omnes amicos suos specialiter sibi deuotos etiam seculares, vt suo obitui interessent. Nam & si hostis ille crudelissimus nunquam nos impugnare desistat, illa tamen hora præcipue extremæ vitæ virus suæ malignæ machinationis solet effundere, & * contra viros sanctissimos conatur maxime fundamentum salutis nostræ elidere, impugnando eos videlicet de fide Christiana, quia hoc fundamento subuerso, totus homo in interitum vadit.

* aliter circa.

Tom. 2. August. Epist. 106. Refert beatus Cyrillus in Epistola ad sanctum Augustinum de sancto Eusebio discipulo sancti Hieronymi, quod die quo moriturus erat idem Eusebius per duas horas ante beatæ animæ exitum, venerabilis Eusebius tam terribiles actus cœpit peragere, quod circunstantes monachi timore perterriti velut amentes in terra iacebant. Nam quandoque transuersis oculis, manibus simul iunctis, facie terribili, voce dira quasi respondens clamabat: non faciam, non faciam, mentiris, mentiris post hęc intra se rediens faciem prosternebat in terram quantum poterat clamans: Adiuuate me Fratres ne peream; quod monachi videntes lacrymantes, & trementes eum rogare cœperunt: Quid habes Pater? Ad quos ille: Non videtis dæmonum agmina, qui me debellare cupiunt. Et illi: Quid te facturum volebant cum dicebas: Non faciam, non faciam? Et ille: Conabantur nanque vt diuini nominis blasphemus inueniar. Et ideo hoc me non facere acclamabam. Tunc illi: Quare Pater faciem tuam abscondebas in terra? At ille: Ne eorum aspectum cernerem, quia turpis, & horribilis est, quod omnes pœnæ quę in mundo sunt respectu huius nihil sunt. Inter hæc verba actus priores reiterans, sic ad extremam horam vsque deuenit. Fratres autem qui astabant pauore, & dolore perterriti quid facere

nescien-

nescientes: Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua benignus, & se timentibus misericors sanctos suos non derelinquit in tempore necessitatis. Ad extremam namque horam venerabili Eusebio peruenienti gloriosus Hieronymus apparuit, eum benigne confortans. Cuius aduentum omnis illa dęmonum turba quasi infinita, eius timore perterrita ab eo velut fumus euanuit, vt plures testantur monachi, qui proprijs oculis dispensatione diuina se hoc vidisse dicunt: Sed hoc magis approbatur, nam omnes circunstantes audierunt ab Eusebio voces: Vnde venis Pater? Quare tantum moratus es? Quęso filiũ tuum ne derelinquas. Cui subito cunctis audientibus alia vox respondit: Expecta fili, ne formides, quia te non deseram, quem tantum diligo: Qua audita voce breui inde decursa morula venerabilis Eusebius expirauit. Ecce si tam sanctos, & magnos viros dęmones in hora mortis suę tam atrociter de fide impugnant. Quid putamus de paruis, & pusillis, ac etiam peccatoribus? Quia ergo tam periculose hostis illa hora hominem impugnat de fide, ideo statutum est apud aliquos religiosos, quod statim vt audiunt signum, quod quis Frater laboret in extremis, surgant omnes dicentes singuli: Credo in Deum: Et sic conueniant quamcitius ad Christi athletam, eius certamen cum orationibus adiuuantes.

¶ Nuper quodam Fratre lectore valente viro in scientia, & in vita, & quamplurimum mihi dilecto agonizante, cum Fratres dixissent officiũ adhoc de more Ordinis designatum, Frater iacebat immobilis, ita vt dubitaremus an animam exhalasset. Et ecce subito vidimus eum caput excutere ita fortiter, & celeriter, quod omnes stupebamus: Ex quo ego coniecturans ipsum fortes tunc impulsus sustinere inimici, iussi vt Fratres intentius orarent dicendo Symbolum Apostolicum, scilicet Credo in Deum. Et post morulam iterum excussit caput, & facto interuallo Fratribus in oratione persistentibus, tertio fecit motum illum, & sic in pace obdormiuit: Erat autem motus capitis sicut solemus significare negatiuam cum quadam dedignatione quasi dicat. Non cõsentio, non consentio, Non non non: Quicunqne ergo est amicus alicuius viuentis in extrema sua necessitate assistat morienti. Ad hoc faciũt exempla supra lib. I. cap. v.

AD CAP. XIII. NOTÆ.

a Dirupisti vincula mea.] *Super hunc ipsum Psal. versiculum sic ait Cassiodorus: Versus hic tantam virtutem creditus est habere, vt à*

nonnullis diceretur, posse hominibus peccata dimitti, si eum in fine vitæ suæ trina confessione congeminent. Quod & retulit Alexander Ariostus in sum. confesso. libro. cap. 1. Id quod si verum esset sano modo, de peccatorum pœna ex indulgentia huic versiculo ab aliquo Romanorum Pontificum elargita, intelligendum est, prauio alioquin pœnitentiæ sacramento, vt idem Alexander citato loco videtur sentire, quod, & hodie solet in articulo mortis indulgeri à sum. Pont. qui nomen Iesu tunc inuocauerint, aliam ve tum orationem dixerint. Est vero adnotatione dignum, S. Nicolaum Tolentinatem, eo tempore versiculum prædictum, adeo desiderasse sibi repeti.

b Irrita est & inanis.] *Apertissimum enim est à reseruatis, neminem posse absoluere præter reseruantem. Excepto articulo mortis. Nauar. in Enchiridion confeßariorum cap. 27. num. 254. Concil. Trid. seß. 14. cap. 7. & can. 11.*

c Non semper ex modo mortis.] *Symeon Stylites magnus certe Dei seruus fulmine percußus interijt, & anima eius cum tripudio in cœlis suscepta est. Pratum spiritua. cap. 57.*

Ad hæc quæ hic relata sunt exempla, plura poteris addere ex And. Eboren. de hora mortis, To. 2.

Decrepiti, & valetudinarij pro horis dicant Pater noster, quamuis Martinus Nauarrus, hanc vti nouam quæstionem, & resolutionem à se primum excitatam, & decisam dicat de hor. Canon. cap. 11. num. 19. & 39. Cum tamen sanctus Augustinus tot antea sæculis id apertissime tradiderit.

De Regula sancti Augustini qualiter Fratribus nostris Ordinis sit collata, & de constitutionibus Ordinis. Cap. XIIII.

Regulam quare dederit P. Aug.



Ecursis ijs, quæ ad vnionem cordis, seu ad ad vnitatem voluntatis exiguntur, accedamus ad ea, quæ ad vnionem animæ, seu vniformitatem vitæ spectare dinoscuntur; quia nõ solum debet esse nobis cor vnum, sed etiam anima vna in Domino, vt superius est deductum. Ad hoc autem, quod Fratres in congregatione vniformem vitam habeant, primo necesse est, vt secundum vnam Regulam se regant. Quapropter idem Pater & præceptor Aug postquam Fratres suos per eremum hinc inde dispersos in vnum locum congregauerat, volens etiam eos ad vnius vitæ obseruantiam reducere, quia non prodest, si nos continet una domus, nisi vita, & moribus

moribus vniamur. Primo quidem propositum suum ad vitæ Apostolicę sectationem coram omnibus aperuit, singulorumque ad hoc voluntates requisiuit: At illi, vtpote vno inspirante spiritu, omnes ad idē propositū cum sancto Patre aspirantes communi diffinitione apud se decreuerunt vitam illam se obseruaturos cum Dei adiutorio, quam ipse Pater Augustinus duceret eis statuendam: Et sic ipse Pater vitam, quam ipse primus apud agros proprios cum suis secundū Apostolicā traditionem seruare cœperat, breui compendio conscriptam eis tradidit. Qui libellus sic incipit: *Communi diffinitione decreuimus apud nos.* Et ob hoc vocari potest: Decretum obseruantiæ regularis: & a nonnullis Regula prima nuncupatur. Quod autem hunc librum de Fratrum consensu ediderit, patet ex eo quod dicitur: *Communi diffinitione decreuimus*; patet etiam hoc ex fine, vbi dicitur: *Omnia ergo quæ in isto libro continentur, omnes Fratres obseruent, atque subscribant, qui in vnum esse desiderant.* Quod vero iste libellus non canonicis regularibus, sed Fratribus extra ciuitatē cōmorantibus descriptus sit, patet ex eo quod ibi dicitur: *Si vero (vt fieri solet) incursio repentina superuenerit, atque hostilitas, vt impossibile sit Fratribus in vnum remanere, sed oporteat eos fugam petere propter insecutionem inimicorum, &c.* Hoc enim de canonicis, seu clericis in ciuitate commorantibus intelligi nequaquam potest. Postquam autem Fratres prędicti in huiusmodi primaria obseruatione fuerunt cōuenienter introducti, ex tunc Augustinus factus presbyter, aliam breuē Regulam edidit, quam eisdem suis Fratribus tradidit, quæ sic incipit: *Ante omnia Fratres carissimi diligatur Deus.* In qua Regula primo præceptum Dominicum, in quo pendent lex, & prophetæ, commemorat; Deinde diuinum officium ordinat. Postea de opere manuum, & studio lectionum admonet; Postea abdicationem proprij; disciplinam mensæ, & alia præcepta regularia explicat. Finit vero hæc Regula sic: *Et nobis non parua lętitia erit de vestra salute.* Et quod istam Regulam Fratrib⁹ dederit, & non canonicis, patet cum ex eo, quod ipse antequam esset Episcopus canonicis legem dare non potuit, quia subditi sui non erant. Tum quia canonici in sua Ecclesia officium diuinum ante habuerant. Tum quia opus manuum, & opera Monasterij vendere prout ibi imponitur vsquequaque canonicis non congruebat: dicitur enim ibi: *A mane ad opera sua sedeant, &c.* Illa enim hora conuenit canonicis intendere diuino officio. Quod autem hanc Regulam antequam esset Episcopus fecerit, ex eo patet quia ipse mox factus presbyter viuere cępit secūdum Regulam sub sanctis Apostolis constitutam, vt dicit Possidonius. Quod non potest intelligi de Regula nondum formata, quasi sumeretur Regula pro modo viuendi Apostolorum, absque tamen Regula formata, quia secundum illam Regulam non tunc incœpit primo viuere, cū

Prima Regula.

Regula. 2.

factus fuit presbyter, quia prius per triennium apud agros proprios secundum illam uixerat. Si ergo verificari debet quod factus presbyter cępit viuere secundũ Regulam, oportet hoc intelligere de Regula formata: cum nemo alius ante eum post Apostolos talem fecerit Regulam secundum modũ Apostolorum institutã. Vnde apparet quod August. factus presbyter cœpit viuere secundũ Regulã quam ipse ante Episcopatũ suum ediderat. licet enim prius etiam vixerit secundũ modũ Apostolorũ, non tamen secundũ Regulam, quia nondũ erat facta, quod etiã ibidẽ dicit Possidonius, & cantatur in Antiphona, quod factus presbyter monasterium clericorum mox instituit, non dicit monachorum, sed clericorum. Hoc etiam referri debet ad secundum monasterium suum, quod fecit in horto, in quo vt plurimũ locauit Fratres clericos. In primo autem monasterio, quod erat in eremo multi potuerunt esse laici. De hoc supra lib. 1. cap. vij. & infra cap. proximo: nomine enim clericorum non excluduntur monachi, quia monachus potest esse clericus xvj. quæst. 1. Si clericus. Et clerici Regulam B. Aug. professi etiam dicuntur monachi. xviij. quæst. ij. Perniciosam. Post hæc autem cum Augustinus factus esset Epus; tunc, vtpote fungens auctoritate ordinaria, & diœcesana edidit Regulam solẽnem summa discretione præcipuam, quæ non solum Fratribus præfatis, immo etiam clericis communiter omnibus conueniret. Et hæc Regula sic incipit: *Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti*. Finit vero: *Et in tentationem non inducantur*. Quam quidem regulam Speculũ appellat ante finem ipsius Regulę sic dicens: *Vt autem in hoc libello tamquam in speculo possitis inspicere*. Et appellatur Speculum clericorũ, pro eo, quod ipse Augustinus ab omnibus clericis seruandã statuerat, licet postea reuocarit: Propter quod sciendum, quod sicut notatur xij. quęst. 1. Nolo. August. fecerat tres constitutiones super paupertatẽ clericorum: prima fuit; quod clerici nõ possent habere propria: Sed illa male seruabatur, & quia plurimi erant transgressores, ideo [b] reuocauit eam. Secundo, de consensu clericorum suorum confirmauit primam constitutionem. De prima constitutione sua loquitur in primo sermone de communi vita clericorum, qui incipit: *Propter quod volui*. Vsque ibi: Certe ego sum qui statueram: Et ibi loquitur de secunda constitutione reuocatoria primæ, vt xij. quęst. 1. Certe. De tertia loquitur in sermone secundo de communi vita clericorum, qui incipit: *Charitati vestræ*: ibi: *Ecce dico audistis, qui voluerit habere proprium*. Vbi mentio fit de omnibus tribus constitutionibus: De prima, cum dicit: *Ecce dico audistis, &c.* De secunda ibi: *Dixeram enim, & scio me dixisse*. De tertia, ibi: *Ita modo quia placuit illis, &c.* Et omnes has tres [c] complectitur Gratianus sub eodẽ cap: Nolo. vbi hos duos sermones, qui de communi vita clericorum intitulantur,

Ser 14. & 39 ad Fratres.

Regula 3.

Tres constitutiones edidit P. Aug. de paupertate à clericis suis seruanda.

Serm. 52. ad Fratres.

Ser. 53. ad Fratres.

lantur, accipit pro vno. In quo etiam contextu ille sermo: *Propter quod* præcedit istum: *Charitati vestræ.* Alibi tamen dicit eum esse sermonem secundum, sicut xiij.quęst.ij. Si quis nascitur. Et secundum hoc Regula S. Augunst. astringit illos duntaxat clericos, qui eam assumere consense-runt. Nec etiam Aug. potuit statutum generale facere super omnes clericos vniuersaliter per mundũ, sed solum super clericos suę diœcesis, nisi auctoritate sedis Apost. extensum fuisset ad omnes, quãuis Gratianus teneat xij.quęst.1. Cum ęrgo, & cap. seq. quod clerici præbendati, vel illi qui ab infantia sacræ militiæ traditi sunt, nullo modo possunt habere propria, nisi forte retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineãt. De hoc latius infra lib.iij. cap.ij. Itaq; secundum præmissa dici potest, quod B. Aug. fecit tres Regulas, primam adhuc laicus existens, quam tñ ego Regulam non appello, cum nulla auctoritate adhuc fretus fuerit, sed fuerit quoddam priuatum decretum, vtpote de cómuni priuatorum consensu factum, vt dictum est, Quare illud non Regulam, sed decretum obseruantiæ regularis censui appellandum. Secundam edidit presbyter factus, q̃ Regula dici potuit, qa iam curatus fuit, & subditos habuit, ac etiam Valerij Episcopi licentia fungebatur, & hoc non extendebatur ad canonicos, vt dictum est. Tertiam fecit existens Episcopus, quæ extendebatur ad canonicos suos, & vniuersaliter ad omnes clericos. In quo etiã Fratres, vt dictum est, includuntur. Et sic apparet quomodo accipiãtur tres Regulę supradictæ, nisi quis velit dicere, quòd secunda, & tertia nõ sint distinctæ Regulæ; sed totum illud ab eo quod dicitur: *Ante omnia Fratres charissimi diligatur Deus*, vsque ibi: *In tentationem non inducatur.* Sit vna Regula; Et secundum hoc Augustinus nõ fecisset nisi vnam Regulam, cum primum decretum nomen Regulæ sortiri non debeat, vt est dictum, & illam Regulã eandem ipse dedisset tam Fratribus, quã canonicis, & clericis indistincte: Quod dictum satis cõueniẽter sustineri posset, si non obstarent quatuor. Primum, quod in illa Regula, quæ incipit. *Ante omnia*, eadem quasi omnia breuiter contexuntur, quæ in ista, quæ speculum dicitur, explicantur; & non esset nisi inutilis repetitio eorum dictorum in vno opusculo: Quod de tanto Doctore non est pręsumendum. Secundum est, quod illa particula, de psalmis specialibus, & de operibus manuũ non conuenit canonicis, vt dictum est. Tertium quia Vgo in expositione Regulæ sancti Augustini nihil ponit in illa particula, sed absolute Regulam incipit ibi: Hæc sunt quæ vt obseruetis, &c. Quartum, quia in antecedẽte parte nunquam pręceptiue loquitur, hic autem quasi exordiens præcipiendò loquitur. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus*, Referens se ad sequentia de præcedentibus nihil innuens, cum tamen multa præcedentium eadem sint in substantia cum

jis quæ

ijs quæ sequuntur. Ex quibus apparet euidenter non esse vnam Regulā hanc,& illam, sed esse duas distinctas. Ad huius confirmationem facit Magister Thomasi Hibernicus, olim socius in Sorbona Parisius, qui in compilatione sua, quam manipulum florum appellat, inter alios libros Augustini, duas Regulas distinctas computat,& designat. Sed quoniam Regula ista vltima, quę speculum appellatur, ómnia illa quæ fuerunt in primis duabus, vt ita dicam, Regulis instituta, in se sufficientius,& luculentius complectitur, Iccirco ea superueniente, tanquam maiori lumine, ad illam se tam canonici, quàm Fratres tenuerunt: Fratres tamen in signum suæ primæuæ institutionis exordium primæ Regulæ cum ista Regula retinuerūt. Et inde est, quod in Regula, qua Fratres vtuntur, hoc exordiū præmittitur: *Ante omnia Fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.* Et mox, alijs omissis, quasi sub continuatione subinfertur: *Hæc ergo sunt, quę vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti, &c.* Quod autē ipse P. August. eādem Regulam, quæ speculum dicitur, nō solū canonicis regularibus, sed etiam Fratribus suis in eremo commorantibus tradiderit plane patet ex sermone suo De tribus generibus monachorum qui incipit: *Vt nobis per literas.* Vbi ipse commēdans quosdam ex eisdem Fratribus dicit sic: *Non solum ipsi pauperes esse voluerunt, sed supra illud quod in speculo nostro edidimus facere voluerunt.* Ecce quod Fratres illi Regulam, quæ Speculum dicitur, habuerunt,& seruauerunt. Et nihilominus vltra hoc super erogauerunt. Hoc etiam patet ex sermone suo. *De Margaritis* Regularis institutionis, quem fecit ad Fratres in eremo. In quo sermone ipse Augustinus omnia substātialia, & præcipua, etiam cæremonialia eiusdem Regulæ breuiter complectitur, concludens sermonem illum cum principio Regulæ dicens: *Hæc ergo sunt, quæ vt obseruetis præcipimus.* Et tunc videtur quod ipse Regulam illam illis tradidit,& specialiter ipsam eis appropriauit, vt patet ex contextu eiusdē sermonis. Quæ etiam Regula pro statu moderno est Ordini nostro per sedem Apostolicam specialiter applicata, auctorizata, & confirmata, vt habes supra lib. 1. cap. xiiij.& cap. xix. De qua etiam Regula habes infra lib. iij. cap. iij.

Ser. ad Fratres.

Serm. 1. ad Fratres.

Commendat Regula S. P. Aug. ex triplici capite.

Regula S. August. est vniuersalior.

Porro ad huius Regulæ commendationem dicere possumus, quod ipsa inter omnes alias Regulas approbatas est vniuersalior in multitudine professorum. Planior in limpitudine contentorum,& suauior in moderamine præceptorum. De eius vniuersalitate patet, quia non solū eam tenent istius sacri Ordinis professores,& canonici regulares, q̃bus duobus Ordinibus ipse August. eam dignoscitur tradidisse, sed etiā Fratres Prædicatores, Præmonstratenses, Robertini, Serui sanctę Marię,& quā plures

plures alij Religiosi. Et si qui forte istorum Ordinum contendere volũt de ipsius Regulæ primatu: Quis videlicet ipsam Regulã prius, vel principalius, seu dignius suscepit, & maiorem prærogatiuam ex eo obtinere contẽdat, ego omni scrupulo semoto, æstimo, quod illi de ipsius Regulę primatu dignius glorientur, q̄ contenta in Regula deuotius, & feruẽtius exequũtur, & si optare possem, hoc mallem in isto sacro Ordine potius inueniri, q̄ quod ipse P. Aug. Regulam ipsam patribus nostris primo dedit. Non enim de primitate collationis, sed de præcipuitate obseruationis est curandum. Sed timendũ est, quod de plerisq; de principalitate Regulæ litigantibus accidat sicut de Iudęis, qui gloriantur se primos, & præcipuos esse in collatione legis, eo quod lex à Deo p Moysem eis immediate fuit data, sed tñ ipsi de ipsius legis obseruantia minime curãt, immo ab ea multũ deficiunt. Vnde de talibus verificatur dictũ cuiusdã senis in Vitasp. dicentis sic: *Prophetæ conscripserunt libros, Patres autẽ nostri venerunt post eos, & operati sunt eos. Et iterum successores eorum commendauerunt eos memoriæ. Venit autem generatio, quæ nunc est, & scripsit eos in chartis, & membranis, &c.* Posuit eos in fenestris vel cistis otiosos. Hæc ille: Quod autem ista Regula sit planior, & clarior in limpitudine contentorum patet. Quia de nonnullis alijs quantũ ad contenta in eis apud sedem Apost. varia dubia sunt exorta, & diuersæ declarationes postulatæ, vt patet extra. De statu monachorũ in nonnullis capitulis. & de verb. signif. Exijt lib. vj. Et in Clementinis, Exiui de paradiso. Et in extrauag. Ioan. xxij. Ad cõditorẽ canonũ. & pluribus similibus: Sed contẽta huius sanctæ Regulæ tanta discretione sunt digesta, quod de eis apud sedem Apost. nullo adhuc tempore dubia sunt exorta. Quod etiã tertio sit suauior, & leuior in moderatione pręceptorum, patet. Nunquã enim fuit dubiũ apud quempiã, an in Regula B. Augustini contineatur aliquod pręceptum nedum impossibile ad obseruandum, sed nec supra modũ difficile fragilitati humanæ, sicut aliquãdo de quibusdã Regulis fuit dubitatum; Nec opus fuit per aliquam vmquam moderationem rigorẽ istius Regulæ tẽperari, vel pie interpretari, quinnimo cõstitutiones Ordinis rigorem vltra ipsam Regulam addiderunt. De quibus sane cõstitutionibus hoc tenendum est, quod factæ sunt per Fratres ipsius ordinis de speciali mandato, & auctoritate ipsius sedis Apost. prout liquet ex priuilegio D. Innoc. Papæ iiij. Quæ quidem constitutiones ab olim per antiquos Patres editæ, postea tempore B. mem. Fratris Clementis Prioris Generalis, de quo supra commemoraui lib. eod. cap. iiij. fuerunt emendatę, & melius ordinatæ. cũ n. idem Ven. P. Generalis quodã tempore ad conuentũ Senẽsem accessisset, audiens de persona pręclari viri F. Augustini de Terano, qui tunc temporis in Eremitorio Rosiæ in ma-

Vitasp pa. 2 lib de discretione.

Est planior & clarior cõtentorum.

Est suauior, & leuior.

Diligentia adhibita à Clemente Generali, & Aug de Terano pro cõstit. reformãdis.

gna hu-

gna humilitate degebat, ſtatum, & conditionem ſuæ perſonæ quantum potuit occultando, nec tñ omniquaque latere potuit lucerna ſub modio poſita. Vnde idem Prior Gen. eum accerſitum in ſocium ſuum aſſumpſit, & ducens eum ſecum ad curiam Romanam, ipſum licet inuitum fecit presbyterum ordinari, conuerſantes ij duo præclariſſimi Patres ſimul conſtitutiones Ordinis diligenti ſtudio reuiderunt, eaſque ſicut feruentiſſimi zelatores huius Religionis ordinatius ediderunt, diſtinguentes eas per capitula, & rubricas, & addentes nihilominus aliqua, & nonnulla detrahentes prout ſacræ Religioni, & bono ſtatui Ordinis congruere videbatur. Quas etiam conſtitutiones per tria capitula generalia ijdem venerabiles viri examinari fecerunt. Nã in capit. in Vrbeueteri Anno Dñi M.CCLXXXIIIJ. celebrato primitus fuerunt in lucẽ productæ, & publicatæ, Poſtea in Capitulo Florentiæ ad ſequens triennium celebrato fuerunt per Ordinem acceptatæ, & approbatę. Sed demum ad aliud triennium in Capitulo Ratiſponenſi, vbi interfuit venerabilis doctor F. Egidius de Roma aliquibus additionibus, & variationibus factis fuerunt ratificatæ, & confirmatæ. Et inde eſt, quod conſtitutiones Florentiæ aliquantulum diſcrepant à conſtitutionibus Ratiſponę. Quę conſtitutiones Ratiſponenſes poſtmodum exhibitę, & prę ſentatę fuerũt D. Clem. Papę v. per veñ. P. magiſtrum Alexandrum de S. Elpidio Generalem; & ab ipſo ſummo Pontif. fuerunt collaudatę, non tñ confirmatę. Quod pro bono Ordinis eſt omiſſum, non enim Ordini expediret cõſtitutiones noſtras per ſedem Apoſt. confirmari. Quia nonnunquam ex cauſa expedit ꝓ varietate temporis aliquid immutare; quod fieri non poſſet, ſi eſſent per ſedem Apoſt. confirmatæ; ſtatuta. n. per ipſam ſedem ex certa ſententia cõfirmata, nequaquã infringi poſſunt, niſi de mãdato, & voluntate ſummi Pontif. ſpeciali: Vt extra. De confirmatione, venerabiles, & cap. cum acceſſiſſent, & extra de conſtitutione cap. cum M. Ferrarienſis. Quare multum expediens eſſe pro Ordine dignoſcitur, quod ſtatuta, & acta capitulum generalium quando opus fuerit, ita Domini Papæ exhibeantur, vt per ipſum approbentur, & collaudentur, non autẽ confirmentur. Vnde cum ego olim legatione fungens Prioris Generalis & totius capit. Generalis Mediolani celebati electionẽ, & acta dicti cap. Sanctiſs. in Chriſto P. D. Clementi Papę vj. prę ſentaſſem, & ipſe ea me prę ſente perlegiſſet, interrogaſſetque me de conditionibus electi, & de quibuſdam actis agendis ipſe ad idem capitulũ direxerat ſub bulla litteras ſpeciales, & ego prout ab ordine habui in mãdatis a, ad ſingula reſpondiſſem, ipſe D. Papa ſubiunxit hęc verba formaliter: Perſona electa nobis placet, & acta laudamus. Non dixit: Confirmamus, quod ego valde notanter aduerti, & libenter audiui, & notaui.

Cõſtitutiones Ord. in lucẽ primo editę fuerũt in Cap. Vrbeuet. celebrato.

In Cap. Florentino fuerunt approbatæ.

In Cap. Ratiſponenſi fuerunt ratificatæ præſente magiſtro Egidio Romano.

Mag. Alexãder de S. Elpidio exhibet conſtit. Clemẽti Papę. v.

Nõ expedit Ord. vt cõſtit. ꝑ ſedem Apoſt. cõfirmentur.

B. Iordanus electus à Capit. Mediolanenſi, vt ꝑſentaret cõſtit. Clemẽti Papæ vj.

Eædem

Eædem etiam constitutiones nos obligant non ex earum transgressione ad culpam, sed tantum ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum, vt in procemio earundem constitutionum lucide continetur: Vbi sic dicitur: *Vt ergo paci, & vnitati totius Ordinis prouideamus, volumus, & declaramus, vt constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum*. Quod valde est, pro conscientijs Fratrum, ac etiam pro magna pace Ordinis, & vnitate, vt dictum est.

Constitutiones Ord. nõ obligant ad culpã sed ad pœnam.

De ipsa vero Regula beati Augustini, an omnia, & singula in ea contenta obligent professores suos ad culpam, vel, quod idem est, an omnia contenta in eadem cadant sub præcepto, perscutandum est. Dicit autem quidam solennis doctor quod sic, propter verbum: Præcipimus: in principio Regulæ positum. *Hæc sunt* (inquit) *quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti*. Et puto, quod iste doctor dicat verum quantum ad illos professores, qui Regulam sancti Augustini profitentur. Quamuis enim multa eorm quæ in Regula continentur de sui natura sint consilia diuina, vel Apostolica, eo ipso tamen, quod votum cadit super ea iam huic erunt pręcepta, vel vim præcepti habentia. Nam si verbum, pręcipimus, ibi non poneretur, sed, monemus, vel, consulimus, vel aliud quodcunque.

An oĩa quę cõtinent in Regula obligent ad culpam.

Sed puto quod nulli Religiosi habeant illam formam profitendi, Ideo dicunt alij, quod illi, qui profitentur sub hac forma: Facio professionem, & promitto tibi Prælato, & successoribus tuis obedientiam secundum Regulam sancti Augustini vsque ad mortem, hi, inquam, ad nullum eorum quę sunt in Regula obligantur ex præcepto, nisi secundum quod Pręlatus iudicet, vel imponat eis. Vnde si Pręlatus dicet huic Præcipio tibi hoc, vel illud de contentis in Regula, illa erunt sibi pręceptum, & non alia, quantũcunque legislator vtatur verbo pręcepti. sic enim iste promisit obediẽtiam, non quod obediret Regulę, sed Prælato secundum Regulam. Ita quod secundum istam viam ea, quę sunt in Regula non apprehendunt istum subditum nisi Pręlato mediante. Sed hãc formam profitendi non habet Ordo noster. Verum quidem dicunt prędicti, quod totum pondus quęstionis versatur circa formam professionis. Forma autem profitendi prout nobis pręstituta est ab antiquis Patribus Ordinis hęc est. Ego Frater N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, & beatę Marię semper virgini, & tibi Fratri N. Priori N. nomine & vice Prioris Generalis Ordinis Fratrum eremitarum sancti Augustini, & successorum eius viuere sine proprio, & in castitate secundum Regulam beati Augustini vsque ad mortem. Isti itaque professores profitentur explicite non solum obedientiam, sed

Forma professionis facienda.

omnia illi tria substantialia Religionis, & secundum hoc ęstimo, quod ista tria cadunt istis professoribus sub pręcepto, & ex voto explicito obligantur, etiamsi nunquam interueniat praeceptum Pręlati: De omnibus autem alijs pręter hęc tria sentio cum illis de secunda opinione, quod non veniunt sub pręcepto, nisi mediante Pręlato: non obstante illo: Pręcipimus, in principio Regulae; quod non semper accipitur necessitatiue, & potentialiter, sed interdum accipitur persuasiue, & doctrinaliter, sicut dicuntur praecepta artium; Vnde doctores, & magistri scholastici dicuntur praeceptores: quemadmodum beatus Hieronymus dicit se habuisse pręceptorem in grammatica Donatum, in rhetorica Victorinum, in Theologia Gregorium Nazianzenum, in hebraica autem lingua dicit se habuisse praeceptorem Barrabam iudaeum, vt ipse scribit ad Pammachium, & oceanum. Sic etiam beatus Augustinus est praeceptor noster in disciplina regulari; Vnde & in hoc opere frequenter ipsum praeceptorem nostrum allegaui, & appellaui: Et obligantur professores isti ad praedicta tria non solum absolute, sed etiam secundũ modificationem Regulae, ita quod Frater teneatur sub praecepto, & ex voto obedire praeposito, tam secundum substantiam actus obediendi, quàm etiam secundum modum obediendi descriptum in Regula, qui est, obedire quidem praeposito, sed multo magis presbytero, & ad eorum arbitrium de neglectis emẽdatoriam subire vindictam, ire cum quo ipse iusserit, & habere eum in honore, & reuerentia; & similia, quae pertinent ad subiectionem subditi, quae modificant obedientiam. Similiter est de viuere sine proprio, et in castitate; sicut de his suis locis disseretur. Ad coetera autem in ipsa Regula contenta, & si non teneamur ex praecepto, nec ex voto explicito, quicquid sit de forma profitendi, aestimo, quod teneamur saltem ex statuto, vel consilio, vel monitũ Patris nostri, cuius Regulae nos subiecimus, ita tamen, quod eorum transgressio non inducet peccatum mortale, nisi forte propter contemptum: quod videlicet qs ex proposito statueret apud se pertinaciter nolle illa, vel illa seruare, quae continentur in Regula, sub qua se militare gloriatur. Adulterinum profecto filium se esse demonstrat, qui Patris monita seruare recusat. Vnde quicunque scienter aliquid contentorum in Regula seruare omiserit, non est dubium, peccatum & reatum contrahere, de quo poenitere debet secundum consilium eiusdem Patris in Regula in fine, vbi inquit: *Quicunque viderit aliquid sibi deesse, doleat de praeterito, & caueat de futuro, orans vt sibi debitum dimittatur, &c.* Est autem signanter aduertendum, quod in forma profitendi praemissa, vbi dicitur: promitto obedientiam Deo, & beatae Mariae virgini, quidam apponunt: Et beato Augustino credentes benefacere ex simplicitate, & de

Tom. 2. Epistola. 65.

uotione

uotione quadam inconsiderata ad sanctum Augustinum patrem nostrum. Ex hoc plures libri constitutionum moderno tempore sunt correcti, vel potius corrupti, cum nec in antiquis constitutionibus Patrum nostrorum, nec in forma per Innocentiũ Papam iiij. in quodam priuilegio Ordini præstituta, illa appositio habeatur. Quod æstimo mysterio non vacare: promittere enim obedientiam beato Augustino, secundum eius Regulam, qđ est aliud, quàm eius Regulam indefinite, & generaliter ad omnia contenta eius se obligare? cum in tali materia, indefinita æquipolleat vniuersali in iure. Non enim Deus, vel beata Maria, nec Prælatus pręcipiunt nobis seruare omnia, & singula contenta in Regula, sicut facit beatus Augustinus ita exordiens. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus, &c.* Tutius est stare in antiqua forma Patrum, quàm incaute inducere nouitatem.

AD CAP. XIIII. NOTÆ.

a Quod vero iste libellus.] *Huius sententiæ videtur fuisse Volateranus lib. 21. Antropolog. & probat illam fusius Coriolan. quamquã Ioan. Trull. de canoni. regular. lib. 1. cap. 9. dicat hoc totum esse apocryphum. ceterum auctoris senten. mihi omnino placet: nam ante susceptum Episcopatum, non fit simile vero, quod canonicis Regulam dederit, quam tamẽ suis Fratribus dedisse est certissimum.*

b Reuocauit eam.] *Id quod fusius explicat Archiep. Salernit. tract. de Ecclesiast. reddit. orig. & iu. par. 1. cap. 5.*

c Complectitur Gratianus.] *Hoc ipsum animaduertitur in Notationibus ad Decretum Gratiani iussu sedis Apostolicæ impressum in d. cap. nolo. & in cap. quando. 86. dist. Primus autem & Secundus sermo sunt To. 10. sub num. 52. & 53. ad Fratres in Eremo. Tertius omnino conuenit cum Epist. 109. qui sermones in lib. opusculorum alias impressorum sunt inscripti, de communi vita cleric. Sed quæ in Epist. dicuntur, directa sunt ad monachas, quæ vero in sermonib. ad viros. Partem verò cap. Nolo. refert Beda in commenta. 2. Corint. cap. 8. ad illud vero videndum est Concilium Aquisgranen. cap. 112.*


d Et quamplures alij religiosi.] *Vt S. Brigidæ, Hospitalarij, S. Antonij, Syluester vers. Religio. 1. num. 7. Ordinis S. Trinitatis. Redemptionis captiuorum, Sepulchri Iesu Christi, Militię Iesu Christi, S. Mariæ de mercede, S. Spiritus in saxia, sororum pœnitentiæ S. Mariæ Magdalenæ, quibus plures addit Ambr. Coriolan. in Orat. de laudibus S. Augustini coram Paulo II. Pont. max. habita. Io. Trull. d. cap. 9. ad fi.*

Ad cul-

e Ad culpam.] *Quando transgressio sit peccatum mortale, luculenter docet S.Tho.2.2. quaest.79. art.4.ad 3. & fusius quaest.186.art.9.S. Antonin.par.3. tit.16.cap.1.§.6.Syluest.ver.Religio 1.quaest.11.Panor. & Feli.in cap.Nam concupiscentiam.de constitutio.Alfonsus de Cast.de lege pœna Domin.Sot.lib.1.de iust.& iu.quaest.1.ar.4.Io. Trull.de canoni. regularib.lib.4.Pralud.3.*

f Præcipimus.] *Non semper necessitatem importat. Alfonsus Tostad.in Exod.Tom.2.fol.35.& in Leuit. fol.102.qua de re tamen videndenda sunt qua notantur in cap. quod pracipitur 14. quaest. 1. & in cap. in his.de verb. significat. Cardin. in Clemen. 1.§. Ideoque. de reliq. & venerat.sancto.*

De officio diuino, & modo cantandi atque psallendi. Cap. XV.



Cultus diuinus attendit præcipue in officio diuino, & orationibus.

De oronib' publicis, & priuatis.

PRimum, & præcipuum in communi vita, quam Regula sacræ Religionis instituit, obseruandum, debet esse cultus diuinus. Cultus autem diuinus quātum ad præsens attinet negotium attenditur in officio diuino, & orationibus. Orationes autem nostræ quædam sunt communes, & publicę, sicut sunt horæ canonicę, quędam vero priuatę, puta quas quilibet pro deuotione sua facit in priuato: & de vtrisque Pater, & pręceptor noster in Regula nos instruit dicens: *Orationibus instate horis, & temporibus constitutis*. Et hoc quantum ad orationes communes, & subdit: *In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit, vt si forte aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint*. Hoc de orationibus priuatis, & postea subdit: *Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum*. Hoc etiam intelligitur de publico officio quod solenniter fit cum cantu. Quod vero sit illud officium diuinum cum cantu, vel sine cantu, ad quod Fratres huius Ordinis tenentur, perscrutandum est. Ad cuius euidentiam est sciendum quod tempore B. Augustini nondum adhuc diuinum officium fuit per Ecclesiam ordinatum vt nunc, sed agebatur in Ecclesijs sicut quibuslibet bonum videbatur pro captu suæ mentis vt habetur in instit.Pat.lib.ij.cap.ij. iccirco B.Aug.Fratribus suis ordinauit tale officium, quale in prima Regula sua, quę incipit: *Ante omnia.* continetur. Et licet B. Damasus Papa tempore Theodosij Imperatoris institue-

instituerit psalmos die noctuque in ecclesijs decantari, prout eos B. Hieronymus ad iniunctum eiusdem Damasi Papæ distinxerat cum Gloria Patri, in fine psalmorum dicendo; hęc tñ institutio nondum adhuc fuerat per mundum promulgata. Quare in illo primitiuo statu Ordinis, Fratres ad illud officium B. Augustini tenebantur. Postmodum vero officio ecclesiastico per B. Gregorium adhuc melius ordinato, & Fratribus à sua dispersione succedenti tempore, vt supradictũ est, recollectis, sedes Apostol. officium Rom. Eccles. Fratribus eiusdem Ord. agendum tradidit, ac per hoc à prioris officij per B. Augustinum primitus descripti obseruantia eos exemit. Alias .n. si sedes Apost. non interuenisset, Fratres adhuc ad illud officium ex Regula tenerentur. Sciendum etiam qđ postquã B. Aug. factus fuit Episcopus, & institutio Damasi Papæ de diuinis officijs per eius successorẽ S. Syricium Papam promulgari cœpisset, in illa nouitate quilibet de capite suo cantauit quod voluit, etiam illa quæ non fuerunt ad cantandum, sed ad legendum scripta; quã absurditatẽ B. Aug. à suis sectatoribus remouere uolens, hanc clausulam adiecit in Regula: *Et nolite cãtare nisi quod legitis esse cantãdum, quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.* In modo etiam cãtandi semper plus Frater quærat Deo placere, q̃ auditoribus. Qui.n. studet Deo placere. s. in cantando, quanto purius, & simplicius cantauerit, tanto magis Deo placebit, plus enim attendit Deus deuotionem, & puritatem cordis, quàm modulationem vocis, sicut quidam ait.

Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor,
Non clamor, sed amor sonat in aure Dei.

Non enim intelligitur simpliciter Deo cantare, qui negligit cantũm addiscere, & bestialiter cantat: quia, qui cum ignorãtia cantat, bestialiter cantat, immo sicut bestia latrat: & talis Deo non placet, sed displacet, quia noluit scire quod potuit. Sunt enim aliqui indispositi ad recte cãtandum, tum ratione naturæ, tum etiam ratione vocis, tñ cantare debẽt sicut sciunt post alios, & si dissonant ab alijs, taceant, nec se præsumant esse quod minime valent, nec in suo fatuo cantu glorientur, sicut multos in Ordine audiui. Vnde ipse Pater, & præceptor noster legitur dixisse x. Confess. *Cum mihi accidit, vt me amplius cantus quàm res, quæ cantatur moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & mallẽ non audire cantantem.* Conf li. 10. cap 33.
Vbi etiam recitat quomodo ipse cum fuisset Mediolani statim post batismum frequentabat ecclesias, & intentus modulationi hymnorum, & psalmorum melodiæ reficiebatur delectabiliter, & flebat hilariter. Nar-

rat etiam ibidem Augus. de Athanasio Alexandriæ Episcopo, quod tã modico vocis flexu faciebat legi psalmos, vt lector pronuncianti esset similior, quàm cantanti. Quidam Frater deuotus solitus erat frequenter cum magna deuotione cantare in choro, & cum tanto zelo quem ad diuinum officium habuit, quod nunquam, vt sibi videbatur, de cantu fatigari potuerit, cum autem in quadam solennitatę tantum cantasset, qđ quasi spiramine deficeret, quiescens in lectulo somno, arripitur, visumq; est ei quasi omnem flatum quem cantando ad honorem Dei expirauerat, de corde Dei reinspiraret. Expergefactus igitur confortatũ, & totum recreatum se persensit, & extunc adhuc maiori feruore ad laudem Dei cantauit. Cantus autem clamosos, & fractos, qui non ad laudẽ Dei, sed ad vanã gloriã fuerint, Deus parũ reputat, & dæmon approbat.

Exempl de Fratre st en nue cantan te in choro.

Vnde refert Cæsarius quod in quadam festiuitate, clericis quibusdã cantantibus, & voces tumultuosas in sublimè tollentibus, vidit vir quidã religiosus quendam dæmonem in loco eminentiori Ecclesiæ saccũ nigrũ in sinistra manu tenere, & cum dextera cantorum voces in eodẽ sacco mittebat. Illis autẽ expleto cantu inter se gloriãtibus ꝙ bene, & fortiter Deũ laudassent, respõdit ille qui viderat visionẽ: bene q̃dẽ cantastis. saccũ plenũ cãticis. Mirãtibus illis cur hoc diceret, exposuit eis visionẽ.

Item refert idem quod in quodam monasterio cisterciensis Ordinis inchoato psalmo mediocri voce, & in eadem ipsum prosequentibus monachis senioribus, quidam iuuenis Frater arrogans vocem vltra tres tonos exaltauit, & licet seniores illi resisterẽt, ipse tñ quibusdam partẽ suam adiuuantibus, præualuit, sicque seniores propter scandalum eius cesserunt, mox ex ore eius, dæmon quasi cãdens ferrum visus est exilire ad eos qui ipsum iuuerunt. Cum autẽ Fratres ad diuinum officium steterint, caueat sibi quilibet ne sit piger, & fastidiosus, sed cogat corpus, & spiritum stare reuerẽter, & psallere Deo alacriter coram Angelis, qui ibi pręsentes assistunt dicẽtes cũ psalmista: *In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.* Risus & verba inutilia penitus detestetur, vbi corã Dño maiestatis cũ metu, & reuerentia assistere debet. Verba psalmodiæ distinctè, & integre pronunciet nõ syncopando, aut nimiũ accelerando. Vnde B. Bernardus sup Cant. serm. xLvij. Fratres suos admonet dicens: *Vos moneo dilectissimi pure semper ac strenue interesse laudibus diuinis: strenne quidem, vt sicut reuerenter, ita, & alacriter Domino assistatis: non pigri: non somnolenti: non oscitantes: non parcentes vocibus: non præscindẽtes verba diuina: nõ integra transilientes: nõ fractis & remissis vocibus muliebre q̃ddam balba de nare sonantes, sed virili, vt dignũ est, & sonitu, & affectu voces Sancti spiritus depromentes.* Legitur in Institutis Patrũ lib. ij. c. x. quod tanta erat disciplina psallendi apud Patres in

psal. 137.

Ægypto,

Ægypto,quod conuenientibus eis ad solennitates,quas synaxes vocant in tam numerosa Fratrum multitudine tantum erat silentium, quod præter eum, qui psalmū cantabat nullus hominum penitus adesse crederetur, præcipue cum oratio consummabatur, in qua non sputum emittebatur,non excreatio,non tussis,non oscitatio,nec vox aliqua intersonabat,nisi forte hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit.

Quidam Frater habens in consuetudine cursorie, & negligenter dicere horas,quadam,nocte cum matutinum cum socio quasi crocitaret potius quàm legendo pronunciaret, audiuit diabolum in specie corui iuxta se crocitantem, & quasi eum deridentem. Ex quo Frater timore correptus extunc maiorem diligentiam in dicendo horas adhibuit.

Item fertur, quod cum duo Fratres quadàm nocte sedēdo in lectis suis quasi cubando dicerent pariter matutinum,adfuit diabolus, cum fœtore intolerabili dicens: Ad talem orationem tale debetur incensum. Fratres vero,qui nec psallere neque cantare sciunt, sicut idiotæ,& illiterati; vel qui non possunt,sicut senes, & valetudinarij,pro horis suis [b] dicant Pater noster, &c. prout docet P. noster Aug. in serm. quodam De oratione ad Fratres Eremitas,vbi alloquens hos Fratres idiotas sic ait: *O Fratres mei licet grossi sitis,& subtilia non capiatis,non tamen vos deteriores reputo,sed cariores vos habeo, & teneo ignaros humiles, quàm sapientes elatos:Diximus enim primo vobis quomodo psallere, orare,& manibus laborare debeatis, quando neceße fuerit, & si vobis tempus superfuerit Pater noster dicere non differatis*:Et infra. *Orate ergo Fratres dicendo Pater noster, referentes gratias bonorum omnium largitori.* Ser. 22. ad Fratres. De senibus vero, & valetudinarijs idem Pater in alio sermone qui incipit. *Apostolus Petrus Fratres carissimi*:sic inquit.*Et si aliqui sint ex vobis,qui per annos octoginta vel amplius sunt in eremo conuersati, &c.* Serm. 17. & infra: *Ideo volumus,& in Christi nomine ordinamus,vt & ipsi qui centum annorum sunt, & amplius, Pater noster,sedendo in lectulo dicant: & diligenter eis sine murmure seruiatur, & ipsi pro nobis intercedant in cælis, quorum habitatio iam ibi est*. Hæc Augustinus.

AD CAP. XV. NOTÆ.

a De officio diuino.] *Quæ ad hoc caput, & sequentia circa diuinū Offic.spectant explicantur latius per Innoc.Host. Io. And.Panor.& alios in ca.Dolentes de celeb.Missa.Summist.oēs in ver.horæ canon.Dom.Sot. lib.10.de iust.& iu.qu.5. Io.Medina in cod.de oratio. Martin.Nauar.de orat.& horis canon. Marcell.Francolinus de tempore horar. canonica. apud quos, quæcunque hæc spectant.*

b Dicat Pater noster.] *Insignis est hic locus S.Augustini,vt senes.De-*

crepiti, & vletudinarij p horis dicant Pater noster, quãuis Martin. Nau. hanc vti nouam quæstionem, & resolutionem à se primum excitatam & decisam dicat de hor. Canoni. cap. 11. num. 19. & 39. Cum tamen S. Augustinus tot antea sæculis id apertissime tradiderit.

De attentione in officio diuino, & in alijs orationibus adhibenda, & qualiter diabolus mentes orantium nititur abstrahere. Cap. XVI.

1. cor. 14.

cap. 3. Ver. psallentiũ.



Vmmopere conãdum est dum psallimus, vel oramus, vt quod ore precamur, hoc in mente meditemur, sicut ille qui dixit: *Psallam spiritu psallam, & mente.* Et hoc est quod dicit Præceptor noster in Regula: *Psalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Vnde Vgo in expositione Regulæ: *Sæpe* (inquit) *oramus, & alibi corde intendimus, nec ipsum quod dicimus recolimus. Sed illam orationem Deus non exaudit, cui ipse, qui orat non attendit: quod instinctu diaboli sæpe fieri solet, sciens enim vtilitatem orandi, & nobis inuidens gratiam impetrandi immittit orantibus cogitationum tumultus, vt mentem ab oratione diuidat, & fructum orationis tollat. Contra cuius malitiam debemus habere mentis constantiam, vt quanto plus cogitationum turba nos impugnat, tanto robustius nostra mens in sui status rectitudine fixa permaneat:* Hæc ille. Ad hoc idem hortatur beatus Bernardus super cantica sermone xlvij. dicens: *Pure psallere debetis, nil aliud dum psallitis, nisi quod psallitis cogitantes: nec solas dico vitandas cogitationes malas, vanas, & otiosas: vitandæ sunt & illæ, illa duntaxat hora, & illo loco, quas officiales Fratres pro communi necessitate quasi necessario frequenter admittere cõpelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia & nũc me viua voce dißerẽte ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa solubriter inter psallendũ reuoluitis; Spiritus .n. sanctus illa hora gratũ nõ recipit quicqd aliud quàm debes neglecto eo quod debes, obtuleris.* Hæc ille.

Vitasp. par. 1. De virtutib⁹ Macharij Alexandrini.

Legitur in Vitaspatrum, quod quodam tempore dæmon venit ad cellam beati Macharij in specie monachi, & pulsans ad ostium dixit illi: Surge Frater mi, & eamus ad collationem Fratrum. Vir autem intelligens dæmonem esse qui se alloqueretur, ait ad eum. O mendax, & veritatis inimicus, quid tibi est consortij in cõgregatione sanctorum? Cui ille cachinando dixit: Nescis quia sine me nulla agitur

collecta

collecta monachorum? Veni, & videbis opera nostra. Surgens igitur vir Dei,& abiens ad Fratres congregatos vidit paruos æthiopes discurrentes huc, & illuc,& velut volitando deferri,& si cui duobus digitis oculos tetigissent,statim dormitabat: si cui in os immisissent digitum,oscitare eum faciebat, apud aliquos etiam in mulierū speciem vertebantur,apud quosdam autem ędificabant,aut portabant,aut alia quęcunq; agentes apparebant,& sic vniuersa quę illi * ludentes figurabant, hęc ipsi Fratres in cordis sui cogitatione versabant:ab aliquibus tamen Fratribus vbi coram eis agere cœpissent, velociter repulsi sunt, ita vt nec ante eos transire auderent. Sanctus autem Macharius hac visione cōpleta singulos Fratres discutiebat,& sic vnunquenque delusum in sua cogitatione inuenit,quemadmodum ei per ostensionem fuerat reuelatum. *aliter videntes.

Item legitur in Vitaspat. de duobus iuuenibus Fratribus,quorum opera B. Macharius scire desiderans venit ad cellam eorum pernoctaturus cum eis;qui viso homine Dei adorauerunt in terrā;& facta ex more oratione, & sumpta refectione tandem mattulam in vno cellę angulo collocauerunt,ipsi vero in alio angulo quieuerunt. Sed postquam arbitrati sunt senem dormire, surgentes se in orationem dederunt,extendētes manus in cœlum,& facta est lux clara in cella quasi media dies, quā tamen illi non senserunt, senex autem vidit eam. Intentus ergo senex quid illi facerent, vidit tanquā muscas dęmones venientes in ore iunioris, & in oculis residere volentes, sed Angelus Domini repellebat,& eos eijciebat, ad maiorem tamen nullo modo accedere pręualebant: Et cognouit senex, quod maior quidem esset iam in timore Dei perfectus, minorem vero adhuc dęmones impugnarent,prope vero iam luce, proiecerunt se isti in eodem stratu suo. Tunc Macharius velut euigilans surrexit, similiter & ipsi quasi de longo somno excitati surrexerunt. Et accedens senior Frater ad senem dixit: Vis Pater duodecim psalmos cantemus? Cumque psallerent, de ore iunioris Fratris per singulos versus fax ignis egressa conscendebat ad cœlum. par. 2. §. 181.

Item & maior cum decantaret,quotiens ad psallendum labia deducebat,velut funiculus ignis de ore eius supertendebatur ad cœlū. Quod videns B. Macharius glorificauit Deum, & recommēdans se orationibus eorum, lętus abscessit. Denique non solum per occultas * inspirationes vanarum cogitationum diabolus nititur orationes Fratrum tollere,sed etiam plerumque per apertas,& terribiles molestias conatur orantes impedire.

Exemplum de B. Nicolao de Tolentino, qui sicut vir mirę sanctitatis erat, ita erat in oratione assiduus. Cuius deuotæ orationi diabolus inuidens non solum per inspirationes malas,& tentationes, sed & De B. Nic de Tolent.

I 3 per dura

per dura verbera,& apparitiones terribiles ipſum moleſtabāt.Vnde cū quadam vice ante altare in oratione conſtitutus eſſet,lampadem accenſam diabolus extinxit,ſed & ad terram ipſam dirimens fregit.Super oratorij autem tectum ſtans, voces diuerſarū ferarum formabat, imbriceſque reuoluens,tegmen ſubuertere conabatur.

At vir ſanctus illuſionem eſſe cognoſcens, orationi fortius inſiſtebat & ecce per oſtium cum furia, & terrore hoſtis nequiſſimus intrans ad orantem,arripienſq; ipſum tam grauibus verberibus eum afflixit,quod per multos dies vulnerum cicatrices in toto ſuo corpore apparebant. Quadam autem die, cum ſibi conſueret tunicam, diabolus ſibi de tunica vnam petiam accepit, quam cum vir ſanctus non inueniret,quærit, & requirit, inuenire autem non valens dicebat: Sancte Deus, & quis mihi ſic illuſit. Vere qui dignus non eſt nominari, ille mihi illuſit, mox ad verbum viri ſancti, diabolus reſpondit: Verum eſt; & illuſi, & illudam,ſed aliter tecum agam,ex quo ſic ſuperare non poſſum & ait vir ſanctus: Quis es tu?Ego ſum(inquit)Belial datus in ſtimulum
pſal 117. ſanctitatis tuæ. Et ille: *Si Deus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo.*De nocte ad conſuetam orationem redire volens cum oratorium apertum non eſſet, quia horam matutinalem ſic ſemper conſueuerat vir ſanctus præuenire,intrare volēs refectorium, vbi imago Crucifixi depicta erat,in limine oſtij à Belial diabolo tam fortiter ad terram proſternitur,vt in eo vix halitus remaneret, confortans ſe tamen in nomine Crucifixi ſurgit de terra: cū vellet ad orandum procedere verberibus ceditur, & ad terram iterum deijcitur. Tandem cogitur inde recedere: & ad vnum angulum loci, quem in eundo inueniebat, vehementer alliditur:Deo autem volente,auditur ſtrepitus dæmonum in refectorio cum viro ſancto præliantium,excitatique Fratres conueniunt, & B. Nicolaum ad terram eliſum inuenientes, erigenteſque, ſtare non potentem ad lectulum pauperculum deportauerunt:Vbi confortatus à Chriſto,protinus ſurrexit baculo ſe ſuſtentans, & conſuetas orationes perficiens,gratiarum actiones reddidit Saluatori. Itaque, quia tot infeſtationes orantes ſuſtinent,hinc eſt, quod inter alia bona opera orare eſt difficillimum.

Vitaſp. par. 2.vt ſine intermiſſione oretur. De Agathone Abbate.

Vnde legitur in Vitaspatrum, quod interogauerūt Fratres abbatem Agathonem dicentes; Pater quæ virtus in conuerſatione plus habet laboris;& dixit.Credite mihi, quia puto non eſſe alium laborem talem quàm orare Deum.Dum enim uoluerit homo orare Deum ſuum,ſemper inimici dæmones feſtināt interrumpere orationes,ſcientes quod ex nulla re impediuntur niſi per orationem effuſam ad Deum. Si quidem omnem alium laborem,quem homo in conuerſatione ſua religioſa poſitus

sa positus assumpserit quamuis instanter, & tolerantet agat, habet tamen, & possidet aliquam requiem. Oratio autem vsque ad vltimam exhalationem opus habet magni certaminis, hæc ibi. Et inde est quod in principio omnium horarum canonicarum munientes nos signo crucis contra infestationes Diaboli dicimus: *Deus in adiutorium meum intende*. De cuius versiculi efficacia in Collationibus Patrum, Collat. Isaac Abbatis dicitur: quod hic versiculus recipit omnes affectus, Collat. 10.
quicunque possunt humanę naturæ inferri; & ad omnes incursus con- cap 9.
uenienter aptatur; habet enim contra omnia discrimina imminentia protectionem diuinæ inuocationis, habet etiam timoris, & solicitudinis perpetuam vigilantiam, habet considerationem fragilitatis propriæ, habet exauditionis fiduciam. Hic versiculus omnibus infestationem dæmonum patientibus inexpugnabilis murus est, & clypeus munitissimus defendens nos contra omuem vitiorum impugnationem, in quacunque enim tribulatione, vel necessitate constitutus habet dicere: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina:* psal. 69
Et hæc inuocatio à cunctis vitijs te expurgat, & ad illas cœlestes Theorias perducit, atque ad illum ineffabilem ardorem orationis perpaucis expertum. Hęc ibi. Sciendum autem sicut dicit Augustinus super Ioan. hom. xxij. si quis parum intelligat psalmum, credat tamen aliquid boni esse, quod cantat, non omnino sine fructu est. Idem credo, si quis bene intelligat, & tenetur intendere, sed ex fragilitate distractus, non intendat actualiter ei quod cantat.

Exemplum in vitaspatrum. Dixit Abbas Pœmen, & multi alij san- Vitasp. pa. 2
ctorũ Patrum: Sicut incantatores illi, qui serpentes solet incantare sæpe 5. 36.
non intelligunt verba, quę ipsi loquuntur, sed serpentes audientes intelligunt virtutem illorum verborum, & conquiescunt, & obediunt eis, ita & nos faciamus: Quamuis non valeamus intelligere diuinarum scripturarum virtutes, tñ dęmones audientes diuini verbi virtutem terrentur, & profligati discedunt à nobis, non sustinentes eloquia Spiritus sancti quę per seruos suos prophetas, & Apostolos est loquutus.

AD CAP. XVI. NOTÆ.

a Inspirationes vanarum cogitationum.] *Docet hoc moraliter, & luculenter S. Greg. lib. 16. moral. cap. 19. Porro de tentationibus tempore orationis plura habes exempla apud Eborensem To. 2. hoc ipso tit. de tentationibus tempore orationis.*

Qualiter quis ad orationem se debeat præparare. *Cap. XVII.*

Coll.9.c.3.  Icut dicit Ioan. Caſſ. in collationibus Patrum, collatione Abbatis Iſaac; quales in orationibus volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex precedenti enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur, & iccirco, quicquid volumus vt nobis orantibus non ſubrepat, de noſtri pectoris abditis euellere feſtinemus, quicquid enim ante horam orationis mẽs noſtra conceperit, neceſſe eſt vt hoc nobis orantibus per recordationem occurrat. Vndo etiam Vgo in expoſitione Regulç: *Multum* (inquit) *ad orationis puritatem iuuat, ſi in omni tempore, vel loco nos ab actibus illicitis temperemus; ſi ſemper ab otioſis ſermonibus auditum, & linguam pariter caſtigamus: ſi in lege Domini ambulare, & teſtimonia Domini aſſueſcamus toto corde ſcrutari; quæcunque enim ſępius agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceßе eſt vt ſæpius ad animum, quaſi ad propriam, & ſolitam recurrat ſedem.* Studeat ergo Frater, vt cogitationum tumultus valeat euitare, priuſquam incipiatur officiũ cor ad deuotionẽ excitare. Ideo enim tam deſides, & tepidi ſumus in Diuino officio, quia ante non ſumus deuotione excitati, & ita eximus ſicut intrauimus frigidi, & diſſoluti. Cum vero officium incipitur, cogitationibus vagis iam reiectis, mentem ſurſum ad Deum habeamus intendentes ijs, quæ pſalluntur: Alioquin ſi primo cogitationibus aditum aperimus, poſtea tumultus earum uix euadere poterimus. antiquus enim hoſtis immiſſor talium cogitationũ ſemper ſolicitus eſt, cuius ſi capiti non reſiſtitur, totus in intima cordis, dum non ſentitur: dilabitur, & vt fortis armatus conatur cuſtodire atrium ſuum. Et contra hæc multum valet, ſi Frater mox vt a ſomno euigilat, cogitationes abijciat, quibus eum diabolus vellet occupare, & primitias cogitationum ſuarum, & actionum offerat Domino in oratione vel aliqua bona meditatione cum corporis excitatione, videlicet genuum inflexione, manuum protenſione, brachiorum in modum crucis expanſione, totius corporis proſtratione, & ſimilibus, vt docetur in collat. Patrum collatione xxj. ex quibus affectus deuotionis excitatur, & ſpiritus incaleſcit, et ex hoc Frater erit tota die deuotior, & expeditior. Exemplum de quodam deuoto Fratre, qui conſueuit informare Fratres iuuenes, & nouitios ut quotieſcunq; in lecto euigilaſſent de ſomno, totiẽs erectis manibus in cęlum aliquid orando, laudarent Deum ſuum. Nec dubium quin deuotus Dei famulus hoc faceret in opere quod ore docebat.

(margin: cap. 3. Ver. pſallentiũ.)

Sciendum

Sciendum autem, quod sicut dicit idem Ioannes Cassianus in lib. Collationum Coll. ix. vt eo feruore, & puritate qua decet emitti possit oratio, hęc nobis sunt penitus obseruanda. Primo, enim sollicitudo rerum temporalium est penitus abscindenda. Secundo, vt nullius negotij curam, immo nec memoriam admittamus. Tertio, vt detractiones vaniloquia, scurrilitates similiter amputemus. Quarto, iræ, & tristitiæ perturbatio est eruenda penitus funditus. Quinto, vt fomitem carnalis concupiscētiæ à corde nostro radicitus euellamus, & ita quibuslibet vitijs penitus abscisis iacienda sunt primum fundamenta humilitatis profundę, quę turrim illam præexcelsam cœlos penetrantem feruorem seu deuotionem orationis valeat sustentare. Deinde superponenda est virtutum extructio, per quam mens ab omni purgatione lubrica possit cohiberi, & ad contemplationem diuinam, & excessus theoricos incipiat sublimari, ac si semper tibi dicatur: *Sursum corda*. Et quicunq; sic fuerit pręparatus, talis ad illam pertinget orationem, de qua sanctus dicebat Antonius: non vtique humana, sed cęlesti sententia. *Non est* (inquit) *perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit*. Sic præparata fuit illa sanctissima matrona beata Monica mater S. Augustini, de qua ipse August. scribit in Epistola ad sororem suam sanctimonialem virginem, quod ipsa sępe in oratione tanta ebrietate Sancti spiritus * replebatur, quod in ea fere per totum diem quiescens, dum esset rex in accubitu sui cordis, neque vox, neque sensus in ea audiebatur. Nec mirum, quia illa pax, quę exuperat omnem sensum sepeliebat viduę sensus corporales in tantum, quod vix matronę nostrę ac conuicinæ eam pungentes excitare valerent. In die autem B. Cypriani dum hęc Christi ancilla mereretur accipere sacramenta, dum esset in domo, fere per cubitum à terra eleuata fuit clamando, quæ quietissima esse consueuerat, dicens: Volemus ad cœlum, volemus ad cœlum fideles. Quam cum post interrogaremus, quid sibi acciderit, non respondebat, sed tanto gaudio replebatur, quod omnes ad festum perducebat cantans cum Propheta: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Item dum quadam die ancilla Christi præuenta, & visitata à te Domine beneficia tua, quæ tu in carne humano generi clemens exhibuisti, consideraret, tantam compunctionis gratiam, tantamque lacrymarum copiam torculari tuæ passionis expressam in passione adinuenit, quod vestigia eius per Ecclesiam lacrymæ desuper pauimentū copiose defluentes ostendebant: & quanto plus à defluentia lacrymarum hortabatur desistere, tanto plus fluuius lacrymarum oriebatur. Hæc August. Ad consimiles excessus theoricos rapta fuit eadem mater simul cum filio Augustino, vt scribit ipse Augustinus ix. lib. Confess. cum

Coll. 9. cap. 2. & 3.

Pręcepta necessaria accedenti ad orandum.

Io. Cass. collat. 9. ca. 31.

De S. Matre Monica.

To. 10. De vita, & conuersatione S. Monicæ.

* aliter rapiebatur

psal. 83.

cap. 10.

starent

ſtarent ſimul incumbētes ad feneſtram vnde hortus proſpectabatur, remoti à turbis vbi colloquebantur ſoli valde dulciter de vita æterna ſanctorum, inhiabant ore cordis in ſuperna fluenta fontis vitæ, erigentes ſe ardentiore affectu in idipſum, & gradatim tranſcendentes cuncta corporalia attigerunt raptim toto ictu cordis regionem vbertatis indeficientis fontem vitæ æternæ: cui ſuſpirantes, & ibidem religatas primitias ſpiritus relinquētes ad oris colloquium redierunt, vileſcebatque eis mundus iſte inter verba cum delectationibus ſuis.

Quod etiam ad eoſdem exceſſus rapiebatur idem P. Auguſtinus ipſe cum gratiarum actione humiliter confitetur Deo, ſic inquiens x. lib. Confeſſ. *Aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatū introrſus ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit quod vita iſta non erit.* Et ad iſtos theoricos exceſſus frequenter trahi aſpirans idem contemplator Auguſtinus in libro de contemplatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſic ait: *Tu es Domine vita mea, qua viuo: ſpes, qua inhæreo: gloria quam adipiſci deſidero. Tu mihi cor tene: mentem rege: dirige intellectum, amorem erige, animum ſuſpende, & in ſuperna fluenta os ſitientis te ſpiritus trahe. Taceant, quæſo, tumultus carnalium, conticeſcant phantaſiæ terrarum, & aquarum, aeris, & poli, taceant ſomnia, & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, omne ſignum, & quicquid tranſeundo fit. Vileat ſibi; & ipſa anima, tranſeat ſe: non cogitando ſe, ſed te Deus meus, quoniam tu es reuera tota ſpes, & fiducia mea.* Et in libro poſtulationum dicit ſic: *Præbe mihi Domine contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem ſurſum.* Et cętera talia multa dicit ibidem. Sic tractus, & raptus fuit idem Auguſtinus cum quædam ad eum mulier ſedentem in ſtudio acceſſiſſet, & nullum reſponſum, nec nutum ab eo habere poſſet, cui poſtea in viſione dictum eſt: cum ad Auguſtinum iuiſti, ille de Trinitatis gloria attentiſſime diſputabat, & ideo quod ibi fueris penitus non aduertit. Sed modo ad eum ſecure redeas, & eum clementem inuenies, & ſalubre conſilium reperies.

De S. Nicolao de Tolentino.

Sic etiam per omnia præparatus fuit ille eximiæ ſanctitatis vir B. Nicolaus de Tolent. in cuius deuotæ orationis, & theoricæ contēplationis ſignum, quędam ſtella præfulgida cum ad locum orationis iret, eum ſæpius anteceſſit. Cum enim quadem nocte vir Dei diu in oratione perſtitiſſet in cella ſua, aliquantulum obdormiuit, & ecce in ſomnis apparuit ſidus clariſſimum, quantitate permaximum, motu velociſſimum ſitu non altū, ſed quaſi prope terrā ad ſtaturā hominis incedens; Videbatur autem quod huiuſmodi ſidus nouiſſimum ex caſtro S. ncti Angeli, vnde

li, vnde idem sanctus traxerat originem, haberet initium, motu vero progrediens Tolentinum ante altare post chorum oratorij, quod tunc erat versus claustrum, vbi ipse consueuerat frequentius celebrare de mane, & in die frequentius, & de nocte interdum persistere in oratione, stabilitatem haberet, & terminum: Ad cuius rei spectacululum gens diuersarum prouinciarum, & linguarum (vt ei videbatur) conuenerunt. Cumque de hoc signo mirifico non tam illa nocte quàm pluribus alijs noctibus certificatus esset, cum admiratione intra se cogitare cœpit qd sibi hæc visio significationis importaret: sed non inueniens, cuidam Fratri bonæ opinionis, & laudabilis vitæ visum suum sub secreto aperuit, qui quodam prophetico sermone respondit, dicens: Pater reuerende: Reuera hoc sidus præsagium est sanctitatis tuæ, nec mea mens vertit in dubium, quod vbi sidus expleuit suum motum ibidem locabitur corpus tuum, & ex multis miraculis, quæ ibi fient ad percipienda beneficia sanctitatis gentes variæ, quæ te non nouerant vndique properabunt, & tumulum tuum adorabunt. At vir sanctus semper humilitate fulcitus ait: Depone, care Frater, talem opinionem, quia semper Christi seruus inutilis fui, ipse Deus mihi exponat, quia non intelligis visum meum. Ad paucos autem dies cum ipse more solito de die intraret oratorium, quædam stella quasi motu progressiuo ibat ante eum vsque ad altare prædictum; & cum hoc quotidianis diebus accideret, intellexit in spiritu, quod hęc stella illius quam in nocte viderat expressiua veritatis aliquid contineret, cum igitur die alio oratorium rursus intraret, stella vt prius antecedebat eum; at vir sanctus reuerentia, & aliquali oratione ante memoratum altare facta, in longũ perambulans oratoriũ stellã vltra non videbat: sed cum ad altare ibat, mox stella super eum locũ apparebat, & cũ hoc per plures annos ante suũ obitum ei accideret, ipse non suam, sed Dei gloriam cum omni humilitate recognoscens, gratias egit Deo bonorum omnium largitori. Cumque tempus suæ migrationis instaret, Fratres in omni charitate rogauit, vt in eo loco eum sepelirent, & inde quocunque adueniente tempore nullatenus remouerent. Conueniens quippe erat, vt vbi spiritus viri Dei tempore orationis ad excessus theoricos teste stella sublimari consueuerat, ibi corpus in meritorum suorum iugem memoriam remaneret. Ad euidentiorem autem diuinæ pietatis manifestationem factum est, vt post eius obitum multis annis semper in die transitus sui, in qua gens infinita ad suum venerabile corpus pro sanitatis remedio expectando confluebat; & non ante, nec postea ab omnibus hominibus perspicere volentibus recte supra suum tumulum, quasi se non mouens videbatur, vt daret intelligi, quod B. Nicolaus non solum in terris fulgebat miraculis, sed & in

cœlis

cœlis præmijs iucundabatur æternis.

Exemp. deuotionis imitandum.

Fuit etiam quidam alius Frater magnæ deuotionis ad Deum, & ad sanctos eius, hic tam deuotus erat ad festa Christi,quod quodlibet eius festum habebat in charta depictum; & quamdiu quodlibet festum durabat tamdiu chartam illius festi depictam,quam in inchoatione festi in pariete cellæ suæ appendiderat, pendere dimisit,& ante illam sedendo, & deuote inspiciendo orabat, gemebat, & plorabat. Tam deuotus etiam erat ad festa B.Virginis, quod quodlibet festum ipsius aliquibus diebus ante suscipiebat,dicendo mille vicibus Aue Maria. Tam deuotus pręcipue ad festum omnium Sanctorum,quod antea per vnam septimanam ieiunijs, & castigationibus se ad suscipiendum festum ipsum præparabat, & per octo dies ad honorem omnium Sanctorum festum deuotione sedula peragebat. Tam deuotus insuper extitit in suis Missis, quod multum grauabatur, si minister, vel alia persona staret, vbi faciem eius videre poterat, quia de oculis suis lacrymę fluebant, quibus genas vbertim irrigabat, quod hominibus celatum esse cupiebat. Iste quia deuotus erat in sanctos, in die omnium Sanctorum migrauit ad Dominum, qui post aliquas septimana apparuit cuidam deuoto Fratri in somnis pulcherrimus,& iucundus indicans se sanctorum collegio feliciter sociatum.

AD CAP. XVII. NOTÆ.

a Plura *ad hoc caput spectantia reperies apud Io. Climacum grad.* 28.*de oratione,digna quæ ab omnibus accurate seruentur.*

De præparatione specialiter ad Missam, & sacram communionem. Cap. XVIII.

QVamuis autem ad quamlibet orationem se Frater quilibet debeat summo studio pręparare,ne fructu orationis frustretur: permaxime tamen ad celebrationem Missæ, & sumptionem sacræ Eucharistiæ se debet quilibet congrua pręparatione disponere,vt sacris mysterijs digne valeat ministrare,aut eis communicare;quæ quidem præparatio debet esse in tribus.

Pręparatio ad Missam ī trib' ꝑcipue consistit.

Primo in horarum canonicarum persolutione;debet enim sacerdos celebraturus ad minus dixisse Matutinum, & Primam cum deuotione quam Deus sibi dederit, cum proposito postea hora competēti cætera persol-

persoluendi. extra De celebrat. Missa cap. 1. & cap. Dolentes.

Secundo in orationum specialium prelibatione: & hoc est consilij, vt videlicet, quilibet iuxta affectum deuotionis suę aliquas orationes ex cõsuetudine dicat, quia per eas mens ad deuotionem excitatur, & spiritus ad Deum dirigitur, & reliquiæ peccatorũ absterguntur. Tales inquam orationes diximus esse consilij. non. n. vna lex de iis conuenienter dari posset oĩbus: quia quod vni esset parum, alteri esset nimium secundum varias dispositiones hominũ. Vnde legitur in vita B. Pachomij, quod cũ Angelus sibi deferens regulam hoc constitutũ referret, vt diurnis temporibus orationes duodecim fierent, & vespertinæ duodecim, & nocturnę duodecim, & Pachomius diceret nimis paucas esse illas orõnes: Respondit Angelus: Has constitui, quas possent infirmiores absq; labore perficere: cæteri qui perfectiores sunt, hac lege non indigent; apud se nãque in proprijs constituti cellulis orare non desinunt, qui puritate mentis, & diuina contemplatione pascuntur. In Reg. B. Pachomij.

Tertio, in peccatorum pura confessione, vt nullum pecatum in conscientia habeat; quia sicut dicit Papa Gelasius 1. quæst. 1. Sacrosancta. *Sacrosancta Religio quæ catholicã continet disciplinam tantam sibi vendicat reuerentiam, vt ad eam quilibet nisi purgata conscientia audeat peruenire. Nam quomodo ad Diuini mysterij consecrationem cęlestis spiritus inuocatus adueniat, si sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?* Vnde etiam dicit B. Hieron. super Malachiam xlix. dist. Sacerdos: *Sacerdotes nomen Domini despiciunt, & quãtum ad se panem pollutũ offerunt, qui ad altare indigne accedunt.* Quid autem sit indigne accedere aperit Glossa super illud 1. cor. xj. *Quicunq; manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne: Indignus quidem est, qui non deuota mente accedit, vel in voluntate peccandi manens, & ille talis reus est corporis, & sanguinis Dñi. i. mortis Christi pœnas dabit ac si Christum occiderit punietur.* Et quia tales etiam nonunquam pœna temporali puniuntur à Deo; ideo subdit ibi Apostolus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Hæc enim mala ex indigna sumptione eueniunt, vt dicit Glossa. Qui dicur. indigne cõmunicare. 1. cor. 11.

Erat quidam Frater in quadam prouincia leuem vitam ducens, qui licet forte sæpe horas canonicas non dixerat, nec aliqua præparatoria orationum prælibuerat, nec conscientiam per confessionem expurgauerat, quasi tamen omni die celebrauit, plus forte propter homines, quàm propter Deum. Hic quadam die, cum stans ad altare Missam celebraret præsentibus multis, & honoratioribus illius ciuitatis viris, post consecrationem, & eleuationem sacramenti, subito diuino nutu correptus tremens stupuit, & quasi obriguit nesciens, nec valens quic- Exempl. de Fratre impparato Missam celebrãte.

quam

quam vltra dicere, vel agere, sed ſtabat totus tremulus, attonitus, & ſtupidus. Quod aduertens quidam vir prudens de circunſtantibus, reuerenter acceſſit Fratrem perquirens, ſi quid ſibi obeſſet: At ille ait: Cito vocetur mihi talis, nominando perſonam meam, qui eram in conuentu, vtpote tunc in illa parte Ordinis fungens vice Prioris Generalis. Vocatus ergo ego celeriter adueni: Et cum incipere vellet confiteri, Ego cernens multitudinem, & qualitatem aſtantium perſonarum, & timens de ſcandalo blande confortaui Fratrem his verbis: Bone Fili ne timeas, habeas bonum propoſitum, confidens de Dei miſericordia, & loquaris mihi poſt Miſſam; nunc autem ſecure procedas, & perficias Miſſam ſuper me: & ego tibi aſtabo coram Deo, & Angelis eius. Et ſic Frater accepta fiducia quodam modo reuerſus eſt ad ſe: Et oſtenſo mihi loco libri canonis, vbi dimiſerat, me ſibi tamquam in corpore debilitato, & viribus deſtituto aſtante, & quaſi eum ſuſtentante Miſſam perfecit. Deinde veniens ad cellam meam narrauit mihi quomodo ex præſentia ſacramenti coram ſe poſiti incidit ſibi ſubito memoria peccatorum ſuorum. Vnde tam vehemens horror eum inuaſit, quod omnia oſſa ſua tremuerunt, & in illo horrore viſum fuiſſet ei quaſi dęmones ipſum viuum mox ad infernum deportare debuiſſent; Addens quod in illo timore, & horrore conſtitutus libenter fuiſſet confeſſus, & ſic pro me miſiſſet, rogans denuo, quod ſaluti animæ ſuæ prouiderem, & ego audita confeſſione ſua dimiſi eum taliter inſtructum, & emendatum, quod Deus ſit benedictus. Eodem die ibidem quidã alius Frater arreptus a ſpiritu phrenetico neſcio quali, iuit ſtare ante menſam, in qua comedi, cum alijs exclamans, & dicens hunc verſum: *Propter iniquitatem corripuiſti*
psal. 38. *hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius*. Et hoc dicto ille nihil vlterius loquens, vertens ſe, mox diſceſſit; Mirantibus alijs quid hoc eſſet, ego in mente mea verſum illum ad caſum qui recenter acciderat applicaui. Neque enim iſte Frater phreneticus ita compos rationis fuit, vt potuiſſet de hoc caſu etiam ſi eum ſciuiſſet tam realem concordantiam adduxiſſe, ſtetit enim in illa alienatione ſenſus poſtea fere per tres menſes. Vnde veriſimile eſt aliquem ſpiritum illam auctoritatem per os eius propalaſſe. Non enim puto de textu totius Bibliæ inueniri auctoritatem ita propriam illi caſui ſicut iſta: corripuerat enim Deus illum Fratrem multum pie, & paterne, faciendo etiam tabeſcere animam eius præ ſtupore, & horrore. vt præſeruaretur a damnatione æterna, iuxta illud quod Apoſtolus poſt verba ſupradicta ſubiungit: Cum autem iudicamur (ſubaudi ſe-
1. cor. 11.

cundum Glossam, his tẽporalibus pœnis) a Dño corripimur, vt nõ cum hoc mundo damnemur. Ad idem propositũ facit infra lib. iij. ca. xv. ibi exemplum primum. Illi vero sacerdotes, qui digne ad altare accedunt, quales sunt, qui in primis tribus se præparare satagunt, illi inquam, tam sibi quàm alijs salutarem fructum afferunt, nam eorum ministerio benedicto populis, & gratia diuina datur, & peccata delentur, vt vj. quæst. 1. Sacerdotes. 1. quæst. 1. Ipsi. Animæ quoque eorum oblatione a Purgatorio liberantur.

De S. Nicol. de Tolẽtino suffragijs pro defunctis.

Exemplum de B. Nicolao de Tolentino, qui cum staret, conuentualis in quodã eremitorio, quod Vallismanens dicitur, prope ciuitatẽ Pisaurensem, ex magno deuotionis feruore quotidie multũ tempestiue Missã fuit solitus celebrare. cũ autẽ quadã vice fuisset scriptus pro hebdomadario ad Missam cõuentualẽ, nocte diei Dñicæ in statu suo ipso quiescẽte, ecce anima quædam voce magna, & eiulatu miserabili vocabat eũ dicens. F. Nicolae vir Dei respice in me; qui respiciẽs ipsum, & recognoscere satagens, sed non valens, quis esset concitus requisiuit. Quæ respõdit, dicens: Ego sum aĩa Fratris Peregrini de Auximo, quem viuentẽ me seruum tuum nosti. Nunc autem crucior in hac flãma, in qua Deus me non ad pœnã æternã, quam merui, sed ad tẽporalẽ pœnã de sua misericordia deputauit. Te ergo humiliter deprecor, vt hodie digneris Missã ꝑ mortuis celebrare, vt eripiar de his flammis. Qui respõdit: Iuuet te mi Frater Saluator meus, cuius sanguine es redẽptus, ego autẽ quia ad cõuentualẽ Missã celebrandã sum deputatus, ꝑsertim hodie die Dñica, cuius officiũ mutare non decet, Missam pro mortuis celebrare non possum. At illa ait: Veni Ven. Pater, & respice vtrũ te deceat acquiescere, tãtę miserrimæ multitudini, q̃ me misit tuã misericordiã implorare: ipsũ igitur ad alteram partem eremitorij ducens quandam planiciem iuxta Pisaurum ei ostendit: vbi erat promiscui sexus multarũ ætatum, statuum, & etiam ordinum diuersorũ innumerabilis multitudo, Miserere (inquit) miserere turbæ tam miserę vtile tuũ auxiliũ expectantis, nã si ꝑ nobis dignatus fueris celebrare maxima pars ab his atrocissimis pęnis eruetur. Euigilans ergo vir sanctus, magna horum pietate commotus cum maxima lacrymarum effusione cœpit pro eis omnibus Saluatorem omnium exorare. Mane autem ante Priorem suum reuerenter prostratus, & euitans iactantiam non plene vt viderat, sed aliqualiter cum opportunitate oraculum reserauit, supplicans vt ipsum pro mortuis hebdomada illa permitteret celebrare. Qui deuotis eius precibus annuens alium substituit vice eius: ipse vero per totam illam hebdomadam pro mortuis celebrans, die noctuq; pro ostensa sibi multitudine cũ pręcordialibus lacrymis affectuosissime exorabat. Et ecce

transacta

transacta hebdomada illa, eidē dictus Frater Peregrinus apparuit, & de iam impetrata misericordia grās egit, afferēs se cū magna parte pdictæ multitudinis à pęnis atrocissimis Dei misericordia, & ipsiᵘ sacrificijs cū deuotis eiᵘ orōnibus ꝑ eis exhibitis liberatos esse, & ad cœlestem gloriā
pfal. 43. feliciter cōuolasse: Liberasti (inq̄t) nos de affligētibus nos, & odiētes nos cōfudisti. O ineffabilē virū, cuius sanctæ vitę meritum adhuc in iuuenili ætate sua in purgatorio iam cœpit agnosci; q̄ nō solum purgatoriū suis meritis spoliauit, sed & de inferno videt̃ quodāmodo prędā extraxisse.

Cum enim idem beatus Nicolaus in ciuitate Recanatensi moraretur conuentualis, de fratris sui germani domo accepit nuncium doloris, & luctus referentem quomodo idem frater suus in castro Apetiani ab iniquis subito esset interfectus. Quod audiens vir sanctus ingemuit; nouerat enim eum hominem secularis vitæ fuisse. Vnde ex compassione lacrymas continere non valens; heu (inquit) vereor quod miser damnatus sit. Igitur abstinentiæ grauiori se subdens orauit Deum die ac nocte: Celebrauit quotidie Missam pro defunctis per quindecim dies continuos pro anima fratris rogans saluatorem suum Iesum Christum, vt sibi dignaretur ostendere si salua aut damnata esset anima ipsius. Cumque transactis quindecim diebus staret in Ecclesia accendens lampadem in reuerentiam Corporis Christi in altari existentis, audiuit vocem clamantis, & dicentis: Frater mi, Frater mi, gratias Deo, & Domino Iesu Christo, qui preces tuas, & lacrymosas orationes oculo suæ pietatis attendens, cum damnatus essem, liberauit me. Timens autem vir sanctus versutias diaboli, qui se interdum trāsformat in angelum lucis, vt animas facilius laqueis peccatorum inuoluat, sine timore ait: Quid me tentas hostis maligne? Frater meus mortuus est, & Dei est damnare similiter, & saluare. Et ille: In me (inquit) Frater nihil dubites, vere enim ego sum Gentilis Frater tuus, tuis precibus à Christo IESV modo de inferno ereptus: confortare igitur, & esto robustus in vita, quam incepisti, sic enim grata sunt Deo opera tua, quod quicquid petieris ab eo impetrabis in vita præsenti dum vixeris, & in ista in qua sum, gloriosus eris. Quod si cui videtur extraneum ad credendum quod ille de inferno precibus huius sancti viri fuerit ereptus; potest intelligi quod ille damnatus fuerit non ad pœnam æternam sed ad temporalem, & quod per infernum accipitur etiā locus Purgatorij: Vnde & limbus Patrum dictus est infernus, cum dicitur: Christus ad inferna descendit.

Item est exemplum de Prouinciali, qui suis orationibus Fratrem à Purgatorio liberauit.

Quidam n. Frater obijt, qui post mortem apparuit Prouinciali suo, qui erat

Quidam enim Frater obijt, qui post mortem apparuit Prouinciali suo, qui erat vigilans in orationibus suis pro eo: rogabat autem Frater Prouincialem dicens: Ora pro me Pater, quia annis quindecim debeo esse in igne Purgatorij. At Prouincialis vt fidelis Frater die sequenti tota deuotione in Missa sua orauit pro anima illius Fratris, & cum iterum alijs sequentibus diebus in eodem loco solus oraret, apparuit ei idem Frater gaudens, & dicebat se suis orationibus liberatum de Purgatorio. Discant Fratres ea, quæ ad salutem suam sunt ad Prælatos suos deferre; Si enim Frater iste fuisset inobediens, & recalcitrans Prælato suo, non fuisset ei datum, vt ad illum Prouincialem habuisset recursum. Discant & Prælati vigilare in orationibus pro sibi commissis viuis & mortuis; multum valent enim orationes charitatiui Prælati apud Deum pro sibi commissis, vt habetur 1. quæst. 1. Ipsi. quia quanto Prælati sunt maiores, & digniores [e] tanto facilius in necessitatibus pro quibus orant, exaudiuntur.

Admonentur subditi quales erga Prȩlatos, & Prȩlati quales erga subditos esse debeant.

Item exemplum in magistro Henrico de Vrimaria, qui omni die, nisi ineuitabilis necessitatis casu impediretur, Missam celebrauit, & semper se ante Missam cum magna deuotione præparabat, & specialiter in supradictis tribus. Nam horas canonicas suas, vt in præcedenti capitulo dictum est, deuotissime persoluebat, orationes speciales multas ex consuetudine ad Deum fundebat, & omni die antequam celebraret, confessori suo culpam suam purissime dicebat, etiam si de nullo peccato in speciali sibi conscius esset. Sciebat enim vir prudens, & deuotus, quod in confessione non solum sordes peccatorum lauantur, sed & virtutes augentur, & roborantur, & sæpe non habenti gratiam virtute illius sanctissimi Sacramenti gratia confertur. Et quis est, qui non omni die habeat aliquid ad confitendum, saltem de officio minus bene dicto, de amissione temporis, de varijs & vanis cogitationibus, de verbis ociosis, de iudicijs, & suspicionibus falsis; de motibus iracundiæ & vanæ locutionis, de intemperantia cibi, & potus, & cæteris similibus defectibus, sine quibus hæc vita vix ducitur etiam a perfectis. Confessorem semper eligebat virum aliquem maturum de licentia Prioris Generalis, & prouincialis sui. Econtra nonnulli Fratres incauti, qui confitentur iuuenibus, & socijs suis, qui absque auctoritate, & licentia indifferenter se mutuo absoluunt a quibuslibet peccatis, non aduertentes, quod huiusmodi absolutio [f] nulla est, tam secundum ius commune, quam secundum Constitutione Ordinis cap. VIII. & nihilominus absoluens ab aliquo trium casuum specialiter reseruatorum est excommunicatus ipso facto secundum Constitu-

De Magno Henrico de Vrimaria.

Peccata quæ quotidie occurrunt confitenda.

Admonitio pro confessoribus eligendis.

tutiones ibidem. Celebrans igitur Missam ipse Pater, dum Canonis sacra Mysteria perageret, quasi totus ex deuotione raptus ardebat, ita vt sæpe facies eius velut seraphico rubore perfusa videretur, & ex deuotionis dulcedine genæ eius vbertim lacrymarum imbribus rigarentur, vt nonnulli Missam eius audientes, & deuotionis suæ gestus, & erumpentia indicia cernentes compungebantur, sicut a quodam adolescente adhuc mundanæ lasciuiæ insectatore audiui, quod ipse intra Missam istius venerabilis Patris compunctus ad Religionis propositum tam subito accensus fuit, quod mox finita Missa eidem Patri suum propositum indicauit. Quod & idem Pater promouit, & ad effectum mancipauit in quodam monasterio Cabinensis diœcesis quod Grauerende dicitur, vbi est officulum sanctæ Chaterinæ, quod aliquando liquores miraculose stillare consueuerat, nunc lac, nunc oleum, nunc alium liquorem. Sed iam per aliquod tempus desierat dona illa tam mirifica propinare. Quadam autem die eodem viro Dei declinante ad idem monasterium dum Missam super Altare beatæ Chaterinæ, in quo eædem reliquiæ recondebantur celebraret, sicut totus deuotus sanctæ Chaterinæ constitutus in Canone in deuotione sua maiori, ecce sacrum illud officulum visibiliter stillare cœpit, & liquores mirificos largiflue propinauit. In quo miraculo beata virgo Chaterina hunc esse suum deuotum & acceptissimum cappellanum dignata fuit euidenter demonstrare. Exemplum in beato Augustino de Terano, qui Missam infallibiliter quotidie, nisi infirmitate detentus deuotione feruida celebrabat, nec postquam Missam dixerat ad communia verba redibat, sed in cella se claudens vsque ad horam Tertiam in oratione manebat.

De B. Augustino de Terano.

† aliter Goslaria.

Erat quidam alius Reuerendus Pater lector, & olim Prouincialis in Ordine Frater Ludolfus de † Camoslaria, vir vtique magnæ prudentiæ, & sanctæ conuersationis, rigorosus in regimine; & deuotus in oratione, sedulus quoque in studio, & sacra lectione, ac solicitus in librorum pro Ordine comparatione, quod efficaciter ostendit tam in vita, quam in morte. hic sicut deuotus orator erat omni die, quando potuit, Missam cum deuotione celebrare consueuit. Et cum quadam vice in nocte Natiuitatis Dominicæ Missam cum magna deuotione celebraret, particulam Hostiæ ad Pax Domini, vt moris est in calicem mitteret, vidit de sub labio calicis ab intra guttas claras erumpere, & ad sanguinem Sacramenti defluere, & se ibi admiscere. Quo viso idem Frater vehementer obstupuit, & deliberans quidnam hoc esset, recordatus est, quia scriptum est: *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Et sic diuinæ gratiæ totum attribuens processit in Missa, & Sacramentum

Ioan. 4.

cum

cum ſumma deuotione, & lacrymarum effuſione humiliter ſumpſit, & Deo gratias egit. Hoc factum ipſe mihi familiariſſimo poſtmodum ſecreta collatione manifeſtauit. Item erat quidam valens Frater multis annis Prior in Ordine magnæ religioſitatis vir. Frater Olricus de Branſuich, de quo poſt mortem ſuam cuidam Fratri, qui ſemper in Miſſis, & orationibus priuatis, quantum Deus dedit, deuote pro anima dicti Fratris Olrici pluribus annis continuatis orare conſueuerat, talis viſio in ſomnis monſtrata eſt. Videbatur ſibi, quod ipſe ſtaret in Eccleſia ad prædicandum populo, & Frater Olricus iaceret coram eo in feretro mortuus, cumque finito ſermone recommendaret animam huius defuncti, & neſciret quid reuerentiæ, & honoris ipſi corpori illius, quem in vita dilexerat impenderet, vidit apud ſe multa, & varia indumenta Sacerdotalia pretioſa poſita, quæ ſingula ſigillatim proiecit ſuper corpus defuncti, intendens eum per hoc plurimum honorare, & cum in proijciendo huiuſmodi indumenta ſuper eum multum anxie laboraret, ecce quaſi de ſurſum per aerem venit quædam membrana parua aureis litteris inſcripta, quæ quaſi detinebatur in aere circa corpus defuncti. Scriptura autem hæc erat: *Surge anima in requiem tuam*: Et cum iſte Frater, cui iuſſio facta eſt, illa verba legiſſet, magno gaudio exhilaratus euigilabat, ſpem habens in diuina miſericordia, animam illius Fratris fore aſſumptam in requiem beatorum. Pſal. 131.

Quam vtile vero ſit quotidie Miſſam celebrare, vel communicare, patet exemplo & doſtrina ſancti Apollonij, de quo legitur in Vitas patrum, quod monebat monachos ſuos, vt ſi fieri poſſet quotidie communicarent myſterijs Chriſti, ne forte, qui ſe longe facit ab his, longe fiat a Deo; Qui autem hæc frequentius ſuſcipit frequenter videatur ipſum ſuſcipere Saluatorem, quia & ipſe Saluator, ita dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Sed & ipſa commemoratio Dominicæ paſſionis cum aſſidue fiat a monachis, plurimum vtilitatis eis confert ad exemplum patientiæ. Sed & commonitio datur per hoc, vt ſtudeat vnuſquiſq; ita ſemper paratus inueniri, ne indignus habeatur diuinis myſterijs. Addebat etiam quod remiſſio peccatorum per hoc credentibus datur. Hæc ille. Vnde etiam dicit Ioan. Caſſianus in Coll. Patrum, Collatione Theonæ Abbatis, *quod non ex eo nos debemus a communione ſuſpendere, quia nos peccatores agnoſcimus, ſed ad eam magis eſt propter medicinam animæ feſtinandum. ea tamen humilitate mentis, vt indignos nos perceptione tantæ gratię iudicantes remedia potius noſtris uulneribus expectemus; alioquin nec anniuerſaria quidem eſt præſumenda communio, ut quidam faciunt, qui ita dignitatem Sacramentorum cæ-*

In Vit. Pat. In vita S. Apollonij. Ioan. 6. Colla. 23. cap. 21.

lestium metiantur, ut æstiment ea non nisi sanctos, & immaculatos debere suscipere, & non potius vt nos sanctos, & immaculatos sua perceptione perficiant, qui profecto maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam sibi declinare videntur, incurrunt, quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se eorum perceptione dijudicant, multo autem iustius est, vt cum cordis humilitate illa sacra mysteria saltem singulis diebus Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quàm vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione nos esse credamus. Hæc ille. Vnde Augustinus in De verbis Domini: *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.*

Quidam Frater noster magnæ religiositatis, & deuotionis vidit apertis oculis non dormiens, sed plane vigilans dæmones in nigris cucullis, qui tripudiantes de quibusdam Fratribus mortuis irrisorium canticum faciebant, dicentes: Fratres illi pigri, & minus voluntarij erant dicere Missas, donec quidam magisterculus chorum introibat. Quo exemplo discant sacerdotes libenter dicere Missas, non timore Prælatorum, sed amore Dei, ne gaudium faciant dæmonibus. Caueant sibi etiam Sacerdotes, & quilibet ne inuestigando mysterium Sacramenti Eucharistiæ, se velit nimium profundare; sed simplici oculo fidei intueantur illud inuisibile, & incomprehensibile mysterium sub specie visibili occultatum.

Noui quendam Fratrem, qui cum quadam die staret ad audiendum Missam, & videret sacram Hostiam eleuari, incidit ei quædam mentis fluctuatio ex occursu subitò quarumdam rationum naturalium circa illud Sacramentum, quas in quadam disputatione audiuerat ventilari. Accidit ergo in sequenti proxima nocte dum idem Frater in suo stratu quiesceret, vt talis sibi visio in somnis appareret: Videbatur namque sibi, quod esset in quodam pomerio pulchro, & amœno, vbi vidit quendam hominem magnæ venerationis secum habentem quorumdam virorum egregiorum honorabilem comitatum; & intellexit in spiritu Frater iste illum esse Christum cum suis Apostolis, quos cum iste a longe aspiceret, reputans se indignum propius accedere, & nihilominus desiderans illam amabilem faciem diligẽtius intueri, sperabat quippe se ex eo non modicam gratiam accepturum; cumque auidius aspiceret a remotis, datum est ei signum a Christo nutu quasi faciei aut manus, vt ad ipsum propius accederet: quod cum iste fecisset, & quasi retro Apostolos tremebundus staret, inclinauit se Dominus Iesus Christus ad terram, & leuauit quasi modicum fragmen graminis ad modum grani, & vocato isto

Fratre

Fratre iussit eum os suum aperire. Quo facto, ecce subito in manu sua granum istud mutatum est in panem ad instar hostiæ Corporis Christi, quod ministrauit Fratri isti, & cum Frater illud in os suum sumpsisset, continuo illud in ore suo conuersum est in carnem, ita vt quasi sentiret os suum totum quasi de carne repletum: & intellexit per hoc veritatem sanctissimi corporis Christi in hoc benedicto Sacramento, de quo incaute mentem suam sibi quamquam indigno declarari. Ex quo iste immensa admiratione raptus, & in omnibus viribus suis totus inflammatus, & in lacrymas resolutus exclamauit: Deus meus, Deus meus, quam etiam vocem in somnis persistens pluries iterauit, ita vt experrefactus hanc eandem vocem quasi crebro repeteret velut nesciens aliud dicere, quàm Deus meus, & Deus meus.

AD CAP. XVIII. NOTÆ.

a Matutinum, & Primam.] *Matutinum recitare ante Missam est omnino necessarium, ita vt eius omissio sit peccatum mortale ex omnium sententia, vt testatur Nauar. de orat. & hor. cano. cap. 3. num. 68. & c. 21. num. 30. Marcell. Francoli. de temp. hora. canonic. cap. 42. nu. 2. Summistæ omnes in ver. horæ canonicæ. Solus Domin. Soto lib. 10. de iust. & iu. quæst. 5. art 4. conclus. 2. ab hac necessaria sententia discedit, quem recte ijdem Nauar. & Francoli. reprehendunt. Nisi tamen iusta aliqua de caussa id fieret, vt Nauar. explicat d. cap. 21. num. 30. De Prima vero conuenit inter omnes non esse peccatum mortale si ante Missam non dicatur, vt superius citati testantur.*

b Pura confessione.] *Quæ Eucharistiam præcedere omnino debet, si copia confessoris non desit, vt est hodie Tridentino Concilio definitum sess. 13. cap. 7. & can. 11. excommunicationis pœna in contrariæ sententiæ assertores statuta.*

c Damnemur.] *Aliud simile exemplum refert Petr. Cluniacensis in lib. exemplorum.*

d Non ad pœnam æternam.] *In quem sensum solent accipi, quæ de anima Traiani liberata precib. B. Gregorij feruntur. qua de re tamen consulendi sunt S. Tho. in 4. dist. 45. Abulensis in quartum Regum q. 57. Domin. Sot. d. q. 45. q. 2. ar. 2. vers. Historia vero illa. Alfonsus Ciaconus vir doctus in libello quem de Traiani anima conscripsit, ac veritate illius historiæ.*

e Digniores.] *Scilicet apud Deum, sic enim videtur intelligere Alexander Pontifex epist. 2. vnde sumptus est canon ille.*

vt aperiret vuluam eius, quæ tandem exaudita fuit. Item Ioachim,& Anna parentes Beatæ Mariæ Virginis multis temporibus preces, & hoſtias Domino obtulerunt, vt prolem habere mererentur. Sed non ſtatim exauditi fuerunt; tandem poſt ſterilitatis opprobrium ſuæ petitionis conſecuti ſunt effectum. Item Zacharias, & Eliſabeth parentes beati Ioannis Baptiſtæ multis annis Domino ſupplicauerant pro prole: ſed Deus diſtulit eos exaudire, vt tandem vterus ſterilis, & ſenis poſſet mirabilius aperire. Item exemplum ad idem in matre ſancti Auguſtini, quæ diu cum multis lacrymis pro filij ſui conuerſione Deum exorauerat,& licet exauditio diu fuerit dilata, ad hoc vtique, vt ſua cõuerſio mirabilior appareret: Tandem Deus ei pluſquã petierat, dignatus eſt concedere, quia non ſolum vt fidelis Chriſtianus eſſet, ei donatum eſt, ſed vt contemptor mundi, & tantum lumen Eccleſiæ fieret ei diuinitus collatum fuit.

Luc. 1.

De inſtantia orationis S. Monicę pro filio Auguſtino. Lib 9. confeſſ. cap. 10.

Dimiſſis exemplis veteribus ad moderna properemus, beati Nicolai de Tolentino ortum mirabilem recenſentes. Cum enim mater eius Amata nomine cum viro ſuo Compagnono in multis diebus ętatis ſuæ proceſſiſſent, & prolem non haberent; ipſa velut altera Anna veteris teſtamenti, templum, vel Eccleſiam frequentans obſecrabat Dominum, vt eis ſobolem daret. habebat autem hæc fœmina ſingularem deuotionem ad beatum Nicolaum de Baro. Quadam autem die exiſtẽs in oratione flens largiter votum vouit, dicens: Domine mi Ieſu Chriſte, qui omnia potes, reſpice ancillam tuam oculo pietatis tuę,& amputa opprobrium ſterilitatis meæ,& da mihi vt concipiam, & pariam filium ſeruum tuum ad laudẽ,& gloriam nominis tui. Sed quia preces meæ paruæ ſunt in conſpectu Maieſtatis tuæ, pium antiſtitem tuum ſanctum Nicolaum ſuppliciter deprecor, vt ſuis orationibus a te Deo omnipotente merear cõſolari, promittẽs me vna cum viro meo ſeruo tuo viſitaturam tumulum ſuum in Baro: poſt hoc autem cum vir, & vxor dormirent ſimul in ſtrato, ipſis dormientibus apparuit Angelus Domini, dicens: Surgite, ſurgite,& ad ſanctum Nicolaum de Baro properate, ibi dicetur vobis qualis debet eſſe filius ex vobis, & quam cito naſciturus. Expergefacti ambo, de tanta viſione iucundati poſt recommendationẽ bonorum, & poſſeſſionum ſuarum iter peregrinationis ad ſanctum Nicolaum arripiunt. Venientes autem ad Eccleſiã beatiſſimi Nicolai in Baro, deuote,& ſolicite Deo, & beato Nicolao vota ſua cum gratiarum actione exſoluerunt, muneribus autẽ oblatis quaſi laſſati ex peregrinationis labore in pauimento Eccleſiæ ante altare beati Nicolai conſedentes obdormire cœperunt. Et ecce ſanctiſſimus Nicolaus in habitu pontificali eiſdem in ſomnis apparuit, dicens: Angelus Dei, qui vobis nunciau t filium ex

Apud Suriũ in vita S. Nicolai de Tolent. die 10. Septẽb.

-mento curata fuit. Ex quibus exemplis patet, quod quicquid deuotus homo cum instantia petit a Deo, finaliter obtinet cum desiderato effectu, si tamen est ad salutem. Non solum autem orationis instantia attenditur in hoc, quod quis oret perseueranter actu interpolato, vt in exemplis positis, sed etiam requiritur, vt quis oret incessanter, actu videlicet continuato, iuxta quod ait Saluator Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* & 1. Thessal. 5. vbi ait Apostolus: *Sine intermissione orate.* Vnde de Domino Saluatore nostro legimus, quod sæpe pernoctauit in oratione Matth. 9. & Luc. 5.

Est autem sciendum, quod triplex est oratio scilicet vocalis, de qua psalmus: *Voce mea ad Dominum clamaui*: Mentalis, de qua psalmus: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*: & Actualis, siue operis, quæ fit bene operando, sicut dicit Glossa super illud Lucæ vbi supra: *Non desinit orare, qui non desinit bene facere.* Legitur in Collationibus patrum, quod interrogatus abbas Isaac qualiter impleri posset illud mandatum Apostoli: *Sine intermissione orate.* Respondit: *Cum mens nostra fuerit ab omni passionum pondere subleuata, & illi summo bono ardentissimo desiderio coniuncta, tunc implebimus illud Apostoli: Sine intermissione orate: tunc enim de terreno situ mens nostra quasi ad puritatem angelicam sublimata, quicquid in se receperit; quicquid tractauerit, quicquid egerit, semper sincerissima, atque purissima dicetur oratio.* hæc ibi. Dicitur in Vitaspatrum de abbate Arsenio, quod vespere sabbati relinquebat post se solem, & extendebat manus suas ad cœlum orans donec mane die Dominico illustraret faciem eius.

(Oratio est triplex. Psal. 141. Psal. 9. Coll. 9. c. 3. De Arsenio abbate Par. 2. §. 148.)

In Collationibus etiam Patrum dicitur de beato Antonio, quod cum quadam nocte in orationibus diu perdurasset, & sol oriri cœpit, Antonius in feruore spiritus exclamauit dicens: Quid me impedis sol? ad hoc autem iam oriris, vt me ab huius luminis claritate abstrahas. Item in Vitaspatrum dicitur, de abbate Bessarione, quod discipulus eius ingrediens cellam illius inuenit eum stantem ad orationem manus habentem extensas in cœlum, hoc iugiter faciens diebus quatuordecim. Item de Iuliano Apostata legitur, quod misit dæmonem quendam vt portaret ei responsum de Oriente, qui transiens super locum, vbi erat Publius monachus orans, nec poterat vltra transire, sed sistitit immobilis illo continuante orationem per decem dies. Reuersus ille infecto negotio ad Iulianum retulit se fuisse impeditum a monacho orante. Tunc Iulianus comminatus est monacho, & in breui ille est interemptus.

(Coll. 1. cap. 30. De S. Antonio abbate. De B. Bessarione. Vit. Pat. par. 2. de sancti. senioribus, qui miracula faciebant.)

Item

De B. Ioanne Eremita.

Item de beato Ioanne Eremita, qui ſtetit tribus annis ſuper vna rupe continue orans abſque omni cibo, niſi quod die Dominico communicabatur ſacra Euchariſtia.

De S. Nicol. de Tolentino.

Exemplum etiam de beato Nicolao de Tolentino, qui orationi intantum erat aſſiduus, quod poſt Completorium vſque ad galli cantũ, & parum ante Matutinum ſurgens, poſt Matutinum vſque ad mane, & poſt Miſſam, niſi cõfeſſionibus occupatus eſſet, vſque ad Tertiam, & poſt Nonam, niſi obedientijs intentus, vſque ad Veſperam præter conſtitutas horas, in quibus cõtinue primus erat, ſemper orabat. eratque locus orationis ſuæ non ſolum oratorium commune, ſed etiam apud quoddam altare, vbi nunc iacet tumulatus, ſed & in cella, in qua duos conſtituerat lapides, ad quorum vnum genua flectebat, ad alterum vero brachia, quando nimium laſſatus erat orationis labore, vt ſi brachia affligebantur laſſitudine extenſionis, frigore tamen, & duritie caſtigarentur.

De Henrico de Vrimaria.

Exemplum etiam eſt in magiſtro Henrico de Vrimaria, qui ita aſſiduus erat in oratione, quod præter naturalis neceſſitatis horas, quãdo non ſtudebat, aut alicui occupationi vtili, vtputa conſiliorum, aut negociorum Ordinis non inſiſtebat ſiue in Oratorio, ſiue in cella, ſiue in clauſtro, ſiue etiam in via; nunquam enim os illud benedictum a colloquijs diuinis, & oratione ceſſabat. quãdo enim orabat, ipſe Deo loquebatur; quando ſtudebat, Deus ſibi loquebatur; quando conſilium, aut doctrinam impendebat, aut aliqua negocia diſponebat, ipſe de Deo propter Deum loquebatur, ita vt ei accommodate dici poſſit illud Paulini in Epiſtola ad Auguſtinum: Os tuum fiſtulam aquæ viuentis dixerim. In ſolennijs diuinorum nunquam a tædiebatur quan tumcunque tractim, & prolixe cantarentur, & quantumcunque potuit, ſemper perſonaliter intereſſe conabatur, & omni mane ad Primam, primus & in Choro quandiu præ infirmitate potuit, & ſic perſeuerans vſque ad finem Miſſæ conuentus, & ex tunc præparabat ſe ad celebrandam Miſſam cum maxima deuotione, contritione, & perfecta confeſſione, ac etiam cum maxima lacrymarum effuſione: & ſic perficiebat orationes deuotiſſimas tam pro viuis, quam pro defunctis cũ moroſa, & plena expreſſione verborũ tam ibi, quàm etiam in omnibus horis canonicis diurnis pariterque nocturnis, ita vt plerunque magis canere, quam dicere vel legere videretur, Vigilias, & Veſperas mortuorum omni die, & aliquando bis & ter in die præter alias orationes priuatas legebat. Nam quandocunque intus vel extra per viam hora ſibi vacabat, ſemper officium mortuorum in ore accepit, ita vt omnes ſocij ſui fatigarentur, ipſe vero nunquam fatigabatur de orationibus. Vnde vt ſocios ſuos interdum releuaret, vbi cuique Fratrem

Epiſt. 31.

aliquem

aliquem ocioſum vidit, illum ad dicendum ſecum vigilias aduocauit. per viam, ſedens in curru nunquam ab oratione ceſſauit. Vnde quada vice ſicut habuit debiles dentes, cum de dolore dentium conquereretur, audiens hoc famulus ſuus, dixit: Non eſt mirum domine ſi doletis dentes, immo eſt mirum, quod habeatis vnum dentem in ore, quia os veſtrum nunquam clauditur. Sciendum autem, quod etſi inſtantia orationis multum valet ad eius exaudibilitatem ſecundum præmiſſa, non tamen ſemper etiam ſancti viri in eo quod petũt exaudiuntur, immo plerunque mali in ſua petitione a Deo exaudiuntur, non autem boni, ſicut oſtendit beatus Auguſtinus in exemplis ſuper canonica Ioannis, homilia 6. Conſtat enim, quod Apoſtolus Paulus inſtanter rogauit vt auferretur ab eo ſtimulus carnis, ſed non fuit exauditus: Diabolus autem in ſua petitione exauditus fuit, cum petijt ſibi dari poteſtatem in Iob. Item cum peteret mitti in porcos. Ecce quod dæmones exauditi ſunt, & Apoſtolus non exauditur. Sed vt ſubdit Auguſtinus, Apoſtolus magis eſt exauditus, quam Diabolus. Apoſtolus enim exauditus eſt ad ſalutem, & ſi non ad volũtatem: ſed diabolus exauditus eſt ad voluntatem, & ad damnationem. Non ergo contriſtari debet bonus homo, ſi in eo quod petit non exauditur ad ſuam voluntatem, quia plerumque noxium eſſet ſibi. Et ponit Auguſtinus exemplum de medico, a quo ſi petit infirmus aquam frigidam, ſi nouit obeſſe, non dat: ſi prodeſt autem, dat. *Diſce ergo*, ait Auguſtinus, *rogare Deum, & medico committas quod ipſe nouit faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum exhibeat; tu tantum charitatem tene. Nam ille ſecare uult, vrere uult: Tu ſi clamas, et nõ exaudieris in uſtione, & tribulatione, nouit ille quouſque putredo eſt. Tu iam uis ut reuocet manus, & ille uulneris ſinum attendit, & ſcit quo uſque perueniat. Non te exaudit ad uoluntatem, ſed exaudit ad ſalutem.* Hæc Auguſtinus.

Serm. 53. in De verbis Domini. 2. Cor. 12. Iob. 1. Luc. 8. Quomodo pie orantes ſemper exaudiuntur.

AD CAP. XIX. NOTÆ.

a Perſeueranter inſtandum.] *Glo. Eccleſ. 7. & Luc. 11. S. Tho. in quartum diſt. 15. q. 4. ar. 7. q. 3. et 2. 2. q. 83. ar. 15. ad 2. S. Io. Chryſoſt. inſignem ſcripſit homiliam de Oratione ad populum Antiochenum, quæ 79. eſt in numero, digna profecto quæ ab omnib. legatur, ex qua plurima huc ſpectantia haberi poterunt. S. Baſil. de conſt. monaſt. c. 2.*

b Clauditur.] *Præter hic relata exempla, alia habes apud And. Eborenſ. tom. 2. de oratione.*

Quod

Quod ad exaudibilitatem orationis nostræ valet interuentio alicuius Sancti. Cap. XX.



AD hoc autem vt oratio nostra exaudibilior reddatur, multū suffragatur interuentio alicuius Sancti iuxta illud Iob. 5. Ad aliquem sanctorum conuertere: Sic fecit mater sancti Nicolai de Tolentino, vt patet in præcedenti capitulo.

Exempla propria narrat Auctor.

Referam quasdam infelicitatis meę historias. Cum quadam vice iter agens cum socio in curru, transiremus quendam filium rapidum, qui Boda dicitur, & vltra solitum suum tunc ripas aluei sui extendentem veniētibus nobis ad medium fluuij, impetus fluuij currum euertit, & in partes diuisit, equis cum anteriori parte transmeantibus, nobis autem cum residua parte currus retromanentibus, & sic in flumine fluctuantibus: Itaque vehiculum currus, quo sustentabamur, circum agitabatur fluctibus, & subuersionem sui, ac per hoc nostram subuersionem minabatur: nos vero desuper illud nos tenere conabamur, cumque sic anxiati, & timore percussi aliquandiu laborassemus, socius meus, qui fuit valens lector, & mihi in Christo singulariter dilectus raptu fluminis a latere meo subductus est (proh dolor) & submersus: ego vero videns me in eodem periculo positum, nec restaret aliquod humani præsidi refugium, ad sancta sanctorum, matrem videlicet misericordiæ, toto corde confugi, votum vouens quod mihi Dominus inspirauit. & sic accepta fiducia pendes in aqua toto corpore vsque ad brachia, manibus me tenui ad lignum vehiculi, & sic cum cursu aquæ descendi per distantiam plusquam centum cannarum, donec tandem beata Virgo quendam piscatorem cum nauicula destinaret, qui me traxit ad litus iam totum stupidum, balneatum, & infrigidatum, ac de socij mei perditione minium desolatum; sed deportatus ad locum post paululum vires assumpsi, gratias agens Deo, & suæ sanctissimæ genitrici. Non enim quoquomodo possibile fuisset me tali modo, tanto tempore, & per tantam distantiam in tanto fluminis impetu ad illud lignum me sustentasse, si nō diuina mihi detentio misericorditer adfuisset. Quod etiam inopinate piscator ille tanquam a Deo mihi missus aduenit, non parum miraculum attestatur.

Alia etiam vice dum cum Prouinciali meo, & duobus alijs socijs transire deberem fluuium satis magnum, qui Mulda dicitur, qui etiam plus solito inundabat: cum venissemus ad medium eius, vbi erat maior aquæ impetus, nauicula contra renisum gubernantis ductu flu-

ctu flu-

ctu fluminis rapiebatur ſub quendam pontem, ubi erat impetuoſiſſimus aquæ curſus; quo paſſu ſic tranſito, ecce nauicula ſubito circunuoluebatur, & eliſa ſcopulo ſubuertebatur, & aquis illico replebatur, immo ipſa aquis totaliter immergebatur, ita vt minime videretur. Quod videns Prouincialis in arte natandi confidens de naui mox ſe proiecit, & natare cœpit. Sed veſtimentis madefactis defecit. ipſe vero ſicut vir cordatus ſuper pedes ſe ſtatuens, fundum petijt, & inuenit, ſtans in aqua vſque ad collum contra impetum fluminis, & ſic ſe continuit tamdiu, donec quidam piſcator cum nauicula ipſum eleuaret, & educeret. Alter vero ſociorum noſtrorum videns impetum, & periculum extra nauem decidens ſuperferebatur veſtibus a naui fere ad iactum vnius baliſtæ; qui cum balneatis veſtibus cœpiſſet mergi, caſu, vel potius prouidentia diuina allifus eſt ad ſtipitem, ad quem ſe tenuit, donec per eundem piſcatorem in nauiculam aſſumptus fuit. Ego autem in arte natatoria confidens ſicut lapis neſciui primitus quid agerem. Si enim me in aquam poſuiſſem, abſque dubio abſorptus fuiſſem, ſi etiam in nauicula manſiſſem, ſimul cum nauicula in profundum deſcendiſſem, quid igitur agerem ego miſer omni humano auxilio deſtitutus ignorans, pene deſperaui; ſed nutu Dei cogitare cœpi, quoniam in ligno eſt nobis ſalus, & ſic prælegi ad nauiculam quocunque ferretur me tenere, inuocans auxilium Dei Genitricis: *Aue Maria*, & *Credo* repetendo. & ecce, quod dictu mirabile eſt, nauicula, quæ iam immerſa erat aquis vſque ad cingulum meum ſtare cœpit fixe, & immobiliter contra duplicem motum ſuum naturalem, vnum quia grauis erat, vt pote aquis repleta, ſed deorſum minime deſcendebat, cum tamen ſub ea ſtaturam vnius hominis haberet, & fluuius ad profundum prout a piſcatoribus poſtmodum intellexi. Alterum, quia cum lignum naturaliter feratur motu aquæ, hæc nauicula aquis ſub & ſupra ac vndique cum impetu fluentibus fixa manſit in loco ſuo non fluens cum fluxu aquæ. Sic itaque me ſtante in illa nauicula opertus aquis, vt dixi, vſque ad cingulum, & *Aue Maria* continue replicante vſque ad dimidiam fere horam. Tandem piſcator ille, qui Prouincialem, & alterum ſocium eduxerat ad me cum ſua nauicula applicuit, qui me cum vno ſocio, qui mecum in naui noſtra remanſerat, ſaluos ad litus perduxit. Per omnia benedictus Deus, & benedicta ſua ſanctiſſima Genitrix, per quam ſalus mundi credentibus apparuit.

Et tertiũ nõ minus ſtupendũ mirũ, & (ſi dici fas eſt, miraculũ) quod mihi accidit agẽti in prouincialatus officio. Cũ enim, vt moris eſt in prouincia noſtra in curru cũ ſocio meo irem de conuentu ad conuentum.

tum, contigit vt in manus prædonum inciderem, qui me equis & quibuſdam alijs rebus ſpoliãtes, famulum inſuper meum ſecum adduxerunt captiuum. Conductus ergo in villa proxima equis alijs & famulo, qui nos cum curru ad ciuitatem propinquam quę ad tria milliaria theutonica diſtabat, duceret, via ingraueſcente, equiſque laſſantibus noctis tenebr[illegible]imminebãt; coacti igitur alleuiare currum & equos peditauimus per ſemitas, curru per viam latiorem incedente. Vnde factum eſt, vt a curru longius ſegregaremus aquis prohibentibus, & tenebris ne conuenire valeremus, ſuſpicantes nihilominus ruſticum illum ex propoſito de via communi declinaſſe, cum plures res nobis neceſſarias in curru reliquiſſemus, quæ non potuerant a prædonibus deportari, miſſo itaque ſocio meo ad auſcultandum de curru vbi eſſet, me eum in loco aſſignato præſtolante; ipſe errore viæ ductus, ad me redire nequiuit. Tandem eo diutius expectato, ego proceſſi in lumine intellectus agentis, tenebris viſum atcentibus corporalem, dirigens me quantum potui verſus ciuitatem, ad quam tendebamus. Cumque veniſſem ad quendam pontem, perquem me oportuit tranſire, audiui voces canum ferocium de quadã malandria vicina latrantium, & pontem ex vtroque latere quaſi vallantium timui propius accedere, ne forte a canibus lacerarer: ſtans igitur fixi gradum perplexus animo, non tam iam dolens de amiſſione ſocij, famulorum, equorum & rerum, quàm de periculo corporis mei cernens me manibus canum expoſitum, tenebris prohibentibus fugam, præſertim & cum luporum, & latronum ibidem haberem conſortium, experiebar verbum Sapientis verum eſſe, qui ait: *Væ*
Pſal. 21. *ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem*. ſicquè mœſtus neſciens quo diuerterẽ, proſtraui me in oratione beatæ Dei genitrici me cum voto ſuppliciter recommendans, memor[illegible] nihilominus illius doloris, quem ipſa habuerat de filij ſui per triduum perditione, & econtra gaudij, quod acceperat in eius lætabunda reinuentione, obſecrãs quatenus ſic me deſolatum conſolari dignaretur in recuperatione ſocietatis meæ perditæ, vt ſalui conueniremus ad laudem filij eius: & extunc accepta fiducia ſurgens properaui ad pontem hinc inde canibus obuallatum, & muniens me ſigno crucis dicendo illum verſum
Eccleſ. 4. Pſalmi: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*, per medium inter canes tunc obmuteſcentes, & miteſcentes tranſiui ſecurus, & ſic perueniens ante Burgum ciuitatis, pulſabam, & clamabam ad portam donec quidam bonus homo aduenit; cui cum meam miſeriam expoſuiſſem, ille miſericordia motus cum claues portæ non poſſet habere, iuuit me cum quodã ingenio, quod parietem antemuralem tranſiliui. Receptus ergo in domuncula illius

lius viri pauperculi, lætus quidem de hospitiunculo, mœstus autem de perditione totius familiæ meæ, & supellectilis; præsertim cum tota die illa in laboribus, & anxietatibus positus nihil cibi gustaueram, neque potus. Sic igitur me sedente, quidam clamauit ante portam, petens an aliqui Religiosi ibi intrassent, quem cum interrogarem quis esset; respondit se esse vectorem meum conductum, & currum meum stare ante aliam portam ciuitatis. Lætificatus ergo in parte, valedicens hospiti cum adiutorio suo parietem eundem retransiui, & sequens vectorem ad portam aliam properaui, ubi mox socius meus inopinate per viam aliam rediens, mecum concurrit, & tunc lætior effectus, iam solummodo de famulo ducto in captiuitatem mœrens fui, & ecce nobis apud currum sedentibus, & colloquentibus famulus meus qui captus fuerat ibidem insperate prorsus superuenit, nihil sciens de nobis, quod ibi essemus; cuius uocem cum audissem, supra modum admirans, & gaudens interrogaui eum de successibus suis, qui retulit mihi quo modo captiuatores sui eum duxissent per deuiam & longam viam, & qualiter demum ipse manus eorum euasisset. Quo audito, stupore, & gaudio repletus laudaui Deum in beatissima Genitrice sua, qui me fecit reinuenire totam societatem meam perditam, & tanta dispersione disiunctam, tam miro & stupendo modo, vt vna hora ad vnam portam, & in media nocte conueniremus omnes. Vere benedicta in æternum hæc Virgo, quæ perditionis quõdam filij sui Dei, & hominis nequaquam immemor gaudium, quod in eius reinuentione habuerat, nobis miseris dignata est tam mirifice impertiri. Interea vero clamantes ad vigiles ciuitatis prece, & pretio effecimus, quod portæ nobis aperirentur: & iam pulsato signo ad Matutinum intrauimus conuentum: & sumpto cibo modico deposuimus nos ad lectum. Mane autem facto missum est ad Dominum terræ illius, cuius auxilio equos cum rebus nobis ablatis recuperauimus ad laudem eiusdem Virginis, gloriosæ. Et quidem in his tantis Dei, & suæ dulcissimæ genitricis circa me beneficijs nihil prorsus meriti mei inuenio, sed tantummodo peccata mea aspicio, quibus exigẽtibus casus prænarratos periculis plenos incidi, vt eius qui non vult mortem peccatoris infinita misericordia, & suæ dulcissimæ matris quæ peccatorum consolatrix nuncupatur immensa pietas erga me miserum reluceret. Ex quibus etiam liquet quantum valeat alicuius sancti interpellatio, cum ipsi suffragia sua etiam pro peccatoribus impendere non dedignentur. Non erubesco confiteri aliud delictum insipientiæ meæ ob Dei laudem, & Sancti Petri Apostolorum principis commendationem. Cũ nuper in anno iubileo peruadente pestilentia per mundum Fratres

passim

passim festinarent cōcurrere Romā. Quod si permissum fuisset conuentus nonnulli quasi vacui Fratribus remansissent. Quod cernens ego, cui tunc cura fratrum prouinciæ nostrę incumbebat ex officio. Attendens nihilominus, quod discursus Religiosorum reprehenditur in iure, restrinxi huiusmodi discursus Fratrum quantum potui, persuadens Fratribus, vt loco peregrinationis Romanæ in conuentibus suis peregrinationem spiritualem facerent in certis actibus deuotionis, quos eis indixi ad reuerentiam Dei, & beati Petri pollicens cum voto, quod egomet eādem spiritualem peregrinationem vellem peragere, ut uel sic meo exemplo Fratres magis retraherem a discursu. motus nihilominus ad vouendum metu pestilentiæ actualiter sæuientis. Verum anno illo Iubilei transacto, & pestilentia diuinitus sedata, & officij mei sarcina deposita, ego infelix velut pincerna Pharaonis, qui succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui, quod promiseram reddere minime cogitaui. Erat autem deuotus senex Frater, qui Romę fuerat pro indulgentia iubilei, cui & ego confessionem meam generalem nuper feceram; sed de prædicta negligentia, & omissione voti mei minime fui recordatus. Hic Frater cum quadam sancta nocte coram altare maiori se in oratione prostrauisset, & specialem memoriam mei, vt mihi postea retulit, in eadem oratione habuisset, quasi lassatus, modico somno arripitur, ita vt nec plene dormiret, nec plene vigilaret. & ecce apparuit ei beatus Petrus Apostolus quasi stans coram eo in effigie, sicut imaginem eius Romæ viderat, habens in manu dextra duas claues, dicensque ei hæc verba formaliter: Dic Fratri Iordano lectori quod sponsionem mihi factam minime seruauit. quibus verbis dictis disparuit, & Frater plene euigilans de uisione aliquem pauorem habuit, & stuporem. Qui etiam vt primum mei copiam habere potuit, apparitionem sibi factam mihi fideliter indicauit: At ego in corde meo me ipsum reuersus recordatus sum spōsionis, qua beato Petro spoponderam me peregrinationem ipsam spiritualem, quam Fratribus alijs imposueram in memetipso peracturum: quam extunc vt primum potui incœpi, & fauente Domino adimpleui. Et benedictus sit sanctus Petrus, qui me dignatus est de mea negligentia admonere. Quo exemplo monemur: quid Deo, & sanctis eius voueamus diligenter aduertere; & hoc quod vouerimus studiosissime adimplere. Quoniā & si ipsi bonorum nostrorum non egeant, placita tamen eis sunt uota nostra, vtique pro nostra salute.

De votis adimplendis.

Nec prætereundum silentio puto insigne beneficium Dei meritis beati Martini in me experimentaliter comprobatum. Cum enim olim in seruitio Ordinis transirem per prouinciam Franciæ, veniens in Epi-

in Episcopatum Turonis incidi in febres. Sed visitato corpore sancti Martini Turoni processi sicut potui vsque Andegauim, & ibi inualescentibus febribus decubui. Cumque necessario haberem perficere cursum mihi ab Ordine iniunctum, nec medicorum iuuarer consiliis, incœpi cogitare quomodo in territorio sancti Martini Turonensis hanc inciderim infirmitatem: & quod de eo cantatur: *O Martine medicamentum, et medice*, prostratus in oratione votum voui beato Martino, quod si me ab hac ægritudine liberaret, aliquas Missas in honorem sui legerem, & quamdiu viuerem, quotidie sui memoriam facerem cum Antiphona & collecta. Et nihilominus imaginem suam in conuentu nostro depingi facerem gratiosam. Voto emisso aduenit hora parasismi. Ego autem more solito sentiens accidentia præambula passionis, deposui me ad lectum: & ecce suaui somno arreptus, post paululum euigilans toto corpore me alleuiatum sensi, & surrexi sanus, perficiens cursum ministerij quod suscepi.

Audiui a quodam valente Fratre nostro, Prouinciali tunc in Prouincia sua, quod cum ipse quadam vice transiens per Lombardiam vidisset latrones se insequentes, non habens refugium aliud proiecit se ad segetes, erat enim prope tempus messis. Latrones autem hoc videntes ad locum vbi se absconderat deuenerunt, ipse autem Dei Genitricem in protectione [c] inuocans, versum illum dixit: *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus*, & deuota mente recitauit. Audierat enim idem Frater quoddam miraculum de beata Virgine, prout retulit, quomodo quidam puer submersus, & mortuus ante imaginem beatæ Virginis in quodam cœnobio deportatus fuit, & cantantibus monachis hymnum: *Aue maris stella*, peruentoque ad illum versum: *Monstra te esse matrem*, reuiuiscens puer surrexit. Ad efficaciam ergo eorundem verborum intentionem suam referens iste Frater versum eundem corde, & ore sæpe repetiuit. Quærebant autem illum Latrones in segetibus vndique, & licet nonnunquam loco, vbi iacebat approximauerunt, ipsum tamen videre minime potuerunt. Et non inuenientes, demum vacui abscesserũt; & sic manus eorum saluus euasit protectione Virginis gloriosæ.

AD CAP. XX. NOTÆ.

[a] Interuentio alicuius Sancti.] *S. Hierony. epist.* 10. *contra Vigilantium, tom.* 1. *S. Augusti. tract.* 84. *in Ioan. et lib. meditatio. cap.* 24. *S. Ioan. Chrysostom. in serm.* 85. *martyr. Maximi, et Iuuentij. S. Gregor. Nazianze. in Menodia. Sanctus Basil. serm.* 40. *martyr. et ante illos*

S. Cyprianus. epist. 57. & ibid. Iacob. Pamel. S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 4. & art. 11.

b Vouerimus adimplere.] *De veterum obligatione, & obseruatione, late apud S. Tho. q. 88. passim. Domin. Sot. de inst. & iu.*

c Protectione Virginis gloriosæ.] *Conscripsit integrum libellum Discipulus de Miraculis B. Virginis, cuius inuocatæ auxiliũ nemo vmquam non sensit. Porro de Sanctorum auxilio inuocantib. præstito, licet abunde intelligere ex eorũ rebus gestis, ex Promptuario et speculo exemplorum aliasq. passim: latior enim est hic campus, quàm vt certis capitib. comprehendi queat.*

De quadam Oratione beati Augustini perutili. Cap. XXI.



Via vero imitatores beatissimi Patris nostri Augustini in quãtum possumus per gratiam Dei existere debemus, libet de orationibus eiusdem Patris aliqua perstringere, ex quibus simpliciores Fratres addiscant mentes suas ad deuotioně recolligere, & affectus suos ad Deum in oratione excitare. Et licet idem Pater sanctissimus in diuersis scriptis suis multas orationes deuotissimas, vt erat totus contemplator arcanorum cœlestium ediderit, sicut est videre in libro Supplicationum, seu Meditationum suarum, quo decẽ & octo orationes solennissimas, & deuotissimas conscripsit, in quibus ipse velut totus diuina dulcedine absorptus, & cœlestis Hierusalẽ contemplatione, & desiderio totus accensus mentis suæ deuotionem exuberanter depromebat. Similiter hoc apparet in libris Soliloquiorum suorum. In libro quoque suo de Contemplatione Domini Nostri Iesu Christi, & quampluribus alijs, & maxime in libro Confessionum suarum; cuius pene singula verba sunt ad Dei amorem inflammantia, vtpote melle diuinæ dulcedinis condita, & deuotione suauissima plena; præcipue tamen orationem suam, quam ipse ponit in fine libri sui, quem Speculum, vel Manuale appellari voluit, ad pręsens amplector. In quo quidem libro, vt ait Possidonius, omnia prohibita præcepta, & documẽta ad vitæ regulam pertinentia ex vtroque testamento sub compendio sunt descripta, & in ipsa oratione quilibet, qui attente eam legerit, quomodo obediens Deo, inobediensque sit agnoscit. Quæ Oratio talis est.

Oratio beati Augustini valde pulchra, & vtilis.

DEus ineffabilis, & incircunscriptæ naturæ, institutor omnium rerum, Domini Nostri Iesu Pater, qui eundem filium dilectum de sinu tuo misisti ad mundum istum suscipere nostram vitam, vt nobis donaret suam, essetque perfectus Deus ex Patre, & perfectus homo ex Matre, totus Deus, & totus homo, vnus idemque Christus æternus & temporalis, immortalis & mortalis, Creator & creatus, fortis & infirmus: nutritor & nutritus, pastor & ouis temporaliter mortuus, tecum in æternum viuens, qui suis dilectoribus vitæ muncipium promisit dicens: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioa. 14. *Obsecro itaque Domine, & te nimis rogo in nomine eiusdem dilecti filij tui, vt des mihi cum eodem filio tuo te in omnibus benedicere, & glorificare: Deus des mihi per illum & cum illo peccatorum meorum veniam, mandatorum tuorum custodiam, dilectionem tuam veram, & firmum amorem contra diabolum fortia humilitatis arma, & erga Fratres veritatem perfectam, & charitatem inextinguibilem. Temperantiam cibi potus atque somni, & totius libidinis, & vani desiderij continentiam: Auditum castum, visum simplicem; puritatem cordis, munditiam corporis, cogitationem mundam, oris cordisque custodiam, vt nec cor intus iniquitatem concipiat, nec lingua foris parturiat, nec falsa loquatur, nec taceat vera, nec salutifera abscondat, nec mortifera proferat. Precor etiam vt des mihi assiduitatem orandi, vires ieiunandi, frequentiam legendi, vt præcepta infatigabiliter legam. Quod rectum est teneam, quod deforme componam, quod pulchrum excolam; quod sanum conseruem, quod infirmum corroborem, & omne quod tibi placet perseueranter custodiam. Des insuper mihi despicere temporalia, & totis viribus æterna diligere, ut mortuum mihi deputem mundum, & mundo mortuus tibi uiuam, nec gaudens, nec lugens de temporalibus existam. nec metuam aliquod temporale, nec diligam. Nec blandis corrumpar, nec aduersis excutiar. Rogo etiam sancte Pater tuam clementiam in nomine ipsius filij tui, circuncide in me omnia uitia cordis & corporis, & da mihi augmentum perfectionemque uirtutum; illumina sensum & animam meam, ut illud a te petam, quod te delectat audire: doce me quid cogitare, quid agere, quid loqui, quid tacere debeam. Da mihi prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam; da discretionem in omnibus discernendi inter dexteram, & sinistram. Da etiam sensum uigilem, & prouidum intellectum, ut possim inter bona malaque discernere. Aufer a corde*

meo alienationem sensuum, cura in me stuporem mentis, extirpa e visceribus meis consilia iniquitatis: eradica de lingua mea detrahendi consuetudinem, mentiendi facilitatem, loquendi scurrilitatem, & omnes actus vanitatis meæ sana medicinæ tuæ arte. Da mihi perfectum sensum semper in purgatissimis moribus. Tene me virtute omnipotentiæ tuæ, & non sinas me proprio arbitrio euagari; Iuxta tuam prouidentiam dispone omnem meam vitam in tua voluntate, Animam meam peccatricem, pro qua mortuus est Christus non permittas perire. Frenum tuum in maxillis meis pone, & tanquam mansuetum animal trahe me post te. Tu enim cuncta, quæ mihi expediunt nosti. Non diabolo, non mihi; non mundo, non alicui alteri liceat tua dona subuertere, quia totum fragile est quicquid nititur tibi obuiare; fecisti enim mihi a puero misericordiam multam, perfice quod cæpisti. Da mihi semper, et vbique contra hostem crudelissimum tuæ piæ defensionis auxilium, vt sicut fragilitatem meam ille immundus non cessat impetere, ita tuis cogatur viribus confusus abscedere. Præsta vt sim paruulus in oculis meis, vt coram te inueniam gratiam. Da et auge mihi semper fidem firmam, spem inconcussam, charitatẽ perfectam, humilitatemq; profundam, patientiam inuictissimam, corporis animæq; castitatem perpetuam; Da cordis cõtritionem et fontem lacrymarum, Da simplicem innocentiam, et puritatem cordis, stabilitatem, constantiam, et integritatem mentis. Da vires inuictas, vt victor mei incultus existam. Dominetur in me ratio, et rationi gratia tua, vt non viuam bestialiter raptus impetu carnis; sed sit conuersatio mea honesta, et rationalis. Fac me prouidum ad omnia, et in cunctis discretum; Tribue mihi nulli occasionem scandali præbere, simplicitatem, et veritatem diligere, et instanter ea quæ pacis, et charitatis sunt sequi. Longe fac a me omnem hypocrisim, omnemque simulationem, et fac me tibi seruire in veritate, bono animo popter te maiorem subdi imperijs et alacri corde ad obedientiam, et compassionem, et concordiam sine mora concurrere. Excita torporem meum stimulis tuis die, ac nocte, et fac me summe perseuerare in præceptis, et in laudibus tuis die ac nocte. Da mihi sciẽtiam humilem quæ ædificet, et linguam eruditam, et eloquentem, et vt bona valeam ad meliora exhortari, et mala ad rectitudinis lineam reuocare. Infunde, rogo te, cordi meo scientiam per filium tuum, et da mihi cum eo spiritum sapientiæ, et intellectus, consilij et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et reple me sancto timore, et amore tuo. Da irriguum superius, et inferius. Da mihi benedictionem de rore cæli, et de pinguedine terræ. Da vt anima mea ardeat igne amoris tui. Fac me mundo penitus extingui. Concede mihi cor contritum, et humiliatum semper habere coram te. Fac me per gratiam tuam peccata mea deflere antequam moriar. Da mihi tota anima, et totis visceribus meis exquirere faciem tuam semper. Infunde dilectionem tuam pectori meo, et scribe dulcem

memo-

memoriam tui in tabulis cordis mei. Illustra me luce cęlestis patriæ, et imaginem tuam non sinas in me obscurari, quæ sic te patrante defendar, vt semper egregia inueniatur. Adsit mihi, quæso, beatorum Angelorum pia, et fida custodia et vbique, et semper, et præsta vt apud te pro me misero omnium sanctorum agmina intercedant, vt eorum precibus, et meritis, et pro tua pietate dignus efficiar promissionibus filij tui. Concede mihi fragilissimo beatorum monachorum Patrum meorum imitari vestigia. Da mihi eorum mansuetudinem, modestiam, et tolerantiam, benignitatem, et paupertatem, longanimitatem, cordis contritionem, et fontem lacrymarum, cibi potusque abstinentiam, cordis labiorumque munditiam, spirituale gaudium, et perfectum mundi contemptum: Maxime Domine charitatem a te efflagito, humilitatem inquiro, patientiam postulo indiuiduas comites fidei meæ, simul et veram animæ, et corporis pudicitiam sicut illis dedisti, precor te per filium tuum respice in me, et miserere mei. Exaudi orationem meam, et da mihi gloriam tuam propter multitudinem benignitatis tuæ, quæ mecum iugiter perseuerans donec doceat me incedere in misericordia tua vel iustitia tua coram te; et voluntatem tuam omnibus diebus meæ adimplere. Hanc peto, da mihi eam, quæ cum amicis pacificum, et cum inimicis reddat tranquillum; quæ me a verbo aspero mitiget, et ab ocioso sermone compescat, et oculos ab isto seculo vano auertat, quæ omni hora ante conspectum mortem ingerat, et hic gaudere prohibeat, quæ trabem, aut molem peccatorum meorum me considerare et plangere faciat, non aliorum delictam, vel festucam leuissimam perscrutari dimittat, postremoque omnia mundi pro nihilo habere, et te solum totis sentire visceribus Dominum meum vsque in finem faciat atque potenter efficiendo doceat. Et sicut pijssima misericordia tua dedisti mihi voluntatem veniendi ad te, sic per illam dona sapientiam, et intellectum, virtutem, et passibilitatem corporis, et animæ ad tibi deuotissime semper seruiēdum in omnibus per eandem benignam, et magistram gratiam tuam; sine qua nec cogitare, nec loqui, nec agere aliquid boni ualemus. Et quia ipse unigenitus tuus dixit: Nemo uenit ad me nisi Pater meus traxerit eum, et: Nemo uenit ad patrem nisi per me, obsecro sancte pater, et suppliciter rogo te Deum meum, trahe me ad te ipsum, et perduc ut ipse in dextera tua sedens, ubi est sempiterna uita, et beata æterna securitas, et secura tranquillitas, felix æternitas, et æterna felicitas. Vbi est amor perfectus, et timor nullus, dies æternus, et unus; ubi tu omnipotens semper cum filio, et ille tecum in communicatione sancti Spiritus, æternaliter, ac sempiternaliter uiuis et regnas, per omnia secula seculorum. Amen. Ioa. 6.

Alia oratio beati Augustini.


Medit. cap. 40.



Domine Deus omnipotens, qui es trinus, & vnus, qui es semper & in omnibus, & eras ante secula omnia, & eris semper in omnibus Deus benedictus, tibi commendo hodie, & omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, omnes cogitationes affectiones loqutiones actiones, omnia exteriora, & interiora; sensum & intellectum, memoriam, meam fidem, & credulitatem meam, & perseuerantiam meam in manus potentiæ tuæ, vt custodias ea diebus ac noctibus, horis atque momentis. Exaudi me Trinitas sancta, & conserua me ab omni malo, ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, & ab omnibus insidijs, & infestationibus dæmonum, & inimicorum visibilium, & inuisibilium per orationes Patriarcharum; per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, per intercessionem omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi. Expelle a me iactantiam mentis, & auge compunctionem cordis; dele superbiam meam; & perfice in me humilitatem veram, suscita in me fletum, mollifica cor meum durum, & lapideum. libera Domine animam meam ab omnibus insidijs inimici, conserua me in tua voluntate, doce me Domine tuam voluntatem facere, quia Deus meus es tu. Da mihi sensum perfectum, & intellectum, vt suscipere valeam profundam benedictionem tuam. Illud mihi da petere, quod te audire delectet, & mihi expediat. Da mihi lacrymas ex toto affectu, quæ peccatorum meorum possint dissoluere vincula. Audi Dominus meus, & Deus meus, audi lumen oculorum meorum; audi, & da quæ peto. Si despicis me, pereo; si respicis viuo, si iustitias meas requiris, mortuus fæteo, si cum misericordia respicis, fætentem resuscitas de sepulchro. Quod odis in me, longe fac a me, & castitatis, & continentiæ spiritum insere in me, vt quæcumque petiero in ipsa petitione non offendam te. Tolle a me quod nocet: præsta mihi Domine medicinam, vnde mea possint curari vulnera. Da mihi Domine timorem tuum, compunctionem cordis, mentis humilitatem, constantiam puram. Præsta mihi Domine, vt firmam semper valeam charitatem tenere, & mala mea non obliuiscar, aliena non quæram. Parce animæ meæ, parce malis meis, atque criminibus, & peccatis. Visita me infirmum: Cura me ægrotum; sana me languidum. Da mihi cor, quod te timeat, mentem, quæ te diligat, aures, quæ te audiant, oculos, qui te videant. Miserere mei, miserere mei Deus, & respice me de sede sancta Maiestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio tui splendoris illumina. Da mihi discretionem discernendi inter bonum & malum, & concede, vt sensum habeam peruigilem. Peto a te Domine remissionem peccatorum meorum, per quam fiat mihi

propitiatio in tempore necessitatis, & angustiæ meæ. Sancta & immaculata Dei genitrix Maria intercedere digneris pro me apud illum, cuius templum effici meruisti. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, atque Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum, omniumque iustorum per illum, qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis rogare præsumo; vt pro me culpabili ad ipsum Deum supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua liberari, & mihi largiri dignetur perpetuam clementiam & benignissimam misericordiã suam. Da Domine Iesu Christe Sacerdotibus concordiam, Regibus, & Principibus iuste iudicantibus tranquillitatem, & pacem. Oro te Domine pro vniuersa sancta Ecclesia, pro viris, & fœminis, pro omnibus rectoribus Christianorum, cunctisque in te sperantibus, qui perfecto amore laborant, vt perseuerantiam boni operis obtineant. Præsta Domine Iesu Christe virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, coniugatis sanctimoniã, pœnitentibus indulgentiam, viduis, et orphanis protectionem; pauperibus sustentationem, peregrinis reditum: lugentibus consolationem: et omnibus fidelibus defunctis requiẽ æternam: nauigantibus vt ad portum salutis perueniant, optimis vt in bonitate persistant; bonis, et mediocribus, vt meliores fiant: praue agẽtibus, et delinquentibus, vt ego miser sum, vt cito se corrigant. O dulcissime, et misericordissime Domine Iesu Christe fili Dei viui redemptor mundi, inter omnes, et per omnia me miserum peccatorem confiteor; sed tu clementissime Pater summe, qui omnium misereris, non me patiaris a tua misericordia fieri alienum; sed tu Pater Rex regum, qui inducias viuenti præstas corrigendi, mihi deuotionem tribuas. Excita in me mentem, quæ te requirat, te desideret, te, qui es vbique trinus, et vnus præ omnibus amet. Præcipue ego te Domine sancte Pater precor, qui es benedictus, et gloriosus per omnia secula, vt omnes, qui mei memoriam in suis orationibus habent, et qui se meis orationibus commendant, et qui diuinæ charitatis affectum, ac pietatis studium mihi impenderunt, seu illos, qui consanguinitate, ac cognationis affectu sunt mihi propinqui, tam illos, qui nunc assistunt in corpore, quàm illos, qui teguntur funere misericorditer gubernare digneris ne pereant. Omnibus ergo Christianis viuis adiutorium præstare digneris, et defunctis fidelibus sempiternam requiem per æterna secula. Necnon etiam illud magnopere supplico, qui es Alpha et Omega, vt cum dies finisque uitæ meæ aduenerit, tu mihi sis misericors iudex contra malignum accusatorem diabolum, et sis mihi perpetuus defensor aduersus insidias hostis, et cum societate Angelorum, omniumque sanctorum in sancto Paradiso me perseuerare facias, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.

De diuina lectione, seu studio sacræ Scripturæ. Cap. XXII.



QVia non semper Fratres possunt actualiter orare, debent ergo certis horis etiam legere. Vnde præceptor noster in Regula ait: *Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiet.* Vbi Vgo: Quod autem dicit, *quod Codices singulis diebus petantur*, frequentia legendi commendatur; frequenter enim debet legere seruus Dei. Quæ autem sit certa hora legendi, idem præceptor in alia Regula, quæ incipit: *Ante omnia*, explicat dicens: *A Sexta, vsque ad Nonã vacent lectioni, et ad Nonã reddãt codices:* Hodie tamen secundũ statum modernũ Ordinis hora legẽdi, & librariã aperiendi moderabitur secundum arbitrium Superioris.

Vgo super Reg. cap. 9. ver. superius.

Regula secunda.

Lectio Script. sacræ triplicem fructum profert.

Lectio [a] nãque Scripturæ sacræ triplicem nobis generat fructum; Primus est secundum Ioan. Cassianum in Collationibus patrum, Collatione abbatis Nesteratis, quia mẽs sacris lectionibus occupata nullis noxiarũ cogitationũ laqueis captiuatur. Vnde etiam dicit Hieron. Ad Rusticum monachum: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis*, & ponitur De consecr. dist. 5. Numquam.

Collat. 14. cap. 10.

To. 1. Epistola 4.

Secundus est secundum eundem, quia per hanc mens perspicua intelligentia illustratur, ita vt occultissimorum etiam sensuum, quos vel tenui primum imaginatione legendo percepimus, quiescentibus nobis nocturna meditatione perspicua intelligentia reuelentur.

Vgo ibid.

Tertius est secundum Vgonẽ; quia per hãc tota vita nostra in agendis, intẽdendis & sperãdis instruitur, & informatur. Vnde ait Vgo: *Valde enim vtilis est diuina lectio, nam per lectionem discimus quid agere, quid cauere, quo tendere debeamus. Hinc psalmista ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Per lectionem sensus, & intellectus augentur. Lectio ad orationem nos instruit & operationem; ad contemplatiuam vitam nos informat, & actiuam: Ideo merito beatus vir describitur, qui in lege Domini meditatur die, ac nocte. Hæc sunt arma, videlicet lectio, et oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis uirtutes nutriuntur.* Hæc ille. Vbi complectitur omnia tria prædicta, vt patet intuenti. Quæ etiam tria, & plures alias vtilitates legendi sacram Scripturam explicat beatus Augustinus in quodam Sermone, qui incipit: *Scriptum est Fratres carissimi*. Sic inquiens: *Legite Fratres mei sacram Scripturam, in qua quid tenendum, quid fugiendum plene inuenietis. Legite eam, quoniam omni melle dulcior, omni pane suauior, omni vino hilarior, oleo lenior,*

Psal. 118.

Psal. 1.

Serm. 38. ad Fratres.

Auro pretiosior, argento purior inuenitur. Hæc est quæ præcipue Deum diligere inuitat; corda illuminat; linguam purificat; conscientiam probat; animam sanctificat; fidem confirmat; diabolum reijcit; peccatum spernit; animas frigidas calefacit. Lumen scientiæ est; tenebras ignorantiæ expellit; tristitiam seculi extinguit; lætitiam Spiritus Sancti accendit; sitienti potum tribuit. Hæc est Scriptura sancta, lex nostra immaculata, quæ de insipientibus sapientes facit; primum de nouissimis ponit, magnos de minimis efficit, mobiles de ignobilibus commutat, naturam frenat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert spem. Corroborat senem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, instruit errantes, sanat ægrotos, roborat infirmos, excitat somnolentos, ociosos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, Reges humiliat. Hæc est scientia scientiarum, quæ sapientiam dat, gloriam exaltat. Et cętera plura talia ponit ibi Augustinus. Refert Beatus Augustinus in Epistola ad Cyrillum de Sancto Hieronymo, quod ocium sibi numquam erat, sed semper sacris lectionibus, aut scribendo, aut legendo, aut docendo exercitabatur, post vesperas se orationibus præbens; deinceps vsque ad horam secundam noctis continue vigilabat. postmodum somno fessus in terra dormiens, vsque ad mediam noctem quiescebat; qui hora continuo surgens, lectionibus, & scripturis sanctissimis, quibus tota irradiatur Ecclesia intentus vsque ad esus horam perdurabat. De ipso etiam Patre nostro Augustino legitur, quod præter horas orandi, & necessitatibus Ecclesiæ prouidendi, die ac nocte semper studio sacrarum litterarum intendebat: Vnde tot scripsit libros, quod vix homo in vita sua sufficeret ad legendum cum ipse sufficeret ad scribendum, vt dicit Possidonius. Post B. Augustinũ inter oẽs huius Religionis professores, inquantũ nos reminiscimur, & ad nostrę generationis notitiã potuit peruenire, primus doctor in sacra Theologia fuit F. Egidius Romanus de nobili genere Colũnien siũ ortus, qui in ætate adolescentuli ingressus ordinẽ a parentibus, & amicis seculi blãdimẽtis pluribus redire ad seculũ fuit allectus: sed ipse maluit Deo in suscepta Religione seruire, quã parẽtibus, & mundi amatoribus obedire. Hic tãta ingenij velocitate pręditus erat, vt licet pene nullius litteraturę in suo ingressu fuerit, in progressu tamen ita notabiliter profecit in studio, vt post modicũ tẽpus ad sacrę Theologię studium Parisius destinaretur; vbi cum inter scholasticos iam magni nominis haberetur, ad legẽdum ibidem sententias per ordinẽ deputatur. In qua lectura, simulq; & alijs actibus iuxta statuta, & consuetudines vniuersitatis Parisius baccalaurijs in sacra pagina incumbẽtibus tam eleganter, & splendide se habere comprobatus est, vt in breui cum honore summo cathedram ascenderet magistralem

Epistola 105.

Possidonius in vita S Augusti. c. 18.

De Egidio Ro. Columnen.

Quam

Egidius Romanus creatur cathedraticus sacrę Theologię, eligitur in Generalem. Creatur Archiepiscopus Bitur. & primas Aquitaniæ. De operibus Egidij Ro.

Quam cum plures annos laudabiliter rexisset, & iam fama nominis eius per orbem celebris haberetur, in generalem Priorem assumptus est; ac deinde per Dominum Bonifacium Papam VIII. in Archiepiscopum Bituricensis Ecclesiæ, ac in primatem Aquitaniæ solenniter promotus, & consecratus est. Hic doctor solennis, & famosus inter omnes magistros sui temporis quam plura opera fecit ad ædificationem sanctæ matris Ecclesiæ. Inter quæ sunt quæ ego vidi. Scripsit enim super sent. tres libros: super Epistolam ad Romanos, super cantica. librum De regimine Principum. Tractatus, De esse, & essentia. De intellectu possibili: De gradibus formarum. De prædestinatione, & pręscientia. De Paradiso, & inferno. De peccato originali. De formatione corporis humani. De materia cœli. De corpore Christi. De resurretione mortuorum. Exameron. De exemptione. Item Quæstiones De cognitione Angelorum. De mensura Angelorum. De motu Angelorum. De esse, & essentia. Item scripta super librum physicorum. De generatione, & corruptione super de anima. Super De causis, super Politicorum. super Rhetoricorum, super Posteriorum. super Elenchorum. Item sermones multos ad clerum. Item quæstiones de sex quolibet, & quamplura alia Opuscula. Hic venerabilis pater, & doctor eximius magnus extitit Zelator sanctæ matris Religionis suæ, & quantuncunque in tanta dignitate primatiæ sublimatus fuisset, animum tamen semper habuit ad Ordinem suum; quod in extremo vitæ suæ ostendit, quia cariorem thesaurum suum Ordini reliquit. Nam cappellam suam id est ornamenta ad cultum diuinum spectantia conuentui nostro in Roma ad Sanctum Triphonem reliquit, quibusdam tamen conuentui Bituricensi relictis. libros vero omnes cum corpore suo conuentui Parisius dimisit, eleganter per hoc recognoscens se fore sincerum alumnum vniuersitatis Parisius,, prout ipse in sermone ibidem prædicans coram vniuersitate perorauerat introducens hunc versum.

Egidius Ro. quā benè affectus erga ordinem vsque ad mortē.

Est qui me nutrit: & qui nutritur alumnus.

Declarans quomodo ipse ab olim nutritus fuisset in illa honorabili vniuersitate, & nunc ipse suæ doctrinæ pabulo nutriret eandem. De hoc magnæ venerationis patre audiui referri, quod cum quadam die mulier graui morbo vexata ad eum tamquam pontificali gloria fulgentem accessisset, petens remedium sanitatis: ipse reputans se ad huiusmodi meritum imparem omnino, & indignum, & intendens eam a se curialiter repellere dixit ei: Vade bona mulier, fiat tibi secundum fidem tuam. At illa recedens mox curatam se persensit. verum nempe est verbum Domini dicentis, *quia omnia sunt possibilia credenti*: & alibi: *Fides tua te saluam fecit*. Prædictum autem venerabilem

Miraculum B. Egdij Rom.

Mar. 5.
Luc. 8.

bilem virum multi alij huius Religionis viri vita præclari, & scientia famosi sequuti sunt in cathedra Parisiensi. inter quos fuit magister Iacobus de Viterbio, qui fuit Archiepiscopus Neapolitanus, de quo supra commemoraui. Hic edidit quæstiones de prædicamentis diuinis subtiles, & vtiles cum tribus *Quodlibet* Parisius disputatis, & optime determinatis. Item lecturam sententiarum cum multis alijs conceptibus suis, qui post mortem suam non omnes ad lucem venerunt, quia quidam furati sunt opera sua multa facientes sibi de falso cornua.

Magister F. Iacobus de Viterbio Archiepiscopus Nea. De operi. Iac. Viterbo.

His, aliquibus intermedijs successit magister Henricus de Vrimaria, quem supra, & infra pluries commemoraui, vir vtique miræ honorificentiæ, & magnę studiositatis: Hic priores patres supradictos in frequentia imitatus, numquam inuentus est ociosus, Ocium sicut venenum detestans. Vnde tempore recentioris ætatis assuefactus est studio, quod nec senio confectus a studio aliqualiter potuit absistere. Nam cum esset septuagenarius, & vltra; ita frequens erat in studio die ac nocte, vt vix reperiretur lector recens aliquis quotidianis exercitijs scholasticis insistens, qui sic quotidie incumberet studio. Vnde cum interdum aliqui sibi familiares quasi iocose dicerent, quod si ipse Parisius sufficienter studuisset, nõ oporteret nunc tã continue incumbere studio, ipse dictum cuiusdam sapientis recitans aiebat: Ego si vnum pedem haberem in sepulchro, adhuc addiscere vellem, & licet tam crebro fuisset in studio, nunquã tamen, se caput de studio nec vnquam dorsum suum ex incubitu studij doluisse confessus est, prout ab eo sæpius narrante audiui. Hunc autem morem vir iste in studendo habebat, quod super librum in quo studuit, studendo manu sua corrigebat, & in marginibus notabilia signabat. Hæc inter cætera studiositatis suæ opera scripsit: Super libros Ethicorum Aristotelis, opus solenne sermonum de sanctis. lecturam Decretalis, cum Marthę librum De perfectione hominis necessariorum. Tractatum De exemptione. Quodlibet duo cum multis quæstionibus ordinarijs disputatis Parisius. Sermones & tractatus quam plures prædicabiles.

Henricus de Vrimaria.

Ratio studendi obseruata ab Hen. de Vrimaria.

Opera Henr. de vrimaria.

Item magister Augustinus de Ancona vir magnæ prudentiæ, & studiositatis scripsit glossas continuales valde vtiles super Actus Apostolorum, super Epistolas canonicas; super Apocalypsim ad instar glossarum Thomæ super Euangelia. Item Postillam super Epistolas canonicas. Scriptum super Metaphysica. super librum Priorum. Tractatum De amore Spiritus sancti. Tractatum De potentijs animæ. Tractatum De prædicatione generis cum multis alijs tractatibus, & opusculis. Item scripsit solennem compilationem de dictis Sancti Augusti-

De B. Aug. Triumpho de Ancona & de operibus ab eo confectis.

Augustini ea ad ordinem alphabeti secundũ certas materias,& vocabula reducendo,sed morte præuentus in completam reliquit. Quam studiosus vir Frater Bartholomęus de Vrbino prosequutus , & compleuit, ac Milleloquium appellauit. Quam compilationem ipse sanctissimo Patri Domino Clementi Papæ VI. obtulit & exeniauit. Qui eam valde gratanter suscipiens eidem Fratri Bartholomęo de bono Episcopatus scilicet suæ ciuitatis prouidit s. Vrbini Ecclesiæ. Item idem Frater Bartholomæus consimile opus fecit ad instantiam dicti Domini Clementis Papæ de dictis B. Ambrosij Episcopi.

Bartholomæus Vrbinas episcopus.

Item Magister Albertus de Padua edidit postillas bonas super Euangelia dominicalia , & quadragesimalia. Super quinque libros Moysi. Collationes festiuas per anni circulum. Postillas super Epistolas dominicales. Item centum quinquaginta sermones ad clerũ super multas materias, & multa alia opera fecit ille reuerendus Pater,& fecisset,nisi mortuus fuisset iuuenis.

De Alberto Patauino. Opera Alberti Patauini.

Post modum successit Frater Hermanus de Scildis, vir multę scientiæ,& bonæ vitæ,magnique zeli ad ordinem pro disciplina,& iustitia. Hic compilauit opera infrascripta. Primum sententiarum. Postillam super Cantica. Collationes prædicabiles per circulum anni de materia canticorum. Expositionem Dominicæ orationis duplicem, vnam secundum verba Matthæi;aliam secundum verba Lucę. Item expositionem super Aue Maria. Breuiloquium. De expositione Missæ. Compendium de quatuor sensibus Sacræ scripturæ. Item speculum scilicet Manuale sacerdotum. Tractatum de vitijs capitalibus duplicem. Opus sex dierum duplex. Item Claustrum animæ. Item Tractatum de conceptione Virginis gloriosæ. Item Tractatum de ordine studendi pro iuuenibus. Introductorium iuris. Item Tractatum extensum De sensibus Sacrę scripturæ cum fundamentis, & regulis suis. Scriptum super librum Rhetoricorum. Tractatum De uera,& falsa amicitia. Item tractatum De compensatione pœnarum dominicarum cum horis canonicis. Tractatum De decem præceptis. Item , De quinque sensibus. Item lecturam super decretalem omnis vtriusque sexus. Item Postillam super Genesim. Item Tractatum contra errorem flagellantium. Item Tractatum contra magistrum Contradum De comparatione Missæ. Sermones multos ad clerum. Item Sermones multos ad populum , & ad personas subtiles. Item, Diuersas quęstiones sine numero. Item Tractatum metricum De diuisione philosophiæ. Item Opus quadragesimale de mansionibus,& plura alia incompleta.

Hermãnus de Scildis, & illius opera.

Item Reuerendus Pater Frater Thomas de Argentina olim Generalis multa solemnia opera compilauit, videlicet super omnes quatuor li-

De Thom. de Argentina & de operibus ei⁹.

tuor libros ſentẽtiarum ſcripſit ſubtiliter, & multos ſermones ad clerum ad diuerſas materias, & multa alia opera vtilia.

Poſtmodum ſuccedit Reuerendus Pater Magiſter Gregorius de Arimino vir magnæ ſcientiæ, & vitæ ſanctæ, qui ſingulariter Pariſius fuit honoratus a tota vniuerſitate propter opera ſua notabilia. Scripſit ſuper primo, & ſecũdo ſententiarum pulchrius, & diffuſius aliis, & ideo merito audiebatur libenter, & omnibus erat ſpeculum tam in moribus, quàm etiam in ſcientia. Scripſit etiam ſuper Epiſtolas Pauli, ſed non perfecit dictum opus, quia eo inuito aſſumptus eſt ad Generalatus officium, in quo modicum vixit propter nimios labores quos in Ordine ſuſtinebat pro ſalute Fratrum, & honore totius Ordinis.

Gregorius Arimin.

Scripta Greg. Ariminen.

Creatur Prior Generalis ordinis inuitus.

Eidem ſucceſſit magiſter Vgolinus de Vrbeueteri, qui fuit ſubtiliſſimi ingenij, & intellectus. Fecit etiam Pariſius ſingulares actus in Vniuerſitate, propter quos multum fuit ibidem apretiatus. Compilauit etiam vnum opus ſolenne inter omnia opera ſua ſuper ſentẽtias, quod eſt in magno pretio, vbi poſſit haberi; Prouiſum fuit eidem per Dominum Vrbanum Papam V. de Patriarchatu Conſtantinopolitano, & de Epiſcopatu Ariminenſi ſimul dum Generalis eſſet. Qui etiam mortuus eſt in bona ſenectute, & fama apud homines.

Vgolinus de vrbeu. & illius opera.

Vgolinus Vrbeuet. creatus Patriarcha Conſtanti. & Epiſco. Arimin. dũ eſſet Gen.

Præter præfatos Reuerendos magiſtros fuerunt etiam duo fratres carnales de Padua, ambo in Ordine noſtro; Quorum vnus fuit Reuerendus magiſter Bons Blans, homo vtique acutiſſimi ingenij & litteraturæ. fecit & ipſe magnum & vtile opus pro ſtudentibus, & multos ſermones ad clerum, ac etiam diuerſas quæſtiones tam in philoſophia quàm in Theologia ordinauit: mortuus eſt iuuenis cum magno Ordinis damno propter iuuentutem ſuam. Alius frater eius, ſcilicet Reuerendus magiſter Bonauentura fuit vtique vir magnæ eloquentiæ tam ad clerum, quàm ad populum, ab omnibus laudatus. Fuit vir magni ſtudij. Fecit multa opera vtilia, ſcilicet Sermones ad clerum ad diuerſas materias pertinentes. ſuper Canonica Iacobi fecit fructuoſam expoſitionem. Fuit etiam aſſumptus ad Cardinalatus officium; & poſt modicum tempus per Dominum Vrbanum Papam VI. factus fuit presbyter Cardinalis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, & hoc propter magnum conſilium, quod in eo vigebat. Fuerunt etiam alij multi magiſtri in Ordine iſto ſcientia præclari, de quibus longum eſſet enarrare. & adhuc per Dei gratiam ſunt quamplurimi in Ordine hoc, viri doctiſſimi, & ſcientia famoſi, de quorum laude in ſingulari deſcriptione ſtylum ſubduxi, ne viderer palpaniſtæ officium mihi vſurpaſſe.

Bons blans & Bonauẽtura fratres Germani.

Bona ventura Generalis, & Cardinlais S.Ro.Eccl.

AD CAP. XXII. NOTÆ

a Lectio Sacræ ſcripturæ.] *S. Io. Chryſoſt. homil. 3. et 25. in Geneſ. S. Hierony. ad Lætam. epiſt. 7. S. Greg. homil. 15. in Ezechiel. And. Eborenſ. tom. 2. de lectione et ſtudio.*

b Cuiuſdam ſapientis.] *Sententia erat Iuliani Iureconſulti, quam refert Pomponius in l. apud Iu lianum ff. de fidei commiſſar. libertat.*

c Item R.P. F.Thomas.] *Hæc ad finem vſque huius capitis non habentur in alio exemplari.*

De ſpirituali ſcientia qualiter acquiratur. Cap. XXIII.

SEd præter has ſcientias, quæ docentium verbis, & ſtudio lectoris acquiruntur, eſt alia ſcientia ſpiritualis, quæ non niſi per illuminationem diuinam attingitur: ad quam acquirendam quatuor requiruntur ſecundum traditionem Neſterotis abbatis in Collationibus patrum. Coll. 14. c. 9

Quatuor neceſſaria pro acquirenda ſciētia ſpirituali. Primum. Sap. 1.

Primum eſt, cordis puritas, In maliuolam enim animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis. Vnde impoſſibile eſt immundam mentem, donum ſpiritualis ſapientiæ adipiſci: idcirco quicunq; cupit in corde ſuo locum ſpirituali ſapientiæ præparare, ab omni ſe debet vitiorum contagione purgare, & curas ſeculi præſentis abijcere: & ideo ait Ioan. Caſſ. in inſtitutis patrum lib. 5. c. 33. *Monachum cupientem ad ſcripturarum notitiā pertingere nequaquam debere labores ſuos erga Cōmentariorū libros impendere, ſed induſtriam mentis, et intentionem cordis erga emendationem uitiorum carnalium detinere, quibus expulſis, cordis oculi ſublato uelamine paſſionum, ſcripturarum Sacramenta contemplantur,* & ponit exemplum de oculis corporalibus, & lumine viſibili, quod intuentur oculi naturaliter ablatis vitijs oculorum, Matth. 5. *Beati mundo corde* &c. & qui cumq. talis fuerit, poterit fiducialiter dicere cum pſalmiſta: *Pſallam, & intelligam in via immaculata.* Ille quippe pſallens intelligit quæ canuntur qui in via immaculata greſſu puri cordis incedit. Pſal. 100.

par. 2. ſ. 165. Sententia Abb. Neſterotis.

Exemplum in abbate Siluano in vitas Fratrum, qui Fratribus petentibus vnde fuerit adeptus tantam prudentiam, Reſpondit: Numquam dimiſi morari cogitationes malas in corde meo, quæ Deum offenderent.

Secun-

Secundum est mentis humilitas, quia, vt ait Ioan. Cass. *Impossibile est, eum, qui in proposito laudis acquirendæ studio lectionis insistit, donum uere scientiæ promereri: humilis enim magister non nisi humilẽ uult habere discipulum, Vnde ait ipse filius Dei ad Patrem: Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, et reuelasti ea paruulis, Matth. 11. Intellectum enim dat paruulis, ut dicitur in psalmo; et alibi: Bonũ mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* Secundum. Coll. 4. ca. 10. Psal. 18. Psal. 118.

Tertium est Orationis [a] pietas, vnde Vgo in Didascalicon, *studens* (inquit) *in Sacra scriptura non confidat de acumine ingenij, nec de subtilitate scrutinij, nec de sedulitate studij; sed de bonitate Dei, et pietate orationis: Optaui (inquit sapiens) et datus est mihi sensus: Inuocaui, et uenit in me spiritus sapientiæ, sap. 7.* Vnde narrat Ioannes Cass. in institutis patrum de abbate Theodoro, & idem Cassiodorus in libro De institutione scripturarum: quod cum ipse explanationem obscuræ quæstionis inquireret, septem diebus ac noctibus in oratione infatigabiliter perstitit, donec eius solutionem Domino reuelãte cognosceret. Narrat etiam B. Augustinus in primo libro De doctrina Christiana circa principium de quodã Barbaro Christiano, qui orando triduanis precibus impetrauit a Deo plenam notitiam litterarum nullo homine docente, Cui cum oblatus esset codex, legit in eo percurrendo stupentibus cunctis, qui viderunt. De talibus dicitur illud 1. Ioan. 2. *Non habetis necessitatem, ut aliquis doceat uos, quoniam unctio ipsius docet uos de omnibus.* super quo verbo dicit Augustinus: *Nolite putare quequam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum uocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster: cathedram in cælo habet, qui corda docet, propterea ut ipse ait in Euangelio: Nolite uobis dicere magistrum in terra, unus est enim magister noster Christus.* Hæc Augustinus. Frater etiã Hermãnus de Allis baccalarius hanc sanctam obseruationem habuit, qui cum de nocte surgeret ad studendum, primum intrauit chorum, ibidem aliquandiu ante altare orauit, & deinde studio intendit, & verisimile est, eum scientiam suam plus oratione, quàm studio acquisiuisse, quia breuiter studuit, & optime fecit actus suos. Quod etiam coniecturari potest ex quadam visione sua, quam ipse mihi, tamquam suo familiari discipulo secrete pro mea ædificatione narrauit. Quadam enim nocte cum adhuc iuuenis esset, eo sicut totus deuotus erat in oratione posito, somno arreptus vidit beatam Virginem cum multitudine virginum ad Ecclesiam properantium, habebat autem beata Virgo in manu sua calicem, de quo omnibus virginibus bibere dedit, quod cum iste stupens, & gaudens aspiceret, & in corde suo valde desideraret, vt ipse de eodem calice bibere mereretur: vocatus ergo accessit, & de ipso

Tertium. Lib. 4. c. 33. Exemplum mirabile. De Fratre Hermãno de Allis.

calice-

calice bibit,& videbatur ſibi ac ſi eſſet aqua pura: Et ſtatim euigilans intra ſe cogitare cœpit, quid ſibi aquæ ſignificatio importaret, & occurrit ſibi quia ſcriptum eſt: *Aqua ſapientiæ ſalutaris potauit eos.*

Eccleſ. 15. Quartum eſt operum fructuoſitas, vt, ſicut dicit Ioan. Caſſianus:
Quartum. *Spiritualem ſcientiam ij tantum qui non aliorum docentium verbis, ſed*
Collat. 14. c.9. *propriorum actuum virtute perfecti ſunt, poſt multorum laborum ſtipendia iam quaſi in præmio conſequuntur: non tantũ a meditatione legis, ſed de fructu operum ſcientiam, & intelligentiam acquirentes dicunt cum*
Pſal. 118. *Pſalmiſta: A mandatis tuis, per me ſcilicet impletis, intellexi.* Satagat ergo ſtudens diuinæ ſcripturæ, opere implere ea, quæ audiuit, vel legit, vt ex opere ſapientia augeatur. Exemplum in abbate Paulo, de quo narratur libro. 1. cap. 1. hiſtoriæ tripartitæ; quod cum ipſe ſine litteris acceſſiſſet ad quendam vt doceretur, & audiſſet primum verſum illius pſalmi:
Pſal. 38. *Dixi, cuſtodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea*; ſecundum verſum non eſt paſſus audire, dicens: ſi potuero implere hoc, hic verſus mihi ſufficiat, cumque doctor eum culparet poſtea, quod per ſex menſes ad eum non veniſſet, reſpondit: Verſum illum adhuc opere non impleui, poſtea vero a quodam requiſitus, an verſum illum didiciſſet, & compleuiſſet, reſpondit: Quadragintanouem annis eum didici, & adhuc eum implere non valui.

lib. 5. cap. 28. Dicitur in vitaspatrum de quodam ſancto Sene, qui cum moriturus eſſet, circundederunt eum Fratres rogantes, vt aliquod ſalutare verbum, & compẽdioſum eis loco hęreditatis relinqueret, per quod
Notabile dictum. poſſent aſcendere ad perfectionem, quæ eſt in Chriſto. At ille ingemiſcens ait: Numquam feci propriam voluntatem, nec aliquem do-
Coll. 14. c.9. cui, quod prius ipſe non fecerim. Vnde dicit Ioan. Caſſ. de ijs qui hãc ſcientiam ſpiritualem adepti ſunt: quod eorum non eſt quicquam docere verbis, quod opere ipſi non fecerint. Sed ſicut dicit ibidem: Sunt quidam, qui diſputandi peritiam, & ſermonis eloquentiam cõſecuti, ſcientiam ſpiritualem habere creduntur ab ijs, qui vim eius, & qualitatem ignorant: Aliud namque eſt facilitatem oris, & nitorem habere ſermonis, & aliud venas, & medullas cœleſtium penetrare dictorum, ac profundiſſima ſacramenta puriſſimo cordis oculo contemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio ſecularis, ſed ſola puritas cordis cum aliis prædictis tribus per illuminationẽ ſancti ſpiritus obtinebit. Hæc ibi. Hanc ſpecialiter habuerunt illi antiqui patres Eremitæ, de quibus in Vitaſpatrum, & in Collationibus patrum narratur. Nam quantuncumque in nemoribus tempo-
Lib. 65. quæſtionũ q. 1. ra ſua deduxerunt in ſancta ſimplicitate, ipſam tamen medullam Sacræ ſcripturæ profundiſſime penetrauerunt, ſicut patet in eorum collationibus, & alijs verbis, & factis ipſorum. Vnde in libro B. Augu-

ſtini ad

stini ad Orasium sic in principio dicitur,& sunt verba Orasij ad Augustinum. *Sunt,* inquit, *spirituales viri, qui eorum s. Magnorum doctorum assequuntur eloquium, & penetrant intellectum, quorum nos, qui concupiscentijs satisfecimus praeclarae eorum scientiae non aequamur, vt eos sicut illi intelligere valeamus.* Refert autem B. Augustinus, in libro de doctrina Christiana vbi supra de B. Antonio [b] aegyptio monacho, quod ipse sine vlla scientia literarum scripturas diuinas memoriter audiendo retinuit,& prudenter cogitando intellexit.

AD CAP. XXIII. NOTÆ.

a Orationis pietas.] *Sic scribitur de B. Thoma Aquinate, quod in difficillib. sacrae Scripturae locis ad orationem ieiunium adhibebat, ut assequeretur, quod quaereret.*

b B. Antonio.] *Sozom. lib. 1. hist. Ecclesiasticae refert ob hanc caussam B. Antonium uocatum fuisse θεοδίδακτος, hoc est a Deo edoctum. simile quiddam legitur de B. Bernardo, quem nullo preceptore usum aiunt. ut testantur Bapt. Fulgos. lib. 10. & And. Eborens. de lectione et studio.*

De opere manuum. Cap. XXIIII.

POst tria substantialia praecepta Regulę, sunt etiam & alia tria accessoria, quae sunt animae valde necessaria, quae etiã nobis commendat Regula s. oratio, lectio,& operatio. De oratione, & lectione habitum est in praecedentibus, De operatione etiam praeceptor noster nos admonet, dicens: *Vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera uestra in unum fiant maiori studio, & frequentiori alacritate, quam si uobis singulis propria faceretis.* De his tribus Vgo, *Oratione,* inquit, *mundamur, lectione instruimur, operatione beatificamur, sicut dicitur in psalmo: Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* (Vgo super Reg. cap. 9. Ver. superius. psal. 127.)

Labor [a] quippe manuum ordinatur ad quinque bona. (Labor manuũ ad quĩque ordinatus.)

Primo quidem,& principaliter ad victum quaerendum secundum ordinationem diuinam. Vnde primo homini dictum est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. (Primum. Gen. 3.)

Secundo ad eleemosynas faciendas, Ad Ephesеos 4. *Qui furabatur iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* (Secundum.)

Tertio, ad refrenationem concupiscentiae, inquantum per hoc (Tertium.)

corpus maceratur. Vnde 2. ad Cor. 6. *In laboribus, in ieiunijs, in uigilijs, in castitate.*

Quartum. Quarto, ad tollendum ocium, & consequenter ad euitandum omnia mala, s. cogitationes noxias, furta, detractiones, rapinam, & turpia negocia, & similia.

Quintum. De opere mon. c. 25. Quinto, ad domandam superbiam. Vnde Aug. in de opere monachorum: *Si ad hanc vitam ex diuite quisque conuertitur, & nulla corporis infirmitate impeditur, ita ne desipimus a sapore Christi, vt non intelligamus quantũ prioris superbiæ tumor sanetur, cum circũcisis superfluis,* aliter. *quibus ante animus exitiabiliter inflãmabatur, ad modica, quæ restãt huic vitæ naturaliter necessaria etiam opificis humilitas minime recusatur.*

Prædicta etiam tria simul cum istis quinque bonis de labore manuum prosequitur idem pater noster Augustinus in quadam exhortatione ad Fratres sic loquens: *Oportet nos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia vita viri iusti lectione instruitur, oratione ornatur. Hæc enim sunt arma lectio, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur, his armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Sed & siquando ab oratione & lectione cessatur, debet operatio manuum subsequi, quia ociositas inimica est animæ: & hostis antiquus, quam a lectione, seu ab oratione, seu etiam ab opere vacantem inuenit, facile ad vitia rapit; per usum namque lectionis discetis qualiter uos uiuatis, & alios doceatis. Per usum orationis & uobis, et his, quibus in charitate coniuncti estis, prodesse ualebitis. Per manuum uero operationem, & corporis macerationem, & uitijs alimenta negabitis, uestris necessitatibus subuenietis, et habebitis* Vgo super Reg. ca. 11. *unde necessitatem patientibus porrigatis.* Hæc Augustinus. Et eadem verba dicit Vgo in expositione Regulæ. dicit enim: *Tempora sunt distinguenda, quibus debemus orare, quibus legere, et quibus operari debemus.* Ver. superius. De horis, & temporibus ad orandum planum est ex superioribus; quod intelligitur de horis canonicis, & alijs diuinis officijs. De hora etiam legendi, dictum est in proximo capitulo. De horis autem, Reg. 2. & tẽporibus operandi idem pater admonet in illa Regula, quæ incipit: *Ante omnia.* Sic dicens: *Operentur Fratres a mane usque ad Sextam.* & infra. *Postquam refecerint, siue in horto, siue ubicunque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarij*: & infra. *Mane ad opera sua sedeant, post orationem Tertiæ eant ad opera sua.* & infra: *Sedentes ad opera sua taceãt, nisi forte necessitas operum exigerit ut loquatur quis.* Et hæc omnia intendit Augustinus de opere communi, non proprio, vt patet ex Regula extensa parum supra introducta, cui concordat optime quod dicitur in Constitutionibus secundo capitulo, quod Fratres, qui sciunt manibus operari, debent Fratribus alijs, vel conuentibus.

De lucernario loquitur S. Hiero. ep. 7. ad Lætam. & in 2. exposit. psal. 119.

bus seruire gratis secundum Priorum suorum mandatum, vt infra proximo sequenti capitulo plenius dicetur.

Quod autem debeamus manibus proprijs laborare, habemus exẽplum in Apostolo Paulo, qui labore manuum victum suum sibi quęrebat. Vnde 2. Thessal. 3. loquens de se, & de Barnaba sic ait: *Non gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, et fatigatione, nocte, et die operantes, ne quem uestrum grauaremus.* & hoc idem faciendum suo exemplo imposuit alijs dicens: *Siquis non uult laborare, non manducet.* Vnde Hieronymus ad Rusticum monachum: *Ægyptiorum monasteria habent hunc morem, ut nullum absque opere, et labore suscipiant; non tam propter uictus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne uagentur perniciosis cogitationibus.* Item sanctus Arsenius interrogatus in quo confideret, respondit: In eo quod homines fugi, & aliquantulum tacui, fleui, potissime in eo gaudeo, quod manibus laboraui. Legitur in Vitaspatrum, quod quidam Frater interrogauit quẽdam senem: si habeo quod sufficiat necessitatibus meis, videtur tibi quod non cogitem de labore manuum? Respondens senes, dixit, Quantumuis habeas, non negligas tamen operari, & quantum potes, fac tantum; non tamen cum turbulento animo. Vnde sancti Patres in eremo manibus laborabant, facientes sportellas, & funiculos, & talia huiusmodi; etiam si eis pro victu transigendo non indigebant propter duas causas supradictas laborare voluerunt. Vnde Hieronymus ad Demetriadem virginem nobilem dicit sic: *Nec iccirco tibi ab opere cessandum est, quia, Deo propitio, nulla re indiges, sed ideo cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad diuinam pertinet seruitutem. Simpliciter loquar: quamuis censum tuum in pauperes distribuas: nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris, uel in usus proprios, uel in exemplum uirginum cæterarum.* Exemplum de beato Paulo probatissimo patre, qui in eremo vastiore consistens, nec propter distantiam ab oppidis posset ea, quæ operabatur vendere pro victu, sustentabatur autem de fructibus palmarum modicis: nihilominus quotidie laborabat manibus velut inde sustentandus iugiter a se exigebat cumque opere totius anni atrium suum impletum fuisset, totũ igne supposito concremabat: in hoc probans monachum nec in loco posse sine labore manuum manere, nec cogitationes aliter euadere: & præter ea Deus reddet homini pro labore suo præmium in futuro.

2. Tessal. 3. To. 1. Epistola. 4.

Epistola. 8.

Vit. Pat. p. 3. c. 39. Instit. Pat. lib. 10. c. 24

Quidam in eremo longe habebat aquam a cella sua, vbi dum semel iret in via defecit, & ait: Quid necesse habeo laborare, cum potuero iuxta aquam manere? Hoc dicto, vidit quendam post se, & vestigia eius numerantem, cui ait: Quis es tu: At ille: Ego Angelus Dei

Vit. Pat. p. 2. De patiẽtia.

ſum, miſſus numerare veſtigia tua, & ſecundum quod laboraueris, tibi merces dabitur laboris. Tunc fortis effectus amouit longius cellam per quinque milliaria.

AD CAP. XXIIII. NOTÆ.

a Labor quippe manuum.] *S. Tho. 2. 2. q. 187. ar. 3.*

b Ad horam lucernarij.] *Hora lucernaris erat vndecima, vt teſtatur Io. Caßia. lib 3. de inſtitu. renunciant. c. 3. ad fi. De hac S. Hieronym. ad Lætam epiſt. 7. ſic ait: Accenſaq. lucerna ſciat reddere ſacrificium veſpertinum. Sic dicta, quòd tum lucernarium fieri conſueuerat. Licet autem in expoſit. Pſal. 119. quam S. Hieronymi nomine circumfertur, hora Nona fieri dicatur, magis tamen probatur ſententia Caſſiani.*

Dictum eſt autem lucernarium, quod tunc accenſis lucernis veſpertinum ſacrificium redderetur, vt innuit S. Hieronym. in d. epiſt. ad Lætam, & S. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto, c. 29. S. Epiphanius lib. 3. aduerſ. hæreſ. in fi. Caſſiodor. in Tripartita lib. 9. cap. 38. Socrat. lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 21. Nicepho. lib. 12. cap. 34. Aurel. Prudent. lib. 1. Cathemerinon. S. Iſido. in regul. monachor. cap. de officio. Concil. Toletanum primum cap. 9.

Hæc vero hora dicitur Epilychnis apud B. Clementem lib. 8. Conſtit. Apoſtolica. cap. 36. & ſeq. & c. 34. quæ lucernaris eſt, vt ibid. adnot. Fran. Turria.

Porro in hoc lucernario dicebatur Pſalmus vnus, Reſponſorium vnum, Antiphonæ tres, Lectiones tres, vt reg. 2. teſtatur S. Auguſtinus. agit vero fuſius de huiuſmodi lucernario Marcell. Francoli. vir eruditus de temp. horar. canonica. cap. 17. nu. 8. & ſeq.

c Hieronym. ad Ruſticum.] *Idem epiſt. 26. tom. 1. de virginib. in monaſterio B. Paulæ.*

An aliqui Religioſi eximantur ab opere manuum. Cap. XXV.

Retrac. lib. 2. cap. 21.



Empore Auguſtini cum in Africa cœpiſſent eſſe multa monaſteria monachorum, magna inter eos quæſtio fuit exorta; quibuſdam dicentibus, quod proprijs manibus operari oportebat, iuxta verbum Apoſtoli dicentis: *Si quis non vult laborare, non manducet.* Alij vero econtrario dicebant, quod ipſi non deberent manibus laborare, adducentes pro ſe verbum Euangelij, vbi dicitur: *Reſpicite volatilia cæli, &c.* & iterum: *Reſpicite*

2. Theſſa. 3

Matth. 6.

lilia agri, quia non laborant, neque nent, verbum autem Apoſtoli præallegatum dicebant eſſe ſpiritualiter intelligendum de manducatione verbi Dei & opere prædicationis, vel impletionis: Quid enim, (inquiunt) prodeſt mãducare, ideſt, verbo Dei paſci, & non inde operari ad aliorum ædificationem? & in tantum augebatur iſta contentio, vt ex hoc fere tota Eccleſia turbaretur. Alijs defendentibus iſtos, Alijs illos. Quapropter Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus rogauit Auguſtinum, vt ſuper hoc aliquid ſcriberet, & inſtrueret tam ipſos monachos, quàm alios. Auguſtinus ergo de hoc vnum librum compoſuit, quem De opere monachorum vocauit, in quo oſtendit, quod certis horis, & temporibus eſt orationi inſiſtendum, & quod aliquibus horis eſt manibus operandum, oſtendens ibi, quantæ neceſſitatis, & vtilitatis ſit proprijs manibus laborare. Elidit etiam motiua aliorum, quia Dominus per illa verba, & ſimilia in Euangelio non prohibuit laborem, ſed ſolicitudinem inordinatam. Non enim dixit: Nolite laborare, ſed dixit: *Nolite ſoliciti eſſe, &c.* Oſtendit etiã expreſſe ex alijs Epiſtolis, & verbis, Apoſtolum intendiſſe de labore, & manducatione corporali, prout etiam corporaliter ſeruauit. Conſiderandum autem, quod cum Religioſi [a] dicantur a religando, poſſunt Religioſi accipi dupliciter. Vno modo, vt dicantur Religioſi, qui ſe religauerũt Deo obligationẽ priuata, ſicut fuerunt antiquitus aliqui monachi; & ſicut nunc ſunt Beccardi, vel [b] Lulardi, & conſimiles, qui nullam Religionis Regulam profitentur, ſed talem modum viuendi ſibi ad libitum aſſumunt. Alio modo dicuntur Religioſi, qui ſe obligauerunt Religione perpetua, & ſolenni alicuius Regulæ approbatę, & iſti habent ſtatum Religionis: ſecus illi. ſtatus enim quandam immobilitatem importat; vnde dicitur ſtatus a ſtando. Illi ergo, qui ordinantur ad Religionem cum hac duplici conditione, videlicet cũ obligatione perpetua, & cum ſolennitate profeſſionis, proprie dicuntur eſſe in ſtatu [c] religionis, & vbi alterũ deeſt, ibi eſt quis Religioſus, ita quod non eſt in ſtatu Religionis. De primis cum vt plurimum ſint laici, certum eſt, quod nullatenus eximuntur ab opere manuum, nec eſt conceſſum talibus, quod viuant de eleemoſynis, ſecundum quod expreſſe dterminat Auguſtinus in lib. De opere monachorum, non enim conceditur laicis viuere de eleemoſynis, niſi in quatuor caſibus.

Quare B. Auguſtinus ediderit librũ De opere monachorum.

Religioſi vnde dicti.

Religioſi qui proprie.

Primus quando ſunt pauperes inualidi, [d] & infirmi.

Secundus, ſi operentur manibus, & opus non ſufficeret ad ſuſtentationem vitæ.

Tertius, ſi ex caſu quis deueniret ad nimiam paupertatem, qui neſciret operari; nec vti aliqua arte.

Laicis conceditur viuere ex eleemoſynis in quatuor caſibus.

Quartus, si distribuisset omnia bona sua in vsus pauperum, & non haberet aliũde, vnde viuere posset. Sed vbi isti casus non fuerint, & nõ habent possessiones, vel redditus, tenentur manibus operari, & viuere de aliqua arte licita, quia totum intelligitur sub opere manuum. De ijs autem Religiosis, qui habent statum Religionis, distinguendũ est. Quia quidam pręcise habent statum Religionis absque quod habeant aliquod officium statui eorum annexum, quales fuerunt primi Religiosi, qui vt plurimum esse potuerunt laici, & conuersi, & tales non eximuntur ab opere manuũ, nec conceditur eis viuere de eleemosynis, vt dictum est. & de talibus ait beatus Hieronymus: *Ægyptiorum monasteria hunc tenent morem*, vt supra proximo capitulo. Alij vero vltra statum Religionis habent aliquod officium annexum; & isti distinguuntur, quia quidam habent officia pertinentia ad vitam pure actiuam, quæ est circa opera exteriora, & corporalia, quorum quidam instituti sunt ad tenendum hospitalitatem, & seruiunt pauperibus, & peregrinis; Quidam vero instituti ad insistendum militiæ pro defensione fidelium: Quidam ad redimendum captiuos; quæ omnia possent dici opera manuũ, ad quæ prædicti omnes tenentur, quilibet suo modo. Alij autem Religiosi habentes officia pertinentia ad vitam contemplatiuam, sicut illi, qui continue insistunt diuino officio, & seruiunt altari: quorum etiam aliqui, vltra hoc, vacant studio sacræ Scripturæ, & doctrinæ, ac publicæ prædicationi verbi Dei. Et hi inquantum huiusmodi omnino non tenentur manibus laborare, & possunt licite de eleemosynis viuere, siue mobilibus, siue immobilibus, dum tamen aliàs sit eis licitum bona immobilia possidere: Inquantum huiusmodi, signanter dixi, hoc est inquantum exercent actus illos, ad quos sunt ex officio instituti, qui sunt docere, & publice prædicare; altari deseruire: & stustio sacræ scripturæ insistere. De prædicantibus, & ministris altaris dicit beatus Augustinus in libro De opere monachorum: *Si Euangelistæ sunt, fateor, habent potestatem viuendi de sumptibus fidelium: si ministri altaris: si dispensatores sacramentorum, bene sibi non arrogant, sed plene vendicant potestatem. & hoc ideo, quia sacramentum altaris vbicunque agitur, commune est toti populo fidelium*. De insistentibus vero studio, dicit beatus Hieronymus contra Vigilantium; *Hæc* (inquit) *in Iudæa vsque hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & patrem in terra non habent nisi solum Deum, totius orbis foueantur ministerijs.* Hęc Hieronymus. immo non solum hęc consuetudo fuit in Iudæa, sed etiam in Ægypto, & in Græcia, vbi gens sacerdotum, quæ ad inuestigandum scientias speculatiuas primo vacare dimissa est, de publico alimoniam recipiebat. vt patet 2. Meta-

To. 1. Epistola 4.

De opere Monachor. c. 21.

Epist. 53.

Metaphyſ.& Geneſis 47.& ponitur extra De immunit. Eccl. Non minus. Et intelligenda ſunt verba Auguſtini prædicta de illis, quibus ex officio incumbat altari deſeruire, non de ijs, qui ſe dicunt orationibus vacare, vel pſalmos decantare. Item intelligenda ſunt de illis, qui generaliter habent & publice docere, & verbum Dei prædicare. Ex officio eis per ſedem Apoſtolicam, vel Diœceſanos conceſſo; non autem de ijs qui in ſuis Oratorijs, vel cappellis, vel alijs locis priuatis poſſunt verba Scripturæ recitare, vel declarare. Item verbum Hieronymi eſt de illis, qui inſiſtunt ſtudio ſacræ Scripturæ, & pro communi vtilitate totius Eccleſiæ; non autem de ijs, qui interdum pro ſua deuotione, vel eruditione aliquid de ſcripturis legũt. Sed continuo ſtudio (vt dictum eſt) non inſiſtunt, & ſic intelligenda fore prædicta per Auguſtinum in De opere monachorum, vbi ſic dicit: *Quid agant doctores, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent ſcire deſidero; Orationibus inquiunt, & pſalmis, & lectionibus, & verbo Dei, ſancta plane vita, & in Chriſti ſuauitate laudabilis, ſed ſi ab ijs auocandi non ſumus, nec manducandum erit, nec ipſæ. eſcæ quotidie præparandæ. Si aliquid ad iſta vacare ſeruus Dei certis interuallis temporis ipſius infirmitatis cogit neceſſitas, cur non & præceptis Apoſtolicis obſeruandis aliquas partes temporis deputamus? Citius enim exauditur vna obedientis oratio, quàm decemmillia contemptorum. Cantica vero diuina cantare etiam manibus laborantes facile poſſunt, & ipſum laborem tanquam diuino celeumate conſolari. An ignoramus omnes opifices quibus vanitatibus, & plerunque turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda, & linguas, cum manus ab opere non recedant. Quid ergo impedit ſeruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari die ac nocte, & pſallere nomini Domini altiſſimi? ita ſane vt ad ea diſcenda, quæ memoriter non recolit, habeat ſepoſita tempora.* Et ſubdit: *Qui autem ſe dicunt vacare lectioni, nonne illic inuenient, quod dicit Apoſtolus? Quæ eſt ergo iſta peruerſitas lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & vt quod bonum eſt diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur; & tunc ſubdit de predicatione. Si* (inquit) *Sermo alicui erogandus eſt, & ita occupatur, vt manibus operari non vacet, numquid hoc omnes in monaſterio poſſunt? Cum ergo non omnes poſſint, cur ſub hoc obtentu omnes vacare volunt, quamquam & ſi omnes poſſent, viciſſim facere deberent, non ſolum vt cæteri neceſſarijs operibus occupantur; ſed etiam, quia ſufficit, vt audientibus pluribus unus loquatur. Deinde ipſi Apoſtolo quo uacaret manibus ſuis operari, niſi ad erogandum uerbum Dei certa tempora conſtituerat.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus apparet qui ſint illi Religioſi, quibus licitum eſt viuere de eleemoſynis fidelium, nec per hac tenentur manibus labore; Inquantum ſcilicet

Lib. 1. Metaph. c. 1.

De opere Monachor. cap. 17.

ſunt prædictis actibus implicati. Verum quia non omnes Fratres eiuſdem monaſterij talibus actibus inſiſtunt, aut ſaltem non continue eis actibus incumbunt, immo etiam plures eorum talibus actibus inſiſtere aut neſciunt, aut non poſſunt, tales vtique ab opere manuum nullo modo eximuntur ſecundum intentionem beati Auguſtini, vt patet ex verbis immediate præmiſſis; *Nunquid*, ait, *hoc omnes in monaſterio poſſunt?* Item & parum ante: *Cur non & præceptis Apoſtolicis obſeruandis aliquas partes temporis deputamus?* &c. Quamuis† quædam tales perſonæ eximantur quantum ad ſtatum, & officium ſui Ordinis; non tamen quantum ad actum, ſcilicet perſonarum, quæ ab illis vacant, quare manibus operari tenentur ad præceptum maioris. Nimirum cum ipſe præceptor noſter Auguſtinus, qui tamen ex officio Pontificali de ſumptibus Eccleſiæ viuere habuit, & propter ſollicitudines innumeras Eccleſiarum ab opere manuali exemptus fuit, præoptauerit ſuis manibus operari. Vnde ipſe in eodem libro De opere monachorum ſic ait: *Quamquam dicere poſſemus: Quis militat ſuis ſtipendijs vmquam? Quis plantat vineam, et de fructibus eius non edit? Quis paſcit gregem, et de lacte eius non percipiet? tamen Dominum Ieſum, in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniam, quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moratis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, et cæteras horas habere ad legendum, et orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negocijs ſcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præſcindendis, quibus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus, non vtique, ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur arbitrio.* Hæc Auguſtinus. Et vt ſit ad vnum dicere, ſecundum intentionem Auguſtini in De opere monachorum. Nemo eximitur a præcepto Apoſtoli de opere manuum, niſi ſucceſſores Apoſtolorum, aut eorum imitatores. Succeſſores Apoſtolorum ſunt Epiſcopi, & vt patet diſt. 21. In nouo teſtamento; qui propter curam paſtoralis officij viuunt de bonis Eccleſiarum ſuarum, & ab opere manuum eximuntur. Imitatores autem ipſorum Apoſtolorum ſunt, qui auctoritate Apoſtolica, vel Epiſcoporum inſtituti ſunt ad prædicandum publice, & generaliter verbum Dei. Vnde ſicut Apoſtoli ex ordinatione Dei habebant poteſtatem viuendi de Euangelio; *Manducate* (inquit) *quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua*, ſic & iſti Euangelizantes eadem patiuntur poteſtate, qua tamen poteſtate Paulus vſus non eſt propter euitandam ſuſpicionem gentium, ne ſcilicet videretur venditor Euangelij. Sunt etiam alij imitatores Apoſtolorum, qui

[Margin: † aliter. quidem. — Cap. 29. — 1. Cor. 9.]

qui omnia sua pauperibus erogauerunt, & sequuti sunt Dominum intrando Religionem, quales etiam viuere possunt de eleemosynis fidelium secundum Augustinum. *Si tamen & ipsi aliquid manibus operantur, multo misericordius agunt, quàm quod omnia sua indigentibus † dimiserunt, quos quidam si nolunt, quis audeat cogere? Quibus tamen inuenienda sunt opera in monasterio, etiam si corporali † sustentatione liberiora, sed vigilanti administratione curanda, vt nec ipsi panem suum, quoniam communis factus est, gratis manducent.* Hæc Augustinus. & si hoc dicit de diuitibus, qui ex moribus delicatioribus venerunt ad monasterium, quanto magis in illis, qui, vt dicit Augustinus ibidem; ex vita rusticana, & ex opificum exercitatione ex plebeo labore venerunt. seruetur verbum Apostoli: *si quis non vult laborare, non manducet.* Si quis ergo vult manducare, debet laborare, immo proportionaliter, si quis vult plus alijs manducare, debet & plus laborare: Ita secundum mensuram comestionis metienda est quantitas laboris. & hoc est secundum Regulam Beati Pachomij, quam ei Angelus detulit. legitur enim in vita Beati Pachomij, quod quadam vice eo perdurante diutius in oratione, vox ad eum cœlitus est delata dicens: Venturi sunt ad te quam plurimi tua cupientes institutione proficere; quibus ducatum præstabis iuxta Regulam, quam tibi monstrauero: & protinus apparuit Angelus Domini deferens ei tabulam, in qua erat forma institutionis inscripta, qua docendi forent quicunque ad eius monasterium peruenissent. In qua quidem tabula, hæc inter cætera erant annotata: *Singulis iuxta vires suas edere concedas & bibere: & pro modo uescentium laborare compellas; et neque comedere moleste, nec ieiunare prohibebis; ualidioribus quidem, et comedentibus opera ualidiora; leuiora uero infirmioribus, et abstinentibus imponas.* Hæc ibi.

De opere monachor. cap. 25.
† diuiserūt.
† fūnctione.
2. Thess. 3.

In Vitaspatrum dicitur quod quidam Frater venit ad Abbatem Siluanum in monte Sina, & vidit Fratres manibus laborare: & dixit eis. Quare operamini escam, quæ perit: Maria optimam partem elegit. Tunc Senex dixit discipulo suo, da ei codicem vt legat, & mitte illum in cella, in qua nihil est. Hora autem nona circumspiciebat viam Frater ille, si forte vocaret eū Senex ad comedendum. Post quam vero transijt hora nona venit ad senem, & dixit ei: Numquid hodie Abba non comederunt Fratres? cumq; senex fateretur, ait ille: quare me nō vocastis? Tunc senex ad eū: Tu homo spiritualis es, & nō necesse habes esca: nos autē tamquā carnales opus habemus comedere, ideo operamur. Tu autē bonā partē elegisti, legis omni die, et non vis carnalem escam accipere. Quod cum audisset, cœpit pœnitere, & dicere. Indulge mihi Abba. Tunc respondit Siluanus: ergo necessaria

Vit. Pat. p. 2. De discretione. De abbate Siluano.
Luc. 10.

ſaria eſt Martha Mariæ, propter截ƒ Martham enim & Maria laudatur.

Vit. Pat. par. 2. §. 52. Exemplum Ioã. Eremitæ et Fratris eius. Item, erant duo Fratres in eremo, quorum vnus nomine Ioannes dicebat Fratri ſuo maiori: Vellem ſecurus eſſe ſicut Angeli ſecuri ſunt, nihil operantes, ſed Deum ſemper tantummodo collaudantes, & proiecto pallio ſuo egreſſus eſt in Eremum, factaque ibi ſeptimana, regreſſus eſt ad Fratrem ſuum: cùm autem pulſaret ad oſtium, nó aperuit illi frater dicens: Tu quis es? At ille dixit: Ego ſum Ioannes: Reſpondens autem frater eius dixit: Non credo tibi, quia Ioannes factus eſt Angelus. Ille autem rogabat eum dicens: Ego ſum, & noluit ei oſtium aperire donec luceſceret. Mane autem facto dixit ad eum: Si homo es, neceſſe habes operari, vt paſcaris. Tunc ille proiecit ſe ad pedes eius, & dixit Indulge mihi Abba.

Parte. 2. §. 199. De Lucio Abbate. 1. Theſſ. 5. Item, ibidem de Abbate Lucio, ad quem cum quidam Fratres veniſſent, interrogauit eos dicens: Quam ſolliciti eſtis manibus laborare? At illi dixerunt: Nos nihil manibus operamur, ſed, quod dicit Apoſtolus, ſine ceſſatione oramus. Quibus Senex dixit: Non manducatis? At illi conticuerunt. Et iterum requiſiuit eos dicens: Non dormitis? cum dicerent, quod ſic, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis; & non inuenerunt quid reſponderent illi. Tunc dicit illis: Indulgete mihi, quia non facitis ſicut dicitis, ego autem dico vobis quemadmodum manibus meis operans, ſine ceſſatione oro: Sedeo enim de mane vſque ad horam conſuetam, & pauca palmarum folia infundo, & facio inde funiculos, & iterum oro dicens:

Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam:* Cumque compleuero opera manuum mearum, & fecero aliqua vaſa, & paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem: ex ipſis nummis duos do pauperibus, & reliquum comedo, cum autem comedo, aut dormio, tunc illi pro peccatis meis ſine ceſſatione implent orationem meam.

AD CAP. XXV. NOTÆ.

a Religioſi a religando.] *Religionis nomen Cic. lib. 2. de nat. Deo. a relegendo ea, quæ ad Deorum cultum pertinent, dici eſt arbitratus. Lactantius vero lib. 4 a religando dictam putat, quod per eam Deo religemur & aſtringamur Hanc probat S. Auguſti. lib. de vera religio. Gaieta. ad S. Tho. 2. 2. q 81. ar. 1. Sot. de iuſti & iu lib. 7. q. 2 ar. 1. ad 1. argumentum.*

b Lollardi.] *Hi hæretici fuerunt, in Anglia orti circa annum Domini 1360 temporib. Caroli 4. Imp. & Innocentij ſexti Summi Pont. vt docet*

cet Gabriel Prateol. lib de vit. & sect. hæretico.

c In statu religionis.] *De religione, illiusq. statu, & ui fusius agit S. Tho. 2. 2 q. 186. & duab. seqq.*

d Et infirmi.] *De his habetur in l. vni. C. de mendicant. valid. lib. 11.*

e Ægypto.] *Sacerdotib. Aegyptijs de pub. ministrabantur cibaria Genes. c. 47. Ioseph. lib. 2. antiq. Iudai c. 4. Marsil. Archiep. Salernit. de Ecclesiast. redd. orig. c. 1. nu. 3.*

f Eximuntur.] *Est locus apud S. Cypria. lib. 5. Epist. 12. qua aliquot Presbyteri & Diaconi illi gratias agunt, quod eis sumptus necessarios de suis iustis laborib. præbuisset. an autem intelligatur de opere manuum, non affirmo.*

Cæterum de operib. manu exercendis multa habes exempla apud Eborensem hoc ipso tit, tom. 2.

De operibus Fratribus sancti Augustini accomodis. Cap. XXVI.



Vaæ autem opera Fratribus Sancti Augustini sint accommoda perspiciendum est. Et quidem secundum statum modernum certum est Ordinem principaliter super opera spiritualia, quæ ad vitã contemplatiuam pertinent, fore fundatum. Quæ sunt hæc, Officia diuina decantare: Altari deseruire: Orare; psallere: lectioni, seu studio sacræ Scripturæ insistere: docere: verbum Dei prædicare: fidelium confessiones audire; animarum salutem verbo, & exemplo procurare. Et quod super talibus Ordo sit fundatus claret tam ex priuilegijs a sede Apostolica Ordini collatis, quã ex vniuersali obseruantia in Dei Ecclesia per Romanam Ecclesiam auctorizata. ex quibus profecto operibus competit eis ius viuendi de sumptibus communibus fidelium, siue de eleemosynis, vt dictum est. Porro quia non omnes hæc possunt, nec sciunt, & qui possunt, & sciũt non semper hæc faciunt, vt dicit Augustinus vbi supra; sunt & alia opera ad vitam actiuam pertinentia, quibus etiam Fratribus pro tempore conuenit occupari secundum mãdatum Superioris, scilicet, ire ad quæstam, & circuncursare pro eleemosynis, ac pro alijs negocijs, & necessitatibus, seu vtilitatibus monasterij agendis, & procurandis, quæ foris conuentum exercentur. In conuentu condecet etiam Fratres communibus obedientijs explendis insistere, tam illis, quibus sunt certa officia imposita, vt sunt sacrista, aromatarius, procurator, cellerarius, coquinarius, infirmarius, portarius, & cęteri quibuscũq; funguntur officijs, quibus omnibus præcipit Augustinus in Regula: vt sine

Opera spiritualia.

vt ſine murmure ſeruiant Fratribus ſuis: Nec etiam talia ſine manuali operatione geruntur. Quare tales officiales bene in officijs ſuis miniſtrantes, manibus operari cenſetur, tam alios, quibus a ſuperiore aliqua certa obedientia pro tempore iniungitur, qui omnes panem ſuum gratis manducare minime reputantur ſecundum B. Auguſtini, vbi ſupra. Sunt præterea & alia opera manualia, quibus monaſterio non inutiliter deſeruitur ſecundum diuerſitatem artium mechanicarum, in quibus perſonæ ſunt ſingulæ dotatæ, verbi gratia, latomi, ſeu lapicidæ, fabri lignarij, ſeu carpentarij, calcifices, lanifices: ſartores: veſtium conſutores, piſtores, braxatores, vinitores, hortorum cultores, ceteri parabolani vel medici, vel iuriſperiti. Item ſcriptores, & librorum ligatores, & ſi qui alij ſunt diuerſorum operum artifices. De his & ſimilibus operibus loquitur Hieronymus ad Ruſticum monachum, vt habetur De conſecratione Diſt. 5. Numquam. *Numquam* (inquit) *de manu, aut oculis tuis liber recedat: pſalterium diſcatur ad verbum, oratio ſine intermiſſione.* & infra: *Fac aliquid operis, vt te ſemper diabolus inueniat occupatum.* & infra: *Vel fiſcellam texe iunco, uel caniſtrum lentis plecte uiminibus, ſarriatur humus: areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iacta fuerint ſemina, uel plantæ per ordinem poſitæ, aquæ ducantur irriguæ.* & infra: *Inſerantur infructuoſæ arbores uel gemmis, uel ſurculis, ut paruo poſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Texantur & lina capiendis piſcibus, ſcribantur libri, ut & manus operetur cibos, & anima ſaturetur lectione.* Prædicti autem operarij omnes, ſeu opifices alij ſinguli de talento eis tradito tenentur Fratribus alijs, ſiue conuentibus ſeruire gratis ſecundum priorum ſuorum mandatum: Ita quod nulli liceat abſque ſuperioris ſui licentia vel ſibi ipſi, vel foris alicui aliquid operari: & ſi vlli ex Fratribus alicui in Ordine libros ſcribere, vel aliquid operari conceſſum fuerit vnde pretium aliquod, vel emolumentum percipiat, id debeat in ſuis, & aliorum neceſſitatibus ſecundum Prioris ſuis arbitrium diſpenſari: Extra Ordinem quidem nulli liceat alicui aliquid operari omnino pro pretio, ſeu ab aliquo extraneo pretium accipere, vt in Conſtit. Ordinis 2. cap. continetur. & hoc eſt, quod idem pater dicit in Regula: *Ita ſane ut nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera ueſtra in unum fiant maiori ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi uobis ſingulis propria faceretis.* Vnde etiam Auguſtinus in lib. De opere monachorum ſic ait: *Si huius terrenæ reipublicæ antiqui principes litteratorum ſuorum eloquio prædicari ſolent, quod rem communem uniuerſi populi ſuæ ciuitatis priuatis ſuis rebus ſic anteponebant, ut quidam eorum Africæ triumphator quid nubenti filiæ daret domi non habuit, niſi ex Senatus conſulto de publico dotaretur, quo*

Cetorum pabolani cetorũ pabulam.

Epiſtola 4.


De opere monachor. cap. 25.

animo esse debet in rempublicam ciuis illius æternæ illius ciuitatis Hierusalem cælestis, nisi vt idipsum quod propriis manibus elaborat, sit in commune cum fratre, & si quid ei defuerit de communi suppleat, dicens cum illo, cuius præceptum exemplumq; sequutus est, scilicet in operãdo manibus quasi nihil habentes, & omnia possidentes. 2. Cor. 6.

AD CAP. XXVI. NOTÆ.

a Ceterum perbolani. *An ceteri perbolani.*] *Legendu est* Parabolani: *sunt autem hi, qui ad curanda debilium corpora deputantur, l. parabolani. C. de Epis. & cleri. nomen confictum, vt quidam putant ex eo, quòd se audacter dericulis omnibus offerrēt, neq; vllius, quamuis pestiferi morbi contagionem timerent. Nam, παράβολα, dicuntur a Grecis, quæ summis periculis obiecta, sunt, licet aliquantum diuersa ab his doceat And. Alciatus. lib 4. dispunctio. c. 9.*

De occiositate fugienda. Cap. XXVII.



AD huiusmodi autem opera monasterij sollicite facienda idē pater Augustinus in sermone De ociositate fugienda ad Fratres Eremitas, qui incipit: *Apostolus Petrus nos admonet*, dicit: *Eya fratres mei diletissimi gaudium meum, & corona mea, quod estis vos; omnem ociositatem expellite, semper aliquid boni facite, & quem tędet orare, & psallere, manibus operari non differat, cogitantes, quod quandiu Dauid exercitauit se in militia, non insultauit sibi luxuria. Sed postquam otiosus in domo remansit, laborauit adulterio, & homicidium commisit. Sanson dum cum Philistæis pugnauit, non potuit capi ab hostibus. Salomon cum occupatus fuit in ædificatione templi non sensit luxuriam, sed recedens ab opere, mox persensit insultum luxurię & fœmina inigstante idola adorauit;* & subdit: *O fratres mei, honesto vos opere occupatos esse desidero, et quod perdidistis in seculo per præteritum, recuperetis laborando in Eremo in futurum.* Plura ibidem dicit de hac materia, & ponit exemplū de beato Antonio, & habes supra libro 1. cap. 11. Operentur ergo Fratres, vnusquisque prout cuique donum scientiæ suæ artis Deus dedit, ne de talento neglecto cum seruo pigro in tremendo iudicio condemnetur, vt sic eos diabolus semper inueniat occupatos, nō enim facile capitur a diabolo, qui bono vacat exercitio, vt ait beatus Hieronymus. Exemplum de magistro Henrico de Vrimaria, qui numquam consueuit vacare a bono opere; nam præter naturales necessarias morulas, aut orauit, aut studuit, aut

Ser. 17. ad Fratres.

2. Reg. 11. Iud. 6. 3. Reg. 2.

To. 1. Epistola. 4.

De Magistro Henrico de Vrimaria.

aut scripsit, aut alios exhortabatur, aut communi Ordinis, vel conuē-tus vtilitati, aut personarum saluti intentus erat, immo etiam in alijs ocium quamplurimum detestabatur; illos maxime reprehendens & in prædicationibus publicis, & in priuatis exhortationibus, qui, vt dicitur in prouerbio, tempus deducere, vel decurtare volebant memor verborum beati Bernardi in sermone ad scholares, qui ait: *Nemo vestrum parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis: volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile; nec aduertit insipiens quid amittat donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pænitentiam, & ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulsit.* & subdit: *Nil pretiosius tempore: et, heu, nil hodie vilius inuenitur; transeunt dies salutis, et nemo recogitat, nemo sibi diem perire, et nunquam rediturum curat, sed et sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore.* Hęc Bernardus. Exē-plū ad hoc supra cap. 22. *Dum ergo tempus habemus, operemur bonum,*

Epist. 8. vt ait Apostolus ad Gal. 6. Vnde Hierony. ad Demetriadē: *Pręter horas constitutas statue tibi quibus horis sacram Scripturam legas, non ad laborem, sed ad delectationem; et animæ instructionem. Cum hæc finieris spatia, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, et numeratis uarijs operibus muliebribus,* subdit: *si tantis operum uarietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt, sed quamuis æstiuis tendantur solibus, breues uidebuntur, in quibus aliquid operis prætermissum non est. Hæc obseruans, et teipsam saluabis, et alias, et eris magistra sanctæ conuersationis, multarumque castitatum tuum lucrum facies,*

Prou. 28. *scriptura dicente: In desiderijs est omnis ociosus.* Hæc Hieronymus. Legitur in miraculis, quod quidam vir sanctus audiuit cum esset in oratione quandam vocem miserabiliter lacrymantem, & cum quæreret, quis esset, dixit, quod erat anima damnata suam plangens damnationem, addens quod inter omnia, quæ plangeret, esset amissio temporis sibi a Deo dati, in cuius morula potuisset fecisse pœnitentiam, qua liberata fuisset a pœnis inferni. Si autem scire volueris quod verbum dicatur ociosum, audi beatum Hieronymum super Matthæum;

In Matth. cap. 12. *Ociosum* (inquit) *verbum est, quod sine vtilitate & loquentis, & audientis dicitur; si omissis serijs de rebus friuolis loquamur, et fabulas narremus antiquas: Cæterū qui scurrilia replicat, & cachinis ora dissoluit, et aliquid profert turpitudinis, hic nō otiosi verbi, sed criminosi, tenebitur reus.* Hęc ille.

Legitur de quodam Fratre sancto, cui Deus reuelauit multa secreta, quod aliquando Fratribus consedentibus, & conferentibus, quando conferebant de sanctis scripturis, & salutaribus rebus, etiam vidit stare circa eos, sanctos Angelos lætantes. Cum autem otiosa verba loquerentur, tunc sancti Angeli indignantes recedebant, & veniebant

porci

porci sordidissimi, & morbo pleni, & volutabant se inter eos, dæmones in specie porcorum delectabantur in uaniloquio eorum.

Scribitur in miraculis, quod diabolus scribebat in Ecclesia verba otiosa, quæ ibi dicebantur, & cum non sufficeret schedula, in qua scribebat, cœpit eam dentibus, & manibus & dilatare, & vt eam fortiter traheret, percussit caput suum ad murum; quod videns quidam vir sanctus, quæsiuit ab eo quid faceret. & ille narrauit supradicta. Vt autem Religiosus quilibet quam otiosus, operosusue sit agnoscat, secundum exhortationem beati Bernardi in speculo suo, singulis diebus in sero antequam lectum intraret, vel etiam in lecto, capitulum sibi tenebit, discutiens qualiter diem illam expenderit: & conuocatis cogitationibus suis ponat cum eis rationem, diligenter recogitans quid in ipso die cogitatione, loquutione, vel opere deliquerit publice, vel priuatim. & sic per singulas noctes lectum suum .i. conscientiam suam lauet lacrymis compunctionis. In sequenti capitulo de apertis publice, de occultis vero in secreto confessionem facturus, & si quæ bona fecit illa die, talia non sibi ascribat, sed Deo, cuius sunt, cum laude, & gratiarum actione ea offerat, & repræsentet.

AD CAP. XXVII. NOTÆ.

a Verbum otiosum.] *Explicat id etiam præclare S. Grego. lib. 7. moral. c. 24. et 25. Porro de S. Io. Chrysosto. legitur, quòd numquam locutus fuerit uerbum otiosum, ut habetur in Prato spirituali c. 191.*

De castitate, & pudicitia Fratrum. Cap. XXVIII.



AD vnionem etiam animæ, de qua supra dixi cap. 1. & 14. castitas pertinere dignoscitur. Castitas enim hominem a carne abstrahit, & animam Deo coniũgit. Vnde ait Sanctus Augustinus in libro De beata vita, quod *ille est castus, qui diuina attendit, et ad ipsum Deum solum se tenet*. Inde est quod animæ castæ, quæ Deo sunt coniunctæ, ita inuicem glutinantur per amorem diuinum, ut sit eis quasi anima vna in Deo. econtra, incontinentiæ hominem totum carni immergit, & animam a Deo, immo a seipso etiam disiungit, vnde incontinentium hominum corpora ita per amorem carnalem conglutinantur, vt per copulam vna caro efficiantur, iuxta illud: *Erunt duo in carne una*. Rursus, sicut obedientia est virtus cohibitiua appetitus superioris, scilicet voluntatis; qui per cor intelligitur, vt supra

To. 1. in disput. 2. dici.

Matth. 19.

de Democritus eruit sibi oculos, eo quod mulieres sine concupiscentia videre non poterat, vt dicit Tertullianus.

Narratur in Vitaspatrum, quod Didymus erat vir eruditissimus, sed cæcus, a quo cum interrogaret beatus Antonius, an tristaretur de eo quod oculis carnis careret, & ille fateretur. dixit Antonius: Miror prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & pulices habent; & non potius lætari illius possessione, quam soli sancti, & Apostoli meruerunt. multo enim melius est spiritu videre, quàm carne; & illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quàm illos, qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere. pa. 2. §. 105 De Didym. doctiss. viro sed cæco. De S. Antonio.

Legitur quod Petrus abbas Clarauallensis cum ex morbi violentia vnum oculum amisisset, factus monoculus, quasi iocando postea dicere solebat: vnum se de inimicis euasisse; & plus se a residuo, quàm a perdito formidare. De Petro abbate claraualleñ.

Sciens ergo beatus pater Augustinus vt dicit Vgo, quia per exteriorem virum interior corrumpitur animus, prohibet nos fixe aspicere, quod non licet appetere. Exemplum in Dauid sanctissimo, qui quia in fœminam oculos non solum iniecit, sed etiam fixit illicito appetitu deuictus adulterium & homicidium perpetrauit. Si ergo tantus vir per incuriam oculorum cecidit, nos, qui longe ab eius sanctitate distamus, quid de nobis præsumere valemus? Concupiscentia quippe, quæ carni nostræ naturaliter est insita per visum vel per cogitationes, vel etiam per immissiones per Angelos malos aduersus spiritum facile incitatur, & nisi mens assistente diuina gratia fortiter reluctetur, carnis impetu obruitur, & superatur. Ad hanc luctam siue pugnam hortatur nos Dominus in Euangelio Matth. 19 Cum enim dixit: Super Reg. c. 6. ver. Vnde Dominus. 2. Reg. 11.

Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, statim subdit: *Qui potest capere, capiat*. Super quo Hieronymus: *Hæc hortantis Domini vox est, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitans, quasi diceret: Qui potest pugnare, pugnet, et superet, ac triumphet*. Porro ab hac pugna de lege communi nemo eximitur, dicente Hieronymo ad Eustochium. Et ponitur. 32. quæstio. 5. *Si Paulus Apostolus vas electionis separatus in Euangelium Christi ob carnis aculeos, et incentiua vitiorum reprimit corpus suum: et seruituti subijcit, ne forte alijs prædicans ipse reprobus inueniatur, et cum vidit aliam legem in membris, repugnantem legi mentis suæ, et captiuantem se in lege peccati. Si post nuditatem, ieiunia, famem*, carceres, & flagella, & supplicia clamat. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore* B. Hieron. in Matt. c. 19. 1. Cor. 9. Ro. 7.

mortis huius, tu te reputas securum esse debere. Caue quæso, nequando de te dicat Deus: Virgo Israel occidit, non est qui suscitet eam. Hæc Hieronymus.

AD CAP. XXVIII. NOTÆ.

a Cap. 3.] *Est ita corruptus hic locus in exemplarib. vt reperiri non possit locus hic apud Aristot. vel alium auctorem.*


b Dicente Chrysostomo.] *In c. 5. Matth. homil. 17. idem homil. 22. in Genes.*

Porrò quod attinet ad hoc & sequentia capita de castitate custodienda, & conseruanda, videndi sunt S. Cyprianus de discipli. & habitu virginum, & lib. de singularita. clerico. S. Hieronym. epist. 22. tom. 1. & aduersus Iouinia. lib. 2. S. Basil. lib de Virginitate & in const. monast. c. 4. S. Io. Chrysostom. in Psal. 50. ad fi. S. Gregor. lib. 6. moral. cap. 16. & lib. 22. c. 1. & lib. 27. cap. 7. omnium vero luculentissime & ad praxim Io. Climacus gradu 15. de incorruptibili castitate & Io. Cassia. collat. 12. passim. Laurent. Iustinia. lib. de continentia. S. Tho. 2. 2. q. 188. & ibid. Caieta. Domin. Sot. lib. 7. de iust. & iu. q. 5. ar. 3. Micha. Medi. de continentia sacror. homi.

Exempla etiam quamplurima huc spectantia habes apud Marul. lib. 4. & apud Andr. Eborens. tom. 2. de castitate.

De vtilitate colluctationis carnis & spiritus. Cap. XXIX.

Gal. 5.



Ciendum est autem, quod hæc colluctatio carnis & spiritus, de qua ait Apostolus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, et spiritus aduersus carnem*, nobis vtiliter est inserta propter octo vtilitates, quæ exinde nobis proueniunt.

Octo vtilitates proueniũt ex colluctatione carnis aduersus spiritum. Prima. Collat. 4. c. 15. & 16. Collat. 4. c. 17 & Collat. 12. c. 5.

Prima est secundum Ioannem Cassianum; quia huiusmodi stimulus negligentias nostras arguit, & vt quidã diligens pædagogus numquam permittit a disciplinæ regula deuiare; cum enim modicũ quid securitas nostra mensuram necessitatis excesserit, flagellis incentiuorum confestim nos stimulat, & increpat, & ad conuenientem reuocat parcitatem; essemus autem absque remedio, vtpote non habentes iudicem negligentiæ nostræ in corpore nostro insidentem. Et ponit Cassianus exemplum de spadonibus, qui præcipue desides sunt in virtutibus appetendis, quia corrumpendæ castitatis nullum periculum sentiunt se habere.

Legitur

Legitur in Vitaspatrum quod quidam Frater impugnabatur a spiritu fornicationis; sed auxiliante Deo resistebat pessimis, & immundis cogitationibus cordis sui viriliter: ieiunijsq; & orationibus, & opere manuum affligebat se vehementer. Quod considerans Abbas suus dixit ei: si vis o fili, deprecor Dominum, vt auferat a te istam impugnationem. Respódit ille: Video pater, quod & si laborem sustineo; sentio tamen fructum in me proficere bonum, quia per occasioné impugnationis huius, amplius in ieiunijs vigilijs & orationibus tolero. Veruntamen deprecor te, vt exores pro me misericordiam Dei, vt det mihi virtutem, quatenus possim sustinere, & certare legitime. Tunc senior dixit: Ecce nunc cognoui fili, quod fideliter intelligis hoc, quod spirituale certamen per patientiam ad salutem animę tuæ proficiat. Vnde Apostolus: Bonum certamen certaui, &c. — Par. 1. 5. — 2. Timot. 4.

Secunda est secundum eundem, Quia superbiam nostram deprimit. Nam cum quis longo tempore nullis incentiuis carnalibus impugnatur, & ex hoc, & alijs spiritualibus profectibus extollitur, tunc caro suis incétiuis hominem colaphizat, ac per hoc humiliat. Exemplú in Apostolo, cui datus est stimulus carnis angelus satanę, qui eum colaphizaret, ne magnitudo reuelationum eum extolleret. Et noui Fratrem, qui pluribus annis a passione carnis tantam pacem habuerat, quod quicquid ab alijs audiuit de validis incentiuis huiusmodi passionis vix credidit, & lapsis in hanc tentationem modicam compassionem habuit, immo nonnunquam gloriatus fuit, se nescire si diabolus aliquis esset, nisi ex sacra Scriptura hoc teneretur. Vnde Deus permisit eum in tantam tentationem cadere, vt præ infestatione cogitationum, & stimuli vix posset comedere, vel dormire: Et in hac tribulatione stetit continue plusquam per annum. Sed postmodum corám Deo se humilians, & suam elationem pristinam aduertens expertus est quia verum est verbum Augustini 2. Confessionum. *Quis hominum suis viribus audeat attribuere castitatem.* Experimento etiam didicit in seipso, quia tantus æstus tentationis nullatenus in homine fieret ex solo incentiuo carnis, nisi & incitamentis, & fomentis diabolicis accenderetur, & foueretur. Et sic Frater ille tandem in corde suo humiliatus diuina auxiliante gratia liberatus fuit. Vnde Gregorius: *Cum de ipsa elatione continentiæ mens tangitur, plerunque omnipotens Deus superbiam domans, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla est enim castitas corporis, quam non commendat humilitas mentis.* Item Augustinus. *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, vt in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur.* — Secunda. Collat. 12. cap. 6. — 2. Cor. 12. — Confess. lib. 2. c. 7. — 11. Mor. cap. 8. — 6. Mor. c. 16 — Serm. 53. De ver. Domini.

Tertia est, quia ad recognitionem infirmitatis nostræ nos repel- — Tertia.

lit, vt non nostris viribus castitatem attribuere præsumamus. & coincidit quodammodo cum præcedente, nisi quia illa attenditur penes superbiam mentis, Ista vero, penes infirmitatem naturæ, absque auxilio diuinę gratiæ. sicut enim ait Ioannes Cassianus in Collationibus patrum: *Sunt quidam, quibuscum aliqua particula castitatis arriserit, continuo in conscientiæ suæ secretis, quadam elatione subtiliter illabente sibimet blandiuntur, & credentes se eam suæ diligentiæ studio assecutos, necesse est ut modicum diuino præsidio denudati, tamdiu illis passionibus, quas diuina uirtus extinxerat, opprimantur, quamdiu experientia docente cognoscant se suis uiribus bonum castitatis obtinere non posse.*

Coll. 12. c. vlti.

De Pachomio abbate

Vnde legitur de abbate Pachomio, qui quadraginta annis in cella sua in eremo sederat, & tamen duodecim annis continuis tentationē carnis patiebatur, ita quod numquam recessit ab eo. Vnde cogitans se diuino auxilio destitutum, voluit magis mori, quàm illecebris consentire. Egressus ergo cellam suam, venit ante speluncam cuiusdam feræ, ibi nudum se proiecit, vt fera veniens deuoraret eum, sed cum illa veniens a capite vsq. ad pedes eum lambuisset, cogitauit iste, quod sibi forte parceret Deus. Redijt ad cellam suam, & post modicū diabolus transfigurans se in speciem puellæ, quam aliquando ipse viderat, super genua eius sedens tantum commouit eum, vt pene se cum ea coijsse putaret. Iratus ergo vir Dei dextera sua percussit eam, & statim euanuit, sed per totum bienium fœtorē manus, qua eam percusserat, ferre non potuit. Anxius itaque adhuc per desertum perrexit, & aspidem inueniens modicam, & manu sua confricando conterens ad verenda sua apposuit, vt vel morsu illius periret. Cumque nec sic eum momordisset, hanc vocem ad se descendentem audiuit. Vade Pachomi, & desiste a sensu tuo, ob hoc enim permisit te Deus molestari, vt infirmitatem tuam recognosceres, & ad diuinum auxilium recognoscēs recurreres, & sic ad cellam suam remeans, extunc cum fiducia sedit.

Quarta.

2. Cor. 12.

Quarta est, quia ad virtutum exercitium nos incitat: Virtus enim in infirmitate perficitur, vt ait Apostolus. Nam si non esset tribulatio, vbi patientia? Si non esset timor, vbi fortitudo? si non esset ira, vbi māsuetudo? si non esset ciborū iucunditas, vbi tēperantia? sic in proposito, si nō esset inclinatio fornicationis, vel passio stimuli, vbi castitas? & sic inducēdo in omnibus virtutibus moralibus, quæ sunt circa passiones. Propter quod in lapide nō est castitas, neq. in Angelo, immo nec in spadone. & secūdū hoc quāto passio est vehemētior, tāto virtus maior & eminētior. Vnde sancti Patres aliqui de diuina gratia cōfidētes sponte admiserunt tentationes, vt ex luctamine virtus in eis magis

persi-

perficeretur. ſed hoc non eſt præſumendum ab imperfectis.

Exemplum in Vitaſpatrum. Abbas Paſtor interrogauit Abbatem Ioſeph dicens: Quid faciam quando approximant mihi aliquæ tentationes, reſiſtam illis, an permittam intrare? Reſpondit: Dimitte intrare, & pugna cum illa. Poſtea veniens ad eundem Abbatem Ioſeph alius Frater interrogauit ab eo hoc idem. An videlicet deberet tentationi reſiſtere, an permittere intrare eam? Qui reſpondit: Omnino non permittas eam intrare ad te, ſed ſtatim abſcinde eam: cum autem perueniſſet hic ſermo ad Abbatem Paſtorem, quia aliter reſpondiſſet ſenex illi Fratri, quàm ſibi, reuerſus eſt ad eum interrogans cauſam diuerſitatis ſui ſermonis. Ad quem ſenex dixit: Tibi ſicut & mihi ipſi. Si intrauerint in te tentationes, & dederis eis locum, atque acceperis eas, probatiorem te faciunt. Sunt & alij, quibus nec approximare expedit paſſiones, ſed ſtatim debent abſcindere eas. Par. 2. De diſcretione. De abbate Ioſeph.

Quinta vtilitas ſtimuli carnis eſt, quia peccata, & negligentias noſtras admiſſas in nobis punit. Datur enim plerumque in pœnam peccati, quaſi flagellum diuinæ vindictæ, ſic enim primis parentibus, & communiter nobis eſt inſertus in vindictam, videlicet culpæ originalis, ſimiliter & nunc plerumque in nobis exagitatur in vindictam alicuius culpæ actualis: ſicut de quibuſdam dicit Apoſtolus, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt. & ſubdit: Propterea Deus tradidit eos in paſſiones ignominiæ, Exempla ad hæc habes ſupra cap. 4. ibi: Cauere tamen debet. Item cap. 10. ibi in Vitaſpatrum. Non ſolum autem ipſe ſtimulus peccata noſtra vlciſcendo punit, ſed etiam puniendo nos purgat; quia ſicut aurum in fornace probatur, ſic homo in camino tẽtationis purgatur. Quinta. Rom. 1.

Sexta vtilitas eſt, quia deſiderium patriæ in nobis accendit. Vnde Apoſtolus moleſtijs carnis vexatus dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et de hoc beatus Gregorius ſuper Ezechielem ſic ait. *Donis ſuis Deus flagella permiſcet, vt nobis omne, quod in ſeculo nos delectabat, amareſcat. & iſtud incẽdium ſurgit in anima, quod nos ſemper ad cœleſte deſideriũ inquietet, & excitet: atque, ut ita dicam, delectabiliter mordeat, ſuauiter cruciet, & hilariter contriſtet.* Prou. 17. Sexta vtilitas. Rom. 7.

Septima vtilitas eſt, quia bene certantes ad maiores gloriam promouet. Exemplum de quodam Fratre, qui vehementer impugnabatur a ſpiritu fornicationis, qui abiens ad quẽdam ſanctũ patrem, conqueſtus ei impugnationem ſuam, qui confortabat eum ſpiritualibus verbis, ſed cum rediret ad cellam ſuam, iterum impugnatio inſiſtebat ei. & cum ter ſic ad ſenem veniſſet, & ille ſibi verba conſolationis reſpondiſſet, nec Frater inde in aliquo releuatus fuiſſet, demum dixit ei ſenex: Ne pertimeſcas fili, & aperi mihi cogitationes tuas. Et cum ille Septima vtilitas. In vit. Pat. p. 2. §. 8.

fecisset, ait Senex ad eum: Viriliter age o fili, & confortare cor tuum, & expecta Dominum, quoniam mittet tibi auxiliũ de sancto: vbi enim durior pugna, ibi gloriosior erit & corona. Considera ergo, filiole, quia certamen tuum expectat Dominus, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. Oportet enim nos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum. Hæc autem audiens Frater, confortatum est cor eius in Domino.

Act. 14.

Vit. Pat. p. 2. §. 100.

Quidam senex tentabatur a cogitationibus grauiter per decem annos, ita vt desperaret dicens: Perdidi iam animam meam. reuertar ergo ad seculum. Cum autem proficisceretur, venit ad eum vox dicens illi: Decem anni in quibus certasti coronæ tuæ erunt: Reuertere ergo in locũ tuum, & ab † omni malo cogitationis tuę te liberabo; & statim regressus, permansit in cœpto opere. Non est ergo bonum desperare, quemquam propter malas cogitationes: Illæ enim nobis magis coronas prouident, si vtiliter eas pertractantes transierimus.

† ali. ab omni mala cogitatione libero te.

Octaua vtilitas.

Octaua vtilitas est, quia ad virtutum custodiam cautos nos facit, quemadmodum aliquis persentiens furem magis vigilat, & attendit ne thesaurum perdat. Sciens ergo diabolus, quod tot vtilitates homini si in huiusmodi colluctatione vicerit, proueniunt, se apponens parti carnis contra spiritum suis astutijs, et prauis suggestionibus totis conatibus carnem coadiuuat, vt spiritum extinguat; & quanto homo fuerit magis spiritualis, idest, secundum spiritum viuens, tanto fortius arma sua acuit contra eum. Et inde est, quod diabolus plus est infestus Religiosis, quàm alijs, & plus gaudet de victoria sua contra vnum Religiosum, quàm de multis alijs.

Viri spirituales vehementius tentatur.

par. 2. contra fornicationem.

Vnde in vitas patrum narratur de filio sacerdotis Idolorum, qui patrem latenter sequutus ad templum, vidit satanam, & militiam eius sibi assistentem. & cum quæreretur de quolibet, quid fecerat: & vnus diceret: suscitaui bellá per triginta dies; quem iussit diabolus flagellari. Et alius diceret: submersi naues in mari per viginti dies; quem similiter iussit flagellari. Et alius similiter diceret, quod fecit lites in ciuitate; & etiam sponsum quemdam, & sponsam in nuptijs occidi; & hunc similiter iussit flagellari. Surrexit & alius, qui dixit se fuisse in eremo per quadraginta annos, & impugnauerat monachũ; & vix illa nocte fecerat eum fornicari. Quod audiens ille princeps surrexit, & osculatus est eum, & tollens coronam, quam habuit posuit in capite eius, fecitq; eum sedere secum in sede vna, dicens: Magnam rem fecisti. Quod ille videns, intra semetipsum dixit: magnus est ordo monachorum, & egressus factus est monachus.

Dialog. lib. 3. c. 7.

Item beatus Gregorius in libro Dialogorum narrat de quodam sancto Episcopo, in cuius domo habitabat sancta monialis, quem

impu-

impugnauit diabolus multis annis tentando de illa qui dedit in fine vnam alapam super humerum mulieris. quod fuit reuelatum in cōcilio dæmonum coram quodam Iudæo, qui reuelationem ei indicauit vt pœniteret. Caueant ergo sibi viri Religiosi a tam nequissimo eorum aduersario. Sciendum autem, quod licet carnis tentatio quamplurimum sit infesta, tolerabilior est tamen quibusdam alijs tentationibus alterius generis. Cum enim vita præsens sine tentationibus non ducatur quia Militia est vita hominis super terram, tentatio carnis minus noxia est quibusdam alijs vitijs, dum tamen homo prudenter reluctetur. Iob. 7.

Exemplum, sicut narrat Cesarius de quadam virgine Religiosa inclusa; quæ cum stimulo carnis valde vexaretur, orauit Deum cum multis lacrymis, vt ab ea talis tentatio auferretur; quod & factum est: sed & statim periculosius tentabatur de Deo, & fide Christiana, a qua magis quàm prius liberari cum multis lacrymis exorauit. Tūc Angelus apparens dixit ei: Putasne te viuere posse sine tentatione? necesse est, vt alterum horum habeas. Tunc illa. Eligo primam, quia etsi immunda, tamen humana est, hæc autem tota diabolica est. Sic ergo eam spiritus blasphemiæ deseruit, & stimulus carnis redijt.

De cautelis, seu remedijs pro custodia castitatis. Cap. XXX.



VT autem Religiosi castitatem illibatam custodiant multis cautelis opus est. Decem & septē cautelæ pro custodia castitatis.

Prima cautela: Custodia oculorum, ne in fœminam figantur, vt dictum est ex doctrina sancti Augustini supra cap. ante proximo. vbi etiam de hoc habes exēpla. exemplum etiam huius est in Iob, qui dixit: Pepigi fœdus cū oculis meis, vt nec cogitarem de virgine. super quo verbo dicit Gregorius; Vt munda sit mens in cogitatione a lasciua voluptate, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Item, in vitaspatrum de quodam sene, qui noluit videre mulieres, a quo cum quæreretur, quare. Respondit: quod cogitationes sunt sicut pictores inquietantes ex memoratione visorum. Item, de beato Theodoro, qui noluit videre matrem suam, nec sororem, quæ venerant ad videndum eum; sed demādauit eis dicens: Non contristemini si me non videtis, sed magis considerate vanitatem huius præsentis mundi. Item, de sanctimoniali quæ noluit videre Fratrem suum monachum, cum visitasset eam; sed man

Prima. Iob. 21. lib. 21. mo. cap. 2. par. 1. i vita B. Theod. & p. 2. §. 33

dauit ei dicere : Vade Domine Frater, & ora Deum pro me : præstante er'm gratia Dei videbo te in regno Domini Iesu Christi. Item, de alio, qui noluit videre sororem suam, nec alloqui nisi clausis oculis. Item, de sanctimoniali, quæ dixit ad monachum declinantem de via quando viuit moniales : si, inquit, esses perfectus monachus, non ita respexisses nos, sed cognosceres nos esse mulieres.

Secunda cautela. Epist. 2. Secunda cautela est fuga consortij mulieris. Vnde Hieronymus in Epistola ad Nepotianum : *Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant.* Et sequitur : *Nec sub eodem tecto permaneant, nec in præterita castitate confidas; quia nec Dauid sanctior : nec Salamone sapientior, nec Sansone fortior, qui tamen per mulieres lapsi sunt.*

To 9. De vita clericorum ad Oceanum. Prou.6. Et idem in epistola ad Oceanum : *Nociuum* (inquit) *genus est fœmina, cum approximat stipula incendit ignem; flammigero igne percutit fœmina conscientiam. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant? Mihi* (inquit) *crede, non potest corde cum Domino habitare: qui fœminarum accessibus copulatur.* Vnde miro modo sancti patres fugiebant consortia mulierum. Propter quod beatus Augustinus, nec cum sorore sua consensit habitare dicens :

Possid. in vita S. Augustini 26. Dialog. lib. 4. cap. 11. *Quæ cum sorore mea sunt, meæ non sunt sorores.* Item quidam sanctus Pater dixit ad discipulum suum : Eamus illuc, vbi non est mulier. Item refert beatus Gregorius 4. Dialogorum de presbytero moriente, qui dicebat ei, quæ fuerat vxor sua : Recede mulier, igniculus viuit adhuc, tolle paleam. Si ergo sancti Patres afflicti, & extenuati ieiunijs sic horrebant consortia mulierum, quanto magis Religiosi moderni temporis.

De S. Nicolao de Tolentino. Fertur de beato Nicolao de Tolentino, quod adhuc existens in seculo, a puero incœpit non solum mulierum lasciuias, sed & earum consortia euitare. Et postquam ingressus est Ordinem, in tanta custodia castitatis fuit, quod creditur in innocentia puritatis virginalis permansisse. In cuius signum ipse Christum in hostia corporalibus oculis videre meruit, sicut ipse cuidam Fratri sibi in sua infirmitate deuotissime seruienti humiliter reuelauit. Cum enim inter eos sermo esset de innocentia paruulorum, ipse vir sanctus sic alloquutus est Fratrem : Talis innocentia fili male perditur, cum ad maiorem ætatem peruenitur. Ego enim ipse peccator, quem vides, dum illa innocentia gaudebam in illa ætate, in Ecclesia dum sacerdos corpus Dominicum in Missa eleuaret, his meis oculis conspexi patenter puerum aspectu pulcherrimum, vestitum splendida veste, facie rutilantem, visu applaudentem, & dicentem : *Innocentes, & recti*

Psal. 24. *adhæserunt mihi*: Debent autem castitatis amatores non solum fugere præsentiam mulierum corporalem, sed etiam vitare quantum fieri

potest

poteſt, earum præſentiam intentionalem; ne, videlicet, vane de eis cogitent, vel loquantur.

Exemplum de beato Arſenio, qui mulieri nobili roganti, vt ſui memoriam haberet in orationibus ſuis, reſpondit: Ego oro Deum, vt deleat memoriam tui de corde meo. & quando quis non poteſt vitare præſentiam eius, vel aſpectum, ſaltem euitet contactum, quia caro mulieris ignis eſt. exemplum de illo, qui noluit tangere manum nudam matris ſuæ vetulæ, cum portaret eam trans fluuium, ſed inuoluit manum ſuam pallio, ne ſibi eueniret memoria de alijs fœminabus.

Notabile dictum B. Arſenii. In Vit. Pat. p. 2. §. 61. In Vit. Pat. p. 2. De continentia.

Item exemplum in Leone Papa, cuius manum cum quædam matrona oſculata fuiſſet, tam vehemens tentatio carnis in eo inſurrexit, vt ſibi manum amputaret, quæ poſtea per beatam Virginem ei reſtituta eſt.

Ad idem valet exemplum de quodam Fratre magnæ reputationis viro mihi noto, qui cum vocatus fuiſſet ad quandam mulierem infirmam, ex tactu pulſus, & loci doloris eius tanta concupiſcentia ad eam exarſit, quod poſtea ſemper, non ſolum pudicis cogitationibus, ſed & illecebroſis geſtibus ad eam fuit permotus, & quaſi extra frenum rationis, & chamum diſciplinę deductus quandocumque opportunitas locum dabat. & quamuis prius fuiſſet vir caſtæ vitæ, & mundæ, ex illo tempore peſtis illa vſque ad mortem eum non dimiſit.

Aliud exemplum peroptimum eſt de Fratre Hermãno de Allis Bacalario, qui vir tantæ pudicitiæ fuit, quod licet ignarus non eſſet artis phyſicæ, pulſum tamen mulieris quantumcumque rogatus tangere noluit.

De F. Hermanno de Allis.

Similiter exemplum de Fratre Auguſtino de Vincentia, olim lectore in Padua, viro vtique venerabili, vt ab antiquis patribus meis audiui. Hic cum eſſet lector in Ratiſpona, & viſitaret cum alijs Fratribus quandam ſanctam matronam infirmam, & morti vicinam, porrectum ſibi ab ea brachium eius nudum tangere noluit, ſed manica cappæ mediante, manu ſua tetigit brachium illius. Cui quidam ex Fratribus præſentibus quaſi indignans dixit: Non perderetis per hoc virginitatem, ſi nuda manu tangeretis brachium huius vetulæ. De hoc venerabili viro multa bona prædicata audiui, quod videlicet continuus erat in libris, raro in ocioſo ſermone raro ſine Miſſa, deuotus in horis, & orationibus ſuis, zelator diſciplinæ, & Religionis, caſtus totus, ita quod creditur virgo deceſſiſſe. Ad idem valet exemplum, quod habes infra cap. proximo, ibi. Attendat.

De F. Auguſtino de Vincentia.

Tertia cautela.

Tertia cautela est carnis maceratio per ieiunium,& subtractionem alimentorum. Propter quod pater noster præcipit in Regula, dicens; *Carnem vestram domate ieiuniis, & abstinentia escæ, & potus quantum ualetudo permittit.* signanter dicit: *Domate,* quia, vt ait Hieronymus; *Nihil sic inflammat corpora, et titillat membra genitalia sicut indigestus cibus: quia uenter mero æstuans cito spumat in libidinem.* Propter quod sancti Patres arctissima ieiunia seruauerunt,& miræ abstinentiæ fuerunt,ita vt,sicut ait Hieronymus,etiam languentes monachi aqua frigida vterentur,& coctum aliquid accepisse luxuriæ fuerit, vt de hoc plura exempla sunt in Vitaspatrum.

Ad Eustoch. Epistola.22.

Vit.Pat. part.1. De vita S.Hilarionis.

Legitur etiam de beato Hilarione, quod cum ad huc adolescens cogitationibus prauis impugnaretur, ac stimulis carnis ad inexpertã voluptatem titillaretur,iratus sibi,pectus pugnis verberans quasi cogitationes manuũ posset tunsionibus excludere. Ego te,inquit, † asel le afficiam vt non calcitres, nec te hordeo alam,sed paleis, fameque ac siti conficiam,per æstus,& frigora, ac laborum onera te premam, vt cibum potius quàm lasciuiam cogites. Herbarum ergo succo, & paucis caricis post triduum, vel quatriduum deficientem animam sustentabat: Orans frequenter,psallens,& rastro humum fodiens, fiscellas quoque texens, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret.

† fiscellas.

De S. Nicol. de Tolentino.

Beatus etiam Nicolaus de Tolentino,tantæ austeritatis,& abstinentiæ fuit,quod intra triginta annos numquam carnes;oua, pisces, aut aliqua pinguia, nec lacticinia, nec fructus manducauit. Ad hanc cautelam pertinent etiam vigiliæ, quę etiam multum macerant corpus. Quidam Frater conquestus est cuidam seni,quomodo infestatus fuit a cogitationibus,cui respondit senex: ego in hac causa numquam impugnatus sum: De quo verbo cum scandalizaretur Frater, eo quod super naturam humanam loquutus esset: senex se exposuit, ex quo, inquit, factum sum Monachus, non sum satiatus nec pane, nec acqua, nec somno, nec horum causa cogitatio me permisit habere pugnam quam dixisti.

Quarta cautela.

Quarta cautela est, Corporis castigatio, videlicet, non solum vigiliis & ieunijs, sed etiam disciplinis,& læsionibus corporalibus: puta per asperitatem vestitus, duritiam strati, per plagas verberum, & huiusmodi. exemplum in Apostolo Paulo, qui quoniam sensit stimulum carnis ait 1.Cor.9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo:* Exemplũm etiam iu beato Hieronymo, qui grauiter vexabatur passione stimuli, ita vt diceret in Epistola ad Eustochium: *Quoties ego ipse in Eremo constitutus, et in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstabat habitaculum, putabam me romanis interesse de.itijs, et scorpionum, ac ferarum tantum socius sæpe choris intereram*

De S.Paulo Apostol.

De S.Hieronymo. Episto. 22.

tereram

tereram puealtum, squalebant ora ieiunijs, et mens desiderijs æstuabat, in frigido corpore, et ante hominem sicca iam carne præmortuum libidinũ incendia bulliebant. Qualiter autem iste vir sanctus macerauerit, & castigauerit corpus suum quantum ad has duas cautelas simul scribit de eo beatus Augustinus in Epistola ad Cyrillum: *vinum* (inquit) *et siceram non gustauit: ab omni carnium, et piscium esu ita se abstinuit, quod vix ea nominare volebat Coctum quid non nisi in vltima ægritudine bis comedit Cilicino sacco carnem velut æthiopis macerans desuper panno vilissimo setegebas: stratum alium nisi terram sciuit: non nisi semel fructibus, aut herbarum folijs, siue radicibus pastus in die. Ter in die carnem diris uerberibus flagellabat, ita quod ex eius corpore riuuli sanguinis efluebant,* Epistola 205.

Ecxemplum in beato Benedicto, qui cum ex recordatione cuiusdã fœminæ aliquando instinctu diaboli tentationis igne totus inflammatus esset, proiecit se nudum inter aculeos vrticarum, & spinarum ac veprium, & se in illis aculeis spinarum, & vrticarum incendiis tan diu volutauit, donec ex eis toto corpore vulneratus exijt, & sic per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. cumque bene arderet foris, extinxit quod illicite ardebat intus: vt ait Gregorius 2. Dialogorum. De B. Benedicto. Dialogo. lib.2. cap. 2. B.Greg.

Item fertur de beato Nicolao de Tolentino, quod ipse diris verberibus, pœnisque aliis corpus suum in seruitutem animæ redigebat, solis paleis per aliquam noctis horam contentus. ferrea catenula carnes proprias castigabat. tunicis asperis, & reapetiatis vtebatur, corporisque delitias vitans mollia vestimenta fugiebat. De S. Nicol. de Tolentino.

Item exemplum de Fratre Haremodo de Gotta, qui acerrimas contra libidinem sustinebat pugnas, & sæpe ausculantes secrete audiuerunt eum in orationibus prostratum dicentem: Non consentio: Nõ consentio: Non consentio; & vt intensam carnalium tentationem in se mortificaret, ieiunijs crebris vigilijs, & disciplinis corpus suum castigauit, ita quod creditur virgo permansisse. De Haremodo de Gotta.

Item exemplum in Vitaspatrum de quodam solitario, apud quem cum quædam mulier hospitata esset de nocte, & diabolus stimularet cor eius in eam, ipse accensa lucerna mittebat digitum suum in lucernam, quem cum accendisset ardorem non sentiebat propter nimiam flammam concupiscentiæ carnalis. & sic vsque mane faciens combussit omnes digitos suos: & sic permansit immaculatus de ea. Vit. Pat. par.2. Contra fornicationẽ.

Item noui Fratrem, qui aliquando tentatus de quadam puella ad concubitum incitante, secessit in partem, & excusso igne de lapide, cremium ardens posuit super membrum genitale, intendens sic ignẽ igne extinguere; quod & fecit. Nam exarso vulnere ita læsus fuit,

quod

quod pluribus diebus dolorem habuit.

Item, ab alio Fratre audiui, quomodo ipse quadam vice dum incendio libidinis inflammatus esset, volens per dolorem concupiscentiã abigere, abrepto cultello summitatem præputij ad modum Iudæorum sibi ipsi amputauit: de quo vulnere sic læsus fuit; quod pluribus diebus stimulus conquieuit: sed istud remedium nõ commendo, immo de hoc multum reprehendi Fratrem illum. laudo tamen in eo zelum castitatis. Est & alius modus magis laudabilis, & tolerabilis, vt per cruciatum corporis reprimatur ardor libidinis, vt scilicet in ipsa hora tentationis, quis fortiter se disciplinet cum aspera virga, vel cum flagello aculeato verberando se super lumbos, & renes, & partes ibi circa, sicut quis seruum sibi rebellem atrociter cæderet. Tunc enim dolor ille plagarum sensibilis repellit, vel saltem remittit ardorem titillationis illarum partium corporis, vt dictum est de beato Bedicto. Hoc didici ab experto, qui mihi in quadam familiari collocutione retulit hoc exemplum: cum enim quadam nocte iacens in stratu suo cogitationum turbine, ac carnis libidine grauiter impugnaretur, ita quod non posset dormire, demum surgens de lecto, assumpta oratione ad illud remedium cõfugit cum aspera virga, & tenui se circa illas partes acriter verberando: sicque tranquillitate adepta, reponens se ad lectum protinus obdormiuit: & ecce per uisum apparuit dæmon forma Æthiopis nutrientis quendam buffonem, & vterque tam dæmon quàm buffo isti valde infesti erant: iste autem cum vna virga defendit se contra vtrumque. post paululum dæmon quasi fugam prætendens terga vertit, nec istum amplius molestauit, nec tamen buffo eum deseruit. Tunc iste perpendens se de dæmone triumphasse, sed cum buffone adhuc sibi pugnam restare cum lapidibus eum proiecit, sed minime eum tetigit; Tandem cernens magnum lapidem quadrum apud se, leuauit, eum etiam super buffonem proijciens ipsum contriuit, & tunc dæmon aufugit, statimque iste relator euigilans intellexit visum, quia in Æthiope dæmon, in buffone vero caro dabatur intelligi. quæ vtraque in tali impugnatione concurrere solent: Dæmon enim tentationem suggerit ab extra, concupiscentia carnis ab intra; hæc enim quasi mater velut a patre diabolo peccatum concipit, & parit. I. Io. I. *concupiscientia autem cum conceperit, parit peccatum*: & vterque iste hostis per virgam quandam disciplinæ aliqualiter abigitur: sed in virtute quadri, & angularis lapidis, qui Christus est, finaliter conteritur: Vnde beatus ille prædicatur, qui
Psal. 36. paruulos suos & cogitationum suarum initia allidit ad petram. Nec istud erat vnum sõmnium, sed diuinæ propitiationis indicium. Nam ille experiebatur in se effectualiter, non solum pro tunc, sed etiam

post mo-

post modum per aliqua temporum curricula huius tentationis vires in eo fore sopitas.

Quinta cautela est immersio in aqua frigida. Vnde legitur de sancto † Bernardo, quod cum aliquando oculos defixos in fœminam aliquandiu tenuisset, continuo de se erubescens sicut sæuissimus vltor insurgit, ac in stagnum aquarum gelidarum insiliens, tamdiu ibidem permansit, donec pene exanguis effectus per Dei gratiam a calore carnalis concipiscentiæ totus refriguit. Cautela quinta. † Aliter Benedicto.

Refert autem Cæsarius, quod matrona quædam nobilis cum in quodam castro esset sola, subito tam valide inflammata fuit, vt ignem amoris tolerare non posset, sed descendens ad portarium castri, rogauit vt secum cōmisceretur: cui cum ille sicut vir bonus non acquiescēret; illa de castro exiens nutu Dei ad fluuium ad pedes castri fluentem cucurrit, & illi frigidæ aquæ se immersit: in qua tandiu sedit, donec fomitem libidinis extingueret. Tunc rediens ad portarium, gratias sibi egit de repulsa: addens; si mihi dares mille marchas auri, modo non facerem, quod paulo ante facere te rogaui.

Sexta cautela est oratio, vt scilicet hora passionis, quis det se orationi petens sibi mitti auxilium de sancto. & hoc remedio communiter vsi sunt sancti patres: Vnde dixit abbas Ioannes in Vitaspatrum. Similis debet esse monachus homini habēti ad sinistram suam ignē, & ad dexteram aquam, quotienscunque enim succensus fuerit ignis, tollitur aqua, & extinguit illum; sic oportet monachum facere omni hora, vt quandocunque turpis cogitatio succensa fuerit ab inimico; tunc aquam orationis effundat, & extinguat illam. Item beatus Pachomius dicebat Fratribus: Sicut Deus mihi testis est: sæpe audiui dæmones loquentes inter se diuersas, & varias artes suas, quas contra seruientes Deo, & maxime contra monachos habent. Quidam enim ex eis dicebat: ego habeo certamen contra durissimum hominem; & quotiens ei immitto prauas cogitationes; ille statim surgit, & prosternit se in orationem cum gemitu, orans sibi adesse diuinum auxilium: ego autem illo exurgente cum grandi confusione egredior. Item alius dæmon: ego quem obseruo, cum ei cogitationes immisero, consentit, & suscipit, & facit eas. Ideo, inquit senex, Fratres mei dilectissimi, semper oportet orare, vt custodiatis sensum, & animum vestrum, inuocantes nomen Domini nostri Iesu Christi, quia, sicut animalia venenosa fortiores herbæ expellunt, ita cogitationes sordidas oratio, & ieiunium repellit. Item exemplum de quadam virgine religiosa inclusa, quam satan grauissime per stimulum carnis colaphizauit: Cautela 6. Par. 2. 5. 196. De Abbate Ioanne. De Pachomio abbate

Illa vero confugiens ad orationem cum lacrymis multis rogabat Deũ ab hac tentatione liberari: cui oranti Angelus apparuit dicens: Vis ab hac tentatione liberari? At illa: volo domine, volo. Dixit Angelus: Quotienſcunque te inuaſerit tentatio, dic illum verſum: *Confige timore tuo carnes meas, a iudicÿs enim tuis timui.* Quod illa fecit, & ceſſauit.

Pſ. 118.

Cautela 7. Septima cautela eſt Diuina lectio, quia, vt ait Auguſtinus in quodã Sermone: Aſſiduitate lectionis munitur homo a peccato, iuxta illum qui dicebat: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* De hoc ſupra eodem lib. cap. 22. circa principium. Diabolus enim verba ſacræ Scripturæ valde perhorreſcit, vt ſupra eodem lib. cap. 16. Vnde etiam ipſe Saluator cum a diabolo tentaretur, clypeum ſacræ Scripturæ in qualibet tentatione ei oppoſuit. Nam in prima tentatione ait *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, &c.* Ad ſecundam ait: *Sriptum eſt Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ad tertiam vero dixit: *Sriptum eſt. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* & tunc reliquit eum diabolus. ecce quomodo ad quamlibet tentationem textum ſacræ Scripturæ allegauit, ac per hoc triumphauit. Sic & nos facere debemus. Vnde Auguſtinus ſuper canonicam Ioann. hom. 11. *Tentatus eſt Dominus a diabolo; & quomodo repulit tentatorem docuit pugnare militem. Attende quid ille reſponderit, & quando tibi talis tentatio occurrerit, dic illud & tu. Tentatus de gula quid dixit? Non in ſolo pane viuit homo. Tentatus de curioſitate miraculi reſpondit. Non tentabis dominum Deum tuum. Tentatus de auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, quid reſpondit diabolo, niſi quod te docuit, vt tu reſpondeas, ſcilicet ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis.* Hæc Auguſtinus. Sic tu cum tentaris de luxuria, obijcias tentationi aliquod verbum ſacræ Scripturæ, & dic: Scriptũ eſt: *Non mœchaberis* vel illud: *fugite fornicationẽ*, vel aliquod aliud verbũ, quod te a carnali amore retrahat, & ad Dei amorẽ incitet. ſicut eſt illud: *Nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in mundo ſunt* 1. Ioann. 2. Super quo verbo dicit Auguſt. vbi ſupra: *Tenete Fratres dilectionem Dei, quia talis eſt quiſque, qualis eius dilectio, Terram diligis, terra es: Deum diligis, quid dicam; Deus eris?* Non audeo dicere ex me, *ſcripturas audiamus: Ego dixi Dÿ eſtis, & filÿ altiſſime.* *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt: quia mundus tranſit, et concupiſcentia eius, Tenentes iſta non babetis concupiſcentiam,* Non *vos ſubiugabit nec concupiſcentia carnis, nec concupiſcentia oculorum, nec ambitio ſeculi, et facietis lectum charitati uenienti, ut diligatis Deum.* Hæc Auguſtinus. Præfatum verbum ſcripturæ conuertit beatum Nicolaum de Tolentino a ſeculo ad Religionem, vt habes infra lib. 3. cap. 2.

Serm. de tẽpore 112. Pſal. 118. Matth 4. Deut 8. Deut. 6. Ibidem. Matth. 5 1. Cor. 6. Pſal. 81. 1. Ioan. 2.

Octaua

Octaua cautela est labor manuum. Vnde in Vitaspatrum dixit abbas Ioan. Similis debet esse monachus homini sedenti sub arbore, qui respiciēs feras diuersas, & serpentes venientes, cum non poterit resistere fugit in arborem vt euadat. Ita & monachus sedeat in cella sua, & respiciens prauas cogitationes inimici venientes supra se; confugiat per operationem ad Dominum, & saluabitur: Ideo enim sancti patres laborauerunt semper, vt euaderent insultum malarum cogitationum, & laqueos diaboli: De hoc supra habetur eodem libro cap 24. Vnde Hieronymus ad Rusticum monachum. *Fac aliquid operis, vt semper diabolus inueniat te occupatum*, & enumerans diuersa opera, quibus de vno transire debet ad aliud: subdit; *tantis negotijs occupatus nullis vacabis cogitationibus*. Similiter ad Demetriadem: & habes supra eodem libro cap. 26 & 27. Cautela. 8. Epistola. 4. Epistola 8.

Item exemplum ad idem de Fratre Eremita Figulo, qui cum grauiter molestaretur a cogitationibus suis, fecit ex luto plasma mulieris quasi esset vxor sua, & postea plasmauit quasi filiam, & tuuc dixit cogitationibus suis: Ecce habes uxorē, & filiā, necesse est ergo vt magis & magis exerceas opera manuū, vt possis pascere, & vestire te, & vxorē, & filiam, & ita præ nimio labore macerauit corpus suum; & sic accedente gratia diuina liberatus est ab impugnatione illa. De S. Arsenio.

Item exemplum de Sancto Arsenio, qui per totum tempus vitæ suæ sedit ad op s manuum suarum; habebat pannum in sinu propter lac ymas continue decurrentes ex desiderio patriæ, & sic omnē impugnationem euicit

Nona cautela est, bona meditatio. Vnde Cassianus: *Incipiamus bonas cogitationes diligere, et statim ab ijs, quæ malæ sunt dignabitur Dominus liberare*. quod fit multipliciter. Cautela 9. Collat. 12. Cogitationes prauæ sex modis fugiuntur.

Primo, memorādo de morte, iuxta illud: *Memorare nouissima tua, et in æternum non peccabis*. Vnde beatus Bernardus docet in speculo suo, quod homo debet se ponere super lapidem quo mortui lauantur, vel super feretrum; vt horrore mortis abigatur tentatio carnis. Eccle. 7.

Secundo, meditando de diuino iudicio, & de pœnis inferni, quæ pro peccatis debentur, vt vel saltem timore pœnarum concupiscentia refrenetur.

Exemplum de quodam Fratre, qui cum inflammaretur libidine dicebat: pro talibus debentur tormenta inferni, proba ergo teipsum vtrum possis sustinere æternum, & mittebat digitum in ignem. Vit. Pat. p. 2. contra fornic.

Tertio, meditando de præmio certantium legitime. Vnde Augustinus, in soliloquijs: *Quanto augetur spes videndi illius, qua vehementer æstuo pulchritudinis, tanto ad illam amor totus, voluptasque conuertitur.*

Quarto, memorando vilitatem peccati, & nobilitatem animæ,

quàm

De Senec. quàm indignum ducat homo, velle fœdare tanta vilitate. Exemplum in illo pagano [a] Seneca, qui dicebat: si scirem Deos ignoscituros, & homines ignoraturos, adhuc propter peccati vilitatem peccare dedignarer.

Quinto, meditando de passione Domini. Exemplum figurale de filijs Num. 21. Israel, qui cum intuebantur serpentem æneum in ligno suspensum, sanabantur a morsibus serpentis, sic nos intuendo oculis cordis Christum in cruce, sanamur a morsibus tentationis. Vnde Glossa supper illud ad Galatas 5. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cũ vitijs, & concupiscentijs. Congruit* (inquit) *nostræ deuotioni, vt qui Domini nostri crucifixi passionem celebramus, vel meditamur, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus*. Nihil enim est, quod tantum terreat diabolum, sicut arma passionis Christi, quia ipse eis victus Rom. 6. fuit. Vnde [b] Origenes super epistolam ad Romanos pertractans illud verbum Apostoli: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Tanta est* (inquit) *vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentus oculus mentis inspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed cõtinuo ad eius presentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus*. Hæc expertus Augustinus in libro de contemplatione Domini nostri Iesu Christi dicit sic: *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, reccurro ad uulnera Christi: cum me premit caro, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cum diabolus parat insidias fugio ad viscera Domini mei, & recedit a me: Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione filii Dei extinguitur*. Hæc Augustinus. Audiui a quodam Fratræ iuuene referente, quod quotienscunque passio stimuli eum molestaret, siue de die siue de nocte, hac cautela, vt ipse asseruit, vtebatur; quod surrexit, & iuit ad Ecclesiam, & intente inspexit imaginẽ Crucifixi, & experiebatur in se remedium.

Sexto, [c] meditando amorosa de Deo sponso, & dilecto animę, quem pro omni delectatione mundi non velit etiam minutissima cogitatione offendere, & hoc est perfectorum, qui retrahuntur a malo ex so-Epistola 4. lo amore Dei. Vnde Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum. *Philosophi seculi solent amorem ueterem, amore primo, uel nouo quasi clauum clauo expellere, quod & Assuero septem principes fece-* Hester 1. c. 2. *re Persarum, ut Vasti reginæ desiderium aliarum puellarum amore compescerent, illi uitium uitio, & peccatum peccato remediantur*: *Nos amore uirtutum uitia superemus. Carnalis siquidem amor spiritus amore superatur, & desiderium desiderio restringitur*. Eleuatione ergo mentis ad Deum, & ad cœlestia, & degustatione diuinæ dulcedinis refrigescit amor carnalis. Gustato enim spiritu, desipit omnis caro, vt ait Gregorius

rius. Item beatus Bernardus docet septem meditanda, dicens sic: *Septem sunt decentia hominis, quæ si homo consideraret, nunquam peccaret, scilicet, materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, et damnatio detestabilis*, quæ implicantur in pręmissis.

Decima cautela est euitatio opportunitatis, personæ, loci, & temporis. & istud est sextum eorum, quæ ponit Chrysostomus super Mathæum. *Sex sunt (inquit) quæ incorruptam conseruant castitatem*: quia, vt prouerbialiter dicitur: opportunitas docet furari. Quare fugienda est opportunitas. In cæteris enim vitijs vincere possumus diabolum, resistēdo, iuxta illud Iac. 4. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*, Venerē autem fugere non possumus non fugiendo. 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem*. Vnde versus. Cautela 10.

Cede, venus cedit: insta, magis improba lædit.
Qua specie martis cedit uictoria Parthis.

Hoc sciens ille sanctus Ioseph dilectus a domina sua, & ad concubitū tractus, relicto pallio in manu eius, aufugit ab ea, vt dicitur Gen 39. Helias etiā Propheta fugit a facie Iezabel, vt dicitur 3. Reg. 19. Vnde etiā sicut dicit philosoph⁹ 2. Ethicorū: Ad cōcupiscibilia carnaliū delectationū debēt se habere homines, sicut senes Troiæ ad Helenā, quę ꝓpter pulchritudinē suā nimis viros alliciebat, quā ꝓpter senes Troię ordinauerūt, ut præco eā præcedēs ante eā clamaret: Fugite fugite, Helena venit: Nūquā ergo Religiosus inueniat se solū cū sola. Exemplū B. Augustini, qui numquā cū muliere sola loqui volebat, etiāsi secretū aliquod interesset: Et si forte aliqua earum, vt sibi loqui dignaretur, petebat, numquam sine Fratribus ac clericis testibus eā accedere permittebat. Vnde ipse hoc nos facere instruit per hoc, quod ait in Regula. *Vbicumque* (inquit) *fœminæ sunt, inuicem uestram pudicitiam custodite*: est enim de muliere sola cum solo, sicut de latrone, reuelato sibi Thesauro. Vnde beatus Bernardus cum quadam nocte quędā mulier in eius cōcupiscentiam accensa, se apud eum in lecto posuisset, ille eam sentiens, exclamauit: latrones, latrones. Ad quam vocē mulier fugit, familia surgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime inuenitur. Omnibus ergo ad lectos suos reuersis, mulier denuo surgēs Bernardi lectulum petit; sed ille latrones, latrones denuo exclamauit. latro iterū quęritur, sed minime inuenitur. sic vsque tertio mulier repulsa, vix tandem metu victa cessauit. Cum autem sequenti die socij quærerent, quare totiens latrones somniauerit, Ille ait: Veraciter latrones ista nocte insidias posuerunt mihi, quia hospita mihi nitebatur auferre thesaurum irrecuperabilem castitatis. Noui quemdam Fratrem magnæ religiositatis virum, qui numquam cum aliqua

Lib. 2. Eth. c. ultimo.

In uita S. Ber.

muliere ante portam claustri, siue in confessionali sedere volebat solus, sed ordinauit, quod Frater socius semper adesset, si plures personæ seculares non adessent. Et quamuis hæc necessarium sibi non fuisset pro custodia suæ castitatis; hoc tamen facere voluit in exemplum honestatis. Ad idem supra lib. 1. cap. 12. in fine.

Cautela. 11. Vndecima cautela est, cordis ad alia distractio, vt videlicet homo inueniat materiam alicuius occupationis, circa quam suum cor versetur, vel intra se meditando, vel cum alijs conferendo, vel alicui exercitio exteriori intendendo; vtpote circa ædificia, seu alia tēporalia, vel spiritualia disponendo. Valet etiam ad hoc multum implicatio cordis circa aduersitates, etiam si ab alio sibi artificiose huiusmodi implicatio cordis ingeratur. Exemplum in Vitaspatrum de quodam adolescente in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine carnis flammam potuit extinguere. Cumque ad patrem monasterij hæc eius tentatio perlata fuisset, hac ille arte eum seruauit. Imperauit enim cuidam Fratri graui, & aspero, vt iurgijs, & conuitijs insectaretur adolescentem, & post irrogatam iniuriam, ipse prius veniret ad querimoniam. Cumque imperata sibi perficeret, insuper etiam vocati testes pro eo loquebantur qui iniuriam fecerat. Ille cœpit flere contra mendacium omni auxilio destitutus, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus. Expleto anno interrogatus a Patre monasterij super cogitationibus pristinis, an aliquid moleste sentiret? respondit: Pater, viuere mihi non licet, & fornicari libet?

Par. 2. 5. 207.

Cautela 12. Duodecima cautela est, pura confessio cogitationum, ex quibus quis impugnatur. quapropter in institutis Patrum statutum est, vt iuniores Fratres seniori suo nihil de suis cogitationibus subtrahant. aliter enim, vt ibi dicitur, subtilissimus diabolus illudere, vel deijcere iuniorem non poterit, nisi cum per arrogantiam, siue per verecundiam ad cogitationum suarum velamen illexit. Vnde in Vitaspatrum dicebat quidam senex probatus ad quendam Fratrem impugnatum a cogitationibus pessimis: Non timeas fili, nec abscondas cogitationes tuas, ita enim confusus immundus spiritus discedet a te. Nihil enim ita allidit virtutem dæmonum, quomodo si quis secreta immundorum cogitationum reuelauerit sanctis patribus. Ad idem habes exemplum supra cap. proximo ibi, Septima. & infra lib. 4. cap. 7. de Serapione Abbate.

Collat. 2. cap. 10. 11.

Par. 2. 5. 8.

Cautela. 13. Tertiadecima cautela est constrictio cordis, vt videlicet homo ferro conaminis sui abscindat caput pessimarum cogitationum. Vnde in Vitaspatrum legitur, quod sanctus Appollonius docebat Fratres quotidie, vt insidias diaboli, quas per cogitationes infert hominibus, in initijs statim retunderent. Si enim (aiebat) constringatur caput

Vit. Pat. p. 1. In vita S. Appollonij.

put draconis, & omne eius corpus emortuum reddetur. Ob hoc enim mandat nobis Deus obseruare caput serpentis, vt omnino statim ab initio non recipiamus malas, & sordidas cogitationes in corde nostro. quanto ergo magis diffundi non conuenit in sensibus cogitationum phantasias, quas etiam in initio recipi vetat? Sciendum autem, quod si non possumus euitare vniuersaliter omnes, possumus tamen refrenare singulariter singulas, & hoc per imperium rationis, in cuius potestate est de quo cogitamus sub ratione delectabilis, vel tristabilis apprehendere; vtpote cibum aliquem, vt delectabilem, vel vt mortiferum. similiter actum carnalem potest apprehendere vt delectabilem corpori, vel vt damnabilem animæ. Vnde cum tibi incidit cogitatio de aliqua muliere, in potestate rationis est eam apprehendere, vt pulchram delectabilem, & vsui carnalis voluptatis aptam, vel apprehendere eam saccum stercorum, rete diaboli, & venenum pestiferum animæ: & secundum hoc, homo talem cogitationem, aut oblectando suscipit, aut detestando abhorrescit. Et hoc modo potest quis cogitationes reprimere singulas, sed non omnes, vt dictum est. Vnde quidam senex in Vitaspatrum Fratri interroganti quid faceret de cogitationibus suis multis, respondit: Non repugnes contra omnes, sed contra vnam. Omnes enim cogitationes monachorum vnum habent caput. Necessarium ergo est considerare qualis sit, & aduersus illam reniti. & abscissa illa, residuæ humiliantur. Si autem homo illi condelectatur, impossibile est discedere ab eo spiritum fornicationis, etiam alijs pro eo orantibus.

Exemplum in Vitaspatrum de quodam Fratre, qui multum molestabatur a cogitationibus immundis, qui abiens ad quendam probatum senem, rogauit vt intente oraret Deum pro eo, quia grauiter (inquit) impugnat me passio fornicationis. Orabat ergo intente pro eo, sed ille non adiutus rogauit vt magis & magis intētius oraret; quod & fecit. Videns autem Senex, quia frequenter venit Frater rogans, vt pro eo intentius oraret, contristatus valde admirabatur, quare eum Dominus non exaudiret. Eadem autem nocte reuelauit ei Dominus negligentiam Fratris, & delectationes corporeas cordis sui, hoc modo. Vidit sedentem illum Fratrem, & spiritum fornicationis in diuersis mulierum formis ante illum ludentem & ipsum cum eis delectari. Videbat autem & Angelum Domini astare, & indignantem grauiter contra eundem Fratrem, quia non surgebat, nec prosternebat se in orationibus ad Dominum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis. Dixit ergo Senex Fratri: Quia tu culpa es Frater, quia condelectaris cogitationibus malis. Impossibile est enim discedere a te spiritū Par. 2. 5. 12

 forni-

fornicationis alijs orantibus pro te, nisi & tu ipse renitaris, & laborem assumas in ieiunijs, & orationibus, & vigilijs multis cum gemitu deprecans misericordiam Dei, vt possis resistere cogitationibus malis: nã & medici corporales quamuis omnia cũ summa diligentia faciant, si tamen infirmus se non abstineat a noxiis cibis, vel ab aliis, quę solent infirmantem offendere, nec etiã proficit cura, & diligentia medici: Similiter est in animæ languoribus, licet cum omni intentione mentis, & ex toto corde sancti patres qui sunt medici spirituales, exorẽt misericordiã Christi pro eis, qui orationibus eorum se postulant adiuuari: tamen, nisi & ipsi cum omni intentione tam in orationibus, quàm in operibus spiritualibus, quæ Deo placita sunt, studuerint, eis negligentibus, & resolutis, & de salute animę minime cogitãtibus nõ proficient orationes eorum. Audiens hæc Frater, cõpunctus corde fecit secundũ consiliũ senis, & recessit ab eo spiritus immundæ passionis. Nec reputet Frater quasi modicũ, fœdis cogitationibus inquinari. Legitur enim in institutis Patrum, S. Basilium Cæsariensem Episcopũ dixisse: *Mulierem ignoro, & virgo non sum*, intelligens incorruptionẽ carnis non tã in mulieris esse abstinentia, quàm in integritate cordis, quæ vere incorruptam perpetuo sanctimoniã corporis custodit. Quapropter illius præcepti iugiter meminisse debemus: *Omni custodia serua cor tuum.* Dicit enim Augustinus in quodam sermone, quod oportet, vt omnes cogitationes nostræ immundæ, & iniquæ, & sordidæ, quæ puritatẽ diuinæ imaginis obscurauerunt, igne purgatorij consumentur, nisi per pœnitentiam hic expientur.

Instit. Pat. lib. 6. cap. 19.

Prou. 4.

Erat olim quidã Frater mihi notus, singularis vitæ, & magni statu in Ordine, qui ad vnũ annũ post mortẽ suã apparuit in visione cuidã deuotæ personæ, dicens, hucusq; se fuisse in atrocissimis tormentis, sed nunc Dei miseratione, se fore liberatũ, & cęlesti familię associatũ. Admirans autem ista persona, quod vir tantæ sanctitatis, qualis ipse fuit ab hominibus reputatus, tãto tẽpore pœnas gehennales sustinuisset: interrogauit eũ, propter quã causam tanto tempore tantas pœnas luisset. At ille respõdit; propter cogitationes prauas, quibus sæpe in corde inquinabar, quas per pænitentiã non diluissẽ, licet a fœdis actibus diuina propitiatio me custodierit. Igitur castrãdũ est cor nõ caro. Vnde Chrysostomus super illud Matth. 19. *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerũt propter regnũ cœlorũ*, ait sic: *Non mẽbrorũ dicit abscissione, sed malarũ cogitationũ interẽptione: maledictioni .n. esset obnoxius, qui seipsum abscinderet: nam abscindere mẽbra dæmoniacæ tẽtationis est: Cum talibus autem neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliũde enim habet fontes sperma, quod in nobis est, et præcipue a proposito incontinenti, et mente negligenti: et si ipsa sobria fuerit, naturalium motuum*

nullum erit nocumẽtum. Neque abscisio membri ita deprimit tentationes, & tranquillitatem facit, vt cogitationis frenum. Nullatenus autẽ propter zelum castitatis abscindendum est membrum. Hæc Chrysostomus.

Quidam senex in Vitaspatrum tale dixit exemplum; Duo seculares intrantes Religionem, & habentes zelum Euangelij, sed non secundum scientiam, castrauerunt seipsos in carne quasi propter regnum cœlorum, quod audiens Archiepiscopus excõmunicauit eos, qui credentes se bene fecisse & iniuste excommunicari, iuerunt ad Patriarcham conquerentes de Archiepiscopo, de iniusta excommunicatione. At Patriarcha audiens causam, dixit: Et ego excommunico vos. Iuerunt ad alium Patriarcham, & eodem modo contigit eis. Dixerunt ergo ad seipsos: eamus Romam ad Papam, & ipse vindicabit nos de omnibus istis. Venerunt igitur ad Papam, dicentes: Venimus ad te, quia tu es caput omnium, quia sic, & sic fecerunt nobis Archiepiscopus, & Patriarchæ: Dixit eis Papa: Et ego vos excommunico. Tunc dixerunt ad seipsos: Isti Episcopi sibi inuicem deferunt, & consentiunt. & ideo in synodis congregantur; sed eamus ad virum sanctum Dei Epiphanium Episcopum de Cypro, quia propheta est, & personam hominis non accipit. Cum autem approximarent ciuitati eius, reuelatum est ei de ipsis, & mittens in occursum eorum dixit; Ne intretis in ciuitatem istam. Tunc illi reuersi in se, dixerunt: In veritate nos culpabiles sumus. Vt quid ergo nosipsos iustificamus: si illi nos iniuste excommunicauerunt, numquam & iste propheta; ecce enim Deus reuelauit ei de nobis, & reprehenderunt valde seipsos de culpa, quam fecerant. Tunc videns Deus, qui omnium corda nouit, quia se pro veritate culpabiles agnouerunt, reuelauit episcopo Epiphanio, qui vltro misit, & adduxit eos, & consolatus est eos, & suscepit in communione, scribens de ijs Archiepiscopo Alexandriæ dicens: Suscipe filios tuos, quoniam in veritate pænitentiã egerunt.

Par. 2. De humilitate

Item noui duos Fratres, qui sibiipsis zelo castitatis virilia absciderunt, credentes obsequium se præstare Deo, sed errauerunt: Nõ enim ferro, sed religione quærenda est castitas, vt 23. q. 5. Tunc saluabitur. Peccat autem quadrupliciter ille, qui se castrare ausus fuerit, secundum Ostiensem.

Primo, quia alienum inuadit, & sic furtum facit, quia nemo est dominus membrorum suorum. ff. ad legem Aquiliam. liber homo.

Quadrupliciter peccat seipsum eunuchũ in corpore faciens.

Secundo, quia suiipsius homicida reputatur propter homicidij periculum, quod sequi poterat sectionem.

Tertio, quia inimicus est Dei conditionis dist. 55. Si quis abscidit.

Quarto, quia pręsumitur, quod in alios omnes tyrannidẽ exerceat, quia in sę ausus est sæuire: iuxta illud; Qui sibi non parcit, cui vel mihi

quomodo parcet? & ideo tales non promouentur, & eijciuntur promoti, vt extra De corpore vitiatis, Significauit. Et si obijceretur de sancto Marco, [a] & Origene. respondetur, quod hęc, & his similia, quæ ex instinctu spiritus sancti processerunt non sunt ad consequētiam trahenda. Extra De regulis iuris. Quæ a iure. lib. 6.

Eusebius Ecc. hist. lib. 6. ca 7. Niceph. lib. 5. c. 8.

Cautela. 14

Quartadecima cautela est. Angelorum sanctorum asistentia, vt scilicet cogitet homo Angelos sibi semper assistere, & suum certamen iuuare, dūmodo & ipse pro viribus certare conetur. Erubescat ergo in pręsentia sanctorum Angelorū fœditati turpium cogitationum cōsentire, & cum eis cor suum inquinare, ac per hoc suos adiutores sanctos Angelos offendere. Hæc si quis attente recogitauerit, nō modicum retractum a malis cogitationibus habebit; & per hoc etiam Angelos magis in sui adiutorium incitabit. Exemplum in ipso Domino Saluatore nostro, qui cum a diabolo tentatus fuisset, & ipse repugnādo per omnia eum superasset, & a se fugasset, dicēs: *Vade satana, &c.* sequitur: *Tūc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

Matth. 4.

Par. 2. §. 9. De Moyse abbate. De Isidoro abbate.

Vnde legitur in Vitaspatrum, quod beatus abbas Moyses quodam tempore tantum impugnabatur a spiritu fornicationis, quod in cella manere non potuit, sed abijt ad abbatem Isidorum referens ei impugnationis violentiam, qui cum eum consolaretur verbis sacræ Scripturæ, nec tamen ad cellam suam redire vellet, duxit eum ad superiora cellæ suæ dicens ei: Respice ad occidentem, & respiciens vidit multitudinem dæmonum præparatos ad prælium, festinantesque præliari. Dixit iterum: Respice ad orientem: Cumque respiceret, vidit innumerabiles Angelos, & gloriosum, ac splendentem cœlestium virtutum exercitum, & ait abbas Isidorus: Ecce quos in occidente vidisti, ipsi sunt, qui impugnant etiam Sanctos Dei, quos vidisti ad orientem, ipsi sunt, quos ad adiutorium sanctis suis misit Dominus. Cognosce ergo quia præliantes sunt nobiscum. His auditis cōfortatus abbas Moyses regressus est ad cellam suam gratias agens Deo.

Cautela. 15 To. 2. epist. 206.

Quintadecima cautela est, alicuius sancti singularis deuotio. Vnde sanctus Cyrillus in epistola ad sanctum Augustinū scribit, quod erat quidam monachus iuuenis, & formosus, & virginalis pudicitię custos pręcipuus. hic magnam deuotionē habuit ad S. Hieronymum, cuius custodiæ, seu suis orationibus sedule se cōmendauit. Quem antiquus hostis varijs tentamentis aggreditur, sed semper a iuuene recessit cōfusus. Accidit autem patrē eius infirmari ad mortem, qui filium omnino videre cupiebat, sed ipse potius elegit patrem suum frustrari desiderio, quàm exire de monasterio. Tandem tamen victus Fratrū sui cœnobij precibus ad domum paternam iuit, & patrem visitauit, manens ibi tribus diebus affectus magno tædio, eo quod mens eius ad

mona-

monaſterium redire æſtuabat. Contingit autem eum cum ſorore ſua pulcherrima patris infirmi crura ſimul confricare, caſuq; manum ſororis tangere manum fratris: ex quo contactu inſtigante diabolo cor eius tam vehementi libidinis ſtimulo extitit iaculatum, quod niſi timor verecundię obſtitiſſet, horrendum ſcelus cum ſorore committere non expauiſſet. Et extunc tam ardenti concupiſcentia faciem ſororis improbis oculorũ viſibus inſpiciebat, quod redire ad monaſteriũ non† i ntẽdebat, & ſic per tres menſes ibidẽ perdurauit. Interea patre conualeſcente, & duobus Fratribus ex ſuo monaſterio pro ſuo reditu deſtinatis, qui prius cum tędio monaſterium exierat, cũ magno tędio regreditur. Sed cor eius nullatenus a ſorore ſua receſſit. Itaq; die ac nocte totum ſtudium ſuum erat, quomodo ad ſororem ſuam poſſet redire. Tandem diabolus tale ſibi conſiliũ ſuggeſſit. vt nocte habitu mutato domum patris latenter adiret, & ſub toro ſororis lateret, donec ipſa dormiente ad eam accederet ſuam libidinem expleturus. placuit conſilium, & ſequenti nocte ſub ſilentio claues gerens manibus ad fores cœnobij properauit; ad oſtium veniens per totam noctem huc & illuc diſcurrens oſtium inuenire non valuit. ſtupore ergo perterritus remanet illa nocte in cella, proponens ſequenti nocte facere quod non fecit. Cumque iterum ad fores ſequenti nocte properaſſet, accidit ei ſicut prius. Et ita fere per vnum menſem ſingulis noctibus euenit. Habebat autem iſte monachus in cella ſua imaginem beati, & glorioſi Hieronymi tabulæ* inſignitam: cui diebus ſingulis reuerentiam exhibens ſe ei commendabat: Completo igitur menſe, beatus Hieronymus cuidam ſancto viro monacho eiſdem cœnobij nocte apparuit, reuelans ei quod iſte monachus faciebat, & mandans vt ei diceret; quod propter reuerentiam impenſam, ipſe hactenus cuſtodierat eum, & niſi ſe mox emendaret, ipſe ſibi ſuam cuſtodiam ammodo ſubtracturus eſſet. Quod cum ille ſanctus vir mane facto iſti indicaſſet, cœpit deteſtari, & iurare quod neſciret, quod diceret, aſſerens propter cerebri vacuitatem illi hæc ſomnia eueniſſe. Sed iſte audiens ſe per beatum Hieronymum a ſuo propoſito hactenus impeditum, reuerentia ſolita eum priuauit, & mox ſequenti nocte ad oſtium accedens abſque impedimento reſerauit. Et ad domum patris perueniens, clam ſub lecto ſororis tamdiu latitauit, donec eam dormire ęſtimaret; tunc lectum conſcendẽs expoliatis veſtibus ſororis ſe dextero lateri applicauit. Ad hęc ſoror leui ſomno dormiẽs excitatur, & virum iuxta ſe manu ſentiens admodũ expaueſcẽs diris emiſſis clamoribus ad ſe omnes pariter euocauit. Currunt ad puellæ thalamum cuncti cũ lumine, & tandẽ in lecto inueniunt hunc iacentẽ. mirantur parentes, & ſtupent: cernunt hoc cuncti

† Aliter omnino tę debat.

qui cucurrerant, & cōdolent. Interrogat à filio pater diſcriminis tanti cauſam; reatum ſuum filius confitetur. Voluit glorioſus Hieronymus hunc ſuam ſtultitiam experiri, vt in poſterum humilior, & aſtutior fieret ad cauendum; & in prælio ſe tuendum, & ne amplius exē plo eius quis de ſua ſanctitate confideret, ac ſperaret: cernens nāq. ſe monachus ſic a diabolo † deturbatum, & deluſum, ac in tanta miſeria captiuatum, protinus ſuffragijs glorioſiſſimi Hieronymi, cuius ſemper deuotus extiterat, ſuam miſeriam, & culpam vehementiſſimā recognoſcens in ſeipſum redijt, & de eadē paterna domo exiens ad fontem pænitentiæ properauit. Deinde vero in ſuo monaſterio per duos annos in maxima abſtinentia, & aſperitate ſe afflixit, & ex tunc poſt dies modicos ex hoc ſeculo feliciter emigrauit.

† aliter deturpatū.

Aliud etiam exemplū ad idem in eadem epiſtola ſcribitur de quadam ſanctimoniali iuuencula pulcherrima, ſed animi ſapientia valde cana, & beati Hieronymi deuotiſſima, quæ & eius imaginem in cella ſua habebat depictam, cui inuidens ſerpens antiquus, cuiuſdā nobiliſſimi iuuenis animum in eius concupiſcentiam incitauit, qui die ac nocte non poterat aliud cogitare niſi quomodo poſſet eam attingere. cumque nulla humana induſtria hoc admitteret, tandem quendam magum conſulit, magnam pollicens pecuniam, ſi quod exoptat perducat ad effectum. At ille uocato dæmone nocte media feſtine mittit eum ad illam monialem. Dæmon ergo ad eius cellam accedens nequaquam ingredi potuit imaginis beati Hieronymi timore repulſus, & ſic vacuus reuertitur admittentem, quem magus deridens vocauit alium dæmonem nequiorem, mittens & illum ad huiuſmodi negociū peragendum. Fit ſecundo id quod primo, qui etiā coactus hanc vocē excelſam emiſit: Si me Hieronyme hinc ſinis recedere, huc vlterius non reuertar. Ad quā vocem ſtupefacta Sanctimonialis, quæ orationibus in cellula inhærebat, & excitatæ omnes in cœnobio, grandi timore percuſſæ, cū dęmon a clamore nō ceſſaret, accurrunt tremulæ ad illā cellulā crucis ſigno ſe ſignantes. Cumq. illū fore ſpiritum nequā ſciunt, coniurant eū, vt ad quid illuc aduenerit debeat intimare, qui narrans rei ſeriē, & quomodo cæteris igneis vinctū a Hieronymo retineretur, rogat eas, vt ſuis precibus ab ipſo Hieronymo ſibi poſtulent gratiā abeundi, quod audiētes moniales Deo, & glorioſo Hieronymo laudes reddūt, ſuppliciter poſtulātes, vt dęmonē hūc nullatenus reuerſurū de eodē cœnobio effugaret. Vix orationū verbis finitis dęmō magnis ſtridoribus ex illo loco recedēs, ad magū redijt, eūq. diris verberibus flagellauit: At magus audiēs virtutē Hieronymi ad eius patrociniū confugiēs pænitētiā egit. Iuuenis vero vidēs ſe ſuo deſiderio fruſtrari, amoris inſania æſtuante infelix laqueo ſe ſuſpēdit.

Nar-

Narrauit mihi quidam Episcopus magnus in quadam familiari collocutione, quomodo ipse olim in minoribus constitutus ad quendam sanctum, cuius non recolo nomen, deuotionem habuit singularem, cuius etiam reliquias semper apud se ex deuotione portare cõsueuit. Cum autem quadam die familia emissa ipse solus forte causa studij, in hospitio domus suę remansisset, audiuit fortiter pulsari ad ostium, at ipse reputans aliquem esse de familia, iuit, & aperiens ostium inuenit ibi pulchram mulierem, quæ dixit se sibi velle loqui: Qua intromissa eis consedentibus inter loquendum iste concupiscentia carnis stimulatus eam ad concubitum prouocauit, quod nec illa recusauit. Cumque iste iam ad actum carnalem procubuisset, recordatus est reliquias sancti sui deuoti, habere supra se, ob cuius reuerentiam parumper se continuit, donec reliquias sancti reponeret extra camerã, in qua erant dispositi ad peccandũ. cum ergo sic occuparetur in dissoluẽdo bursam cũ suis nodulis & ligaturis, vt reportaret eã ad locũ sequestrũ; ecce quidã cum immensa importunitate ad ostiũ domus pulsauit, & ipse depositis reliquijs ad locũ suum, cogitauit primitus illũ pulsantẽ amouere, vt sic cũ bona opportunitate valeret volũtatẽ sua postea cum illa muliere adimplere. & cum ostiũ aperuisset, vidit quod erat vnus magnus dominus amicus suus, qui ad videndũ eũ casu superuenerat. Ille vero dominus perpendens istum in facie, atq; oculis inflammatũ ait ad eum: Certe aliquid nequitię apparet in te: dic mihi quid sit. Iste autem amico nihil celare volens, indicauit mulierẽ adesse, ad cuius concubitũ iam dispositus fuerat, & iam expleuisset, nisi quia cum reliquijs occupatus fuisset. Quod ille audiens, sicut vir prudens dixit: Vere bonus iste sanctus est, cuius reliquiæ te a peccato præseruauerũt. Dimitte ergo eam, & ad alia solatia properemus. Sicque factum est. & exinde iste reliquias illas adhuc maiori deuotione venerabatur. Cuius etiam sancti meritis non longe post ad apicem pastoralis præeminentiæ in solemni ecclesia promotus fuit.

Sextadecima cautela, sine qua omnes aliæ inefficaces existunt, Cautela est diuinæ gratiæ conseruatio Hac caute'a vsus est Paulus Apostolus, 16. cum omnes aliæ sibi deficerent. Vnde ei petenti à Domino, vt auferretur ab eo stimulus carnis, accepit responsum: *Sufficit tibi grãtia mea*. 2. Cor. 12. Et beatus, qui habet illam; huic enim huiusmodi stimulus In psal. non solum non nocebit, sed cedet ei ad coronam, dicente beato 136. Hieronymo: Ille beatus prædicatur, qui statim vt cœperit cogitare 1. Cor. 10. interficit cogitatus, & allidit eos ad petram: Petra autem erat Christus. De hac petra fluit nobis aqua gratiæ prædictæ. De hoc habes supra cautela 4. in fine. Hac cautela opus est omnibus, vt dicit Augstinus Confess. 2. cõfessionũ: Quis est (inquiens) *hominum, qui suã cognoscens infir* lib. 2. c. 7.

mita-

mitatem, audeat viribus suis attribuere castitatem, atque innocentiam suam, dicente etiam sapiente: Cum scirem, quod nemo potest esse continens nisi Deus det, etc. Hoc consi derans idem Augustinus. 10. lib. confessionum, dicebat: *Domine, continentiam iubes: Da quod iubes: iube quod vis.* Hac autem cautela, scilicet protectionis diuinæ gratiæ, beatus Frater Augustinus de Terano fuit vsus. Nam licet ipse in medio carnalium positus esset, vtpote ad cuius imperium omnia, quæ fiebant in curia Regis Manfredi, agebantur, immunis tamen permansit, diuina se protegente gratia, ab ijs vitijs, quibus illud genus hominum implicari solet. Fecerat enim sibi perpetuæ virginitatis propositum: quod vsque ad mortem seruauit, provt ex quibusdam verbis suis non ex iactantia, sed ex charitate dictis, perpenditur: sicut Apostolus Paulus ex charitate proximorum se aliquando commendauit. Cũ enim dictus Frater Augustinus quadam vice grauiter ægrotaret assistebat ei quidam Frater Hugutio nomine, qui cum ex quodam casu abiret, ait vir sanctus quibusdam præsentibus fratribus: Ego diligo istũ Fratrem Hugutionem, sicut filium meum, licet nunquam egerim, vnde filium habere possim, & ipse semper recedit a me. Et statim subticuit, quasi pœnitens eius, quod dixerat. Ex quo verbo datur intelligi, quod non solum in Ordine, sed etiam in seculo existens propositũ virginitatis seruauit: quod verbum voluit Deus ex ore eius prolabi, ut ex hoc daretur intelligi, qualis, & quantus esset, cuius vita ponenda erat alijs in exemplum. In eadem etiam curia Regis licet omnes causæ tractandæ transirent per manus suas præseruauit tamen se cum diuina gratia, ne vir sanguinis esset, qui ędificaturus erat domum Domini: quia pater, & pastor Ordinis futurus erat: Vnde se ab illis retraxit iudicijs, & causarum consilijs, vbi de fundendo sanguine tractabatur, immunis etiam erat ab illicitis munusculis, quibus iudices, & causarum tractatores inquinari solent, ita vt non iudex, sed pater ab omnibus haberetur. Iuramenta etiam, & verba duplicia, & extorsiones, quæ sæpe in iudicijs fiunt, omnino abhorrebat, & tantum cum diuina gratia ab ijs vitijs, quæ ad interitum ducunt, protegebat, ut iam quod futurum Deus in eo præuiderat, aliqualiter reluceret. Denique, hanc cautelam diuinæ gratiæ pro custodia pudicitiæ exoptat nobis pater noster Augustinus in Regula, vbi dicit: *Deus enim, qui habitat in vobis etiam isto modo custodiet uos ex uobis*: vbi dicit Vgo: Non est sufficiens nobis nostra custodia, nisi etiam adsit diuina. Nemo est, qui pudicitiam possit custodire, aut in seipso, aut in alio, nisi per Deũ: Sed si ipse habitauerit in nobis, poterimus per ipsum, quod non valemus per nos. Sic ergo studeamus viuere, vt nos in ipso, & ipse in nobis dignetur habitare, vt casti per ipsum esse possimus. Tunc enim

Sap. 8. — Confess. lib. 10. c. 29 — De B. Augustino de Terano. — 2. Cor. 3. & 11. — Vgo super Reg. c. 6. §. vltimo.

Deus

Deus habitans in nobis cuſtodiet nos ipſos, & ipſe idem ex nobis cuſtodiet Fratres noſtros, vt ſic per Deum impleamus quod nobis præcipitur: *Inuicem ueſtram pudicitiam cuſtodite*.

Cautela decima ſeptima. Propter prædictas ſunt quædam aliæ cautelæ particulares, quas ad conſequentiam trahere non oportet. ſicut eſt fœtor mulieris morituræ, quemadmodum legitur de quodam, qui affligebatur cogitationibus de quadam muliere, quam cum audiſſet mortuam, tulit de cadauere ſuo, & cum inuaderet eum cogitatio, ponebat putredinem illam ante nares, & oculos, dicens: Ecce habes deſiderium tuum, ſatiare de eo; quod & factum eſt. & ſi quis ſequi materialiter horreat; non tamen pigeat intentionaliter imitari: vt videlicet recogitet perſonam illam, circa quam verſatur cogitatio, eſſe morituram, & cito in cadauer putridum conuertendam; immo, ſi quis mulieris viuæ etiam putredinem & immundiam bene conſideraret, horreret vtique non ſolum ei turpiter commiſceri, ſed etiam abhorreret vel corde de ea tractare. Item [e] conſuetudinem habebant antiqui patres, quod conuenientibus eis ad Eccleſiam ponebatur peluis cum aqua, & fiebat oratio pro eis, qui tentationibus laborabant: lauabant autem omnes Fratres manus ſuas in pelui: ſi quis Frater tentabatur, perfundebatur aqua illa, atque ſtatim purgabatur. Loco huiuſmodi aquæ hodie ſuccedit aqua benedicta. Sed ſciendum, quod cum inter cautelas præmiſſas, quædam ſint corporales, quædã ſpirituales, ego plus amplector ſpirituales, quàm alias: quia, vt dicit Apoſtolus 2. Cor. 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia corporis deſtruentes, et omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei*.

Cautela 17.

AD CAP. XXX. NOTÆ.

a De illo pagano Seneca.] *B. tamen Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis longe aliud ſentire uiſus eſt, retulit enim illum in ſanctorum Catalogum.*

b Vnde Origenes.] *lib. 6. in cap. 6. ad Romanos. qui ſane locus inſignis eſt, ad uincendas et ſuperandas tentationes, et dignus, qui ab omnib. obſeruetur.*

c Sexto meditando.] *Hæc omnia uſque ad decimam cautelam, non habentur in aliis exemplaribus.*

d De S Marco & Origene.] *An S. Marcus peccauerit, qui abſcidit ſibi pollicem ex humilitate et reuerentia, ut teſtatur S. Hierony. in prologo ſuper Marcum, diſputat S. Thom. 2. 2. q. 175. ar 2. ad 3. De Origene uero fuſius agit Simon Maiol. uir doctiſſ. Epiſcopus Vulturarien de irregularitat.*

ritat.lib. 1.c. 15. Fuit autem hęresis Valesioru͂, qui se & suos hęspites castrabant, dicentes se hoc modo seruire Deo, vt refert S. Augusti. de hæresib. c. 37. Ceterum de his agitur fusius in c. eunuchus. & d.c. siquis absciderit. 55. dist. in c. ex parte. vbi Host. Io. And. & Panor. de corpo. vitia. Alberi. in dictionar. ver. mutilatus. De eunuchis uero promotis Zonaras in Michaele Theophili filio. Nicephor. lib. 9. c. 29. Maiol. d.c. 15.

e Insignitam.] *Hinc licet perspicere antiquissimum sacrarum imaginum vsum, qua de re nouissime insignem conscripsit librum per centurias distributum Maiol. Episcopus Vulturarien. cuius superius meminimus.*

f In eadem etiam curia.] *Quæ ab hoc versiculo usque ad versiculum,* Denique hanc cautelam *habentur hic, desiderantur in alijs exemplaribus.*

g Item consuetudinem habebant.] *locus hic caret auctoritate antiquorum. ceterum apud gentiles erat vsu receptum, vt putarent aqua purgari carnis pollutiones, iuxta illud Persii:*

Et purgant flumine noctem.

vt refert. S. Hierony. Vel alludit ad aquam lustralem veteris testam. De aqua tamen benedicta, conscripsit librum eruditissimum Reuerendissimus Archiepiscopus Salernit. quo omnia, quæ ad id spectant argumentum prosecutus est copiosissime.

De consummatione veræ & perfectæ castitatis. Cap. XXXI.



TSi impossibile videatur secundum legem communem, ignem carnalis concupiscentiæ in nobis posse extingui, nulli tamen dubium esse debet secundum traditionem Cheremonis abbatis, vt describit Ioan. Cassianus in Collat. Patrum, quod ita fornicationis, & immunditiæ de membris nostris possimus abolere contagium, sicut auaritiam de corde nostro abscidimus. Videmus auté nõnullos sanctos viros auaritiá omnimode de eorũ cordibus abscidisse sicut qui renunciauerũt omnibus quę possidebant, propter Christum. Quare similiter & fornicationis concupiscentia de membris nostris poterit extirpari, quod probatur per Apostolum dicentem: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, scilicet fornicationem, & immunditiam, &c.* & subdit: *auaritiam,* Eodem igitur modo fornicationis ardor extingui poterit, quo auaritia, cum Apostolus pari modo vtraq; mortificanda decreuerit. sunt autem plures castitatis gradus, quibus ad inuiolabilem mentis puritatem conscendi-

Collat. 12. cap. 4.

Colloss. 3.

Collat. 11. cap. 7.

ſcenditur: & (vt alia prætermittam, quæ ſui ſubtilitate, nec mens noſtra inſpicere, nec lingua proloqui valet) quibus gradatim ipſius caſtitatis perfectio quotidianis profectibus adoleſcit. Sex gradus quibus ad montis inuiolabilem puritatē cōſcenditur.

Primus pudicitiæ gradus eſt, Ne vigilans quis expugnetur impugnatione carnali.

Secundus, Ne illius mens voluptuoſis cogitationibus immoretur.

Tertius, Ne fœmineo aſpectu vel tenuiter ad concupiſcentiam moueatur.

Quartus, Ne vigilans vel carnis motum ſimplicem ſuſtineat.

Quintus, Ne cum memoriam humanæ generationis vel tractatus ratio, vel lectionis neceſſitas ingeſſerit, nullus nec ſubtiliſſimus voluptatis affectus mentem perſtringat, ſed velut opus quoddam ſimplex humano generi neceſſario attributum, tranquillo, & puro mentis contempletur intuitu, nihilque amplius de eius recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterum cuiuſlibetve alterius officinę mente pertractet.

Sextus caſtimoniæ gradus eſt, Ne illecebroſis phantaſmatibus fallaciarum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato obnoxiam non credamus, eſt tamen indicium concupiſcentiæ adhuc in nobis medullitus latitantis. & ita demum quis ad illam beati Sereni quodammodo perueniet puritatem, quam iccirco a prædictis ſex gradibus ſequeſtraui, quia non ſolum poſſideri, ſed etiam credi a rariſſimis vix poteſt: videlicet, vt eouſque mens noſtra caſtitatis puritate formetur, vt eam naturali motu carnis emortuo illum obſcœnum liquorem naturæ non perferat. Sed quod illi, ſcilicet beato Sereno, ſpecialiter diuini muneris largitate collatum eſt, ad generalis præcepti formam proponi non poteſt. Quicunque autem ad illum puritatis ſtatum cordis intentione peruenerit, vt iam mens eius ab illius paſſionis titillatione quieta conſiſtat, ad illum ſine dubio perueniet ſtatum, vt talis inueniatur in nocte, qualis in die; talis in lecto, qualis in oratione; nec vnquam talem ſe ſentiat ſecretus, qualem ſe videri ab hominibus erubeſcit. nec in eo tale aliquid ille diuinus oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velit eſſe celatum: & ita cum cœperit ſuauiſſimo caſtitatis lumine iugiter delectari, dicere poterit cū Propheta: *Et nox illuminatio mea in delitijs meis*, & ſubdit cauſam. *Quia* (inquit) *tu poſſediſti renes meos*, ideſt non mea induſtria, vel virtute hanc promerui puritatē, ſed quia tu mortificaſti inſitū renibus meis libidinoſæ voluptatis ardorē.

Collat. Pat. 7. cap. 1.

Collat. Pa. 12. cap. 8.

De b. Sereni puritate ſingulari.

Pſal. 138.

Sola

Sola enim diuinæ gratiæ largitate hæc puritas, castimoniç cóceditur, nec per ieiuniorū vigiliarū orationū, cęterarūq; cautelarū supradicta exercitia aliquatenus accipi poterit, sed per talia homo habilitatur, et disponitur ad huismodi gratiā assequendam. Narrat Valerius lib. 4. cap. 3. de Xenocrate Philosopho, quod non sensit mulierem, quæ circa eum accubuit, & spoponderat eum allicere. & alijs deridentibus quod non potuerat flectere illius animum suis illecebris: respondit pactum victoriæ non de statua, sed de homine fuisse. posuerat enim quasi pignus contra alios, quod eum flecteret, & quia fuit quasi insensibilis ad talia, idest, non sentiés, vel appetens, vocauit eum statuam. De isto ergo, & de quibusdam alijs philosophis instabat Germanus abbati Cheromeni; quod cum ipsi de Deo, & de gratia nihil sciuerint, puritatem tamen castimoniæ possedisse dicantur. Ad quod sanctus Senex respondit: *Nequaquam credendum est, philosophos assecutos veram castitatem, qualis a nobis exigitur, sed habuerunt quādam portiunculam castitatis.i. continentiam carnis, vt tantum carnē † suam a libidine coercerent. hanc autem internam mentis, ac perfectam corporis puritatem non dicam opere assequutos, sed nec cogitatione attingere potuerūt, quod etiam famosissimus ille Socrates de seipso non erubuit profiteri. Nam cum quidam † sapiens ipsum intuens diceret: Ecce oculi corruptoris puerorum, & irruentes in eum ipsius discipuli, cum magistri sui iniuriam vlcisci vellent, ipsorum impetum hac sententia compescuit. Quiescite, sodales, etenim sum quod dicit: sed contineo. Ex quo manifeste probatur commixtionem tantum turpitudinis dominante ratione in illis compressam, non tamen desiderium, & oblectationem illius passionis de cordibus eorum fuisse exclusam. Certum est enim circuncisionem nostram, quæ in spiritu est, non posse, nisi tantum gratia Dei munere possideri, & in eis esse solummodo, qui Deo tota spiritus sui contritione deseruiunt.* Ex præmissis omnibus concludit sanctus Cheremon, quod consummatio veræ, & perfectæ, ac purissimæ castitatis in hoc consistit, vt vigilantem monachum nulla perstringat oblectatio libidinis, & quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine vlla titillatione carnis excitata est, ita etiam sine vllo pruritu corporis conquiescat. Et hanc cœlestem, & angelicam potius quàm humanam puritatem propheta in se, & in sui similibus contemplationis intuitu admirans cognoscit, & ad eorum considerationem cunctos prouocat ita dicens: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.* Quis enim non miretur opera Domini, qui illum ignem libidi-

De Xenocrate Philosopho.

Coll. 13. c. 4. & 5.

† alias, a coitu libidem.

† aliter, Physiognomon.

De Socrate Philosopho.

Psal. 46.

libidinis, quem prius naturalem, & velut inextinguibilem eſſe credebat, ita in ſe refriguiſſe ſenſerit, vt nec quidem ſimplici motu corporis ſe ſentiat incitari: & poſtquam Dominus ſic abſtulerit bella concupiſcentiæ in carne noſtra, arcum conteret tela ignita contra nos iacientis, & confringet arma, quibus nos diabolus inceſſanter impugnat. Tunc terram quiete poſſidebimus, & delectabimur in multitudine pacis. & quia hunc cælibatus ſtatum non omnes capiũt, ideo Dominus in Euangelio de eo loquens, *Sunt* (inquit) *eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, qui poteſt capere capiat.* Matth. 19. Inuenies paucos eius capere intelligentiam, & pauciores habere eius experientiam. Vnde Ioannes Caſſianus vbi ſupra: & ſunt verba ſancti Cheremonis. *An uero hæc quæ de perfectione caſtitatis dicimus, poſſibilia an impoſſibilia ſint, nemo certo examine diffinire poterit, niſi per experientam longam, & puritatem cordis ad confinia carnis, & ſpiritus verbo Domini dirigente peruenerit, iuxta illud Apoſtoli: Viuus eſt ſermo Dei, &c. pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus. Si quis autem huic aſſertioni noſtræ fidem exhibere noluerit, quæſo, vt non ante præiudicata nobis cum opinione diſceptet, quàm diſciplinæ huius ſuſcipiat inſtituta. Cæterum fruſtra de cuiuslibet artis, & diſciplinæ contendit quiſquis non prius omnia, quæ ad conſummationem eius pertinent, ſummo fuerit ſtudio, ac virtute ſectatus, velut ſi, verbi gratia, ſimilitudinem mellis ex tritico, aut rurſum ex eo ſicut etiam ex raphani, liniquc ſeminibus leuiſſimi olei liquorem produci poſſe confirmem, ſi quis horum penitus ignarus aſſiſtat; nonne contra rerum naturam hoc eſſe conclamans me velut apertiſſimi auctorem mendacij deridebit? Cui ſi ego teſtes innumeros, qui hæc ſe & vidiſſe, & guſtaſſe, & feciſſe teſtentur exhibeam, rationem inſuper, atque ordinem, quo illæ ſpecies vel in olei pinguedinem, vel in mellis dulcedinem transformentur ediſſeram. Ille autem in ſtultiſsimæ perſuaſionis obſtinatione perſiſtens neget ab illis ſeminibus quicquam vel dulcedinis, vel pinguedinis poſſe produci: nonne magis notanda eſt irrationabilis eius, pertinaxque contentio, quàm ſermonis mei veritas irridenda, quæ multorum ac fidelium teſtium grauitate, & euidentibus documentis, & quod his amplius eſt, experientiæ probatione fulcitur?* Hæc ille. Attendat autem ſibi quilibet, ne leuiter de ſe præſumat, perfectum ſe gradum caſtitatis attigiſſe quantuncumque ſit ſanctus, etiam ſi dæmonia ſubijciantur ei. Vnde legitur de beato Paphnutio, quod tanta diſtrictione vixit multis annis, vt crederet ſe a carnali concupiſcentia penitus liberari, cum cunctis dæmonum infeſtationibus ſe ſentiret præualere: contigit autem Fratribus ei ſuperuenientibus, cum aliquid pararet, quod apponeret, manum

Collat. 12. cap. 8.

Heb. 4.

De b. Pahnutio.

num ſuam aliquantulum igne combuſtam fuiſſe: triſtatus quod flam ma præualuit aduerſus eum, cui dæmonia ſubijciebantur, cum poſt triſtitiam aliquantulum obdormiſſet, ecce Angelus dixit ei: Cur Paphnuti ſic triſtaris, quia nondum tibi placatus eſt ignis terrenus, cum adhuc in te reſideat carnalium commotio voluptatum? Vade & apprehende pulchram virginem, & ſi illam tenens, tranquillitatem cordis immobilem ſenſeris perduraſſe, huius quoque ignis ardorem abſque omni diſpendio poteris tolerare. Hunc autem perfectæ continentiæ ſtatum videtur adeptus fuiſſe propheta Dauid, de quo dicitur 3. Reg. 1. quod Abiſaac Sunamitis puella pulchra nimis dormiebat cum rege in ſinu ſuo. & ſubditur: Rex vero non cognouit eam; Quod non eſt tribuendum defectui ætatis, ſed perfectioni virtutis. Nam ſenes & ſi forte impotentes ſunt ad coeundum; impotentes tamen non ſunt ad concupiſcentiam. Vnde dicebat ille ſenex: Igniculus adhuc viuit. Supra cap. proximo. ſimile audiui ego a quodam Fratre ſene pluſquam centenario. Hic interrogatus a nobis iuuenibus, an ipſe adhuc carnales concupiſcentias ſentiret; reſpondit; Ego adhuc ſum homo. Defectus ergo ætatis nõ excludit concupiſcentiam carnis, immo plerunque cum defectu ætatis creſcit carnalis concupiſcentia ſaltem cordis. Vnde ego audiui etiam a quodam altero Fratre ſanctiſſimę vitæ nonagenario, quo modo ipſe in illa emortua ſenectute ſua vehementiores infeſtationes carnales ſuſtinuit concupiſentiæ, quàm vmquam in ſua pertulerit iuuentute; ita vt etiam ſæpe diabolus in ſpecie pulchræ mulieris oculis ſuis corporalibus viſibiliter appareret, de cuius concupiſcentiæ illecebra conquerebatur ſe plurimum perurgeri. Et inde dicit Chryſoſtomus, quod hęc concupiſcentia, videlicet carnalis, *deijcit pueritiam, perdit iuuentutem, illicit & inquietat emortuam ſenectutem.* Ratio autem quare ſenibus magis infeſtus eſt hoſtis, poteſt eſſe quia, vt dicit Gregorius 32. moralium: *Antiquus hoſtis plerunque hominibus tunc grauiores culpas ingerit, cum præſentis vitæ termino illos propin quare cognoſcit*: Non igitur eſt credibile, quod tantus propheta, & tantæ perfectionis vir, ſanctus videlicet Dauid, expoſuiſſet ſe periculo immmundę concupiſcentiæ, recipiendo puellam pulchram in ſinu ſuo, ſi non virtutem conſummatæ caſtitatis, & veræ continentiæ Diuino munere poſſideret. † & hoc [b] videtur innuere Gloſſa Hieronymi ſuper eodem paſſu, quæ ſic dicit: *Quæ eſt iſta Sunamitis vxor, & virgo tam feruens, vt frigidum calefaceret: tam ſancta, & caſta, vt calentem ad libidinem non prouocaret.* Ad hoc facit quod dicit Origenes ſuper Epiſtola ad Romanos 4. lib. pertractans illa verba Apoſtoli;

Greg. dialog. lib. 4. cap 2.

B. Hieronymus in 3. Reg. c. 1.

quod

quod Abraham non esset infirmatus in fide,scilicet.de promissione Isaac: nec considerauit corpus suum iam mortuum cum fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ: vbi dicit Origenes: *Dicamus Abraham non infirmitate carnis emortuum,sed secundum illam virtutem,quam sancti in semetipsis primo implentes etiam cęteros habere monent,& dicunt: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Fuit ergo in illo mortificatio ista membrorum: non incitabatur luxuria: non vrebatur libidine. Hoc idem erat, & in Sara. Et ideo scriptum est de ea; quia defecerant Saræ fieri muliebria, non enim erat in illa lasciuia muliebris, aut incontinentiæ dissolutio; nec in vsum libidinis præcipitabantur inuiti, sed solum ad promissum diuinum de posteritate aspiciebant.* Hæc Origenes. Consimilia dicit Augustinus in libro De bono coniugali. vbi etiã ait: *Non impar meritum continentiæ in Ioanñe, qui nullas expertus est nuptias,& in Abraham,qui filios generauit.* De quo etiam infra lib. 3. cap. 7. Sic etiam dicere possumus de Dauid,quod non obstante infirmitate ætatis potuisset cognouisse Abisaac, sed secundum virtutem mortificationis prædictæ continuit. Intelligendum est ergo verbum illud: *Rex non cognouit eam*, non solum actu carnalis copulationis, sed nec concupiscentia carnalis delectationis. Vnde bene dicere potuit verbum supra inductum: *Venite, & videte opera Domini*: &c. Quem statum perfectæ continentiæ videtur Bernardus quodammodo attigisse,de quo legitur;quod cum quadam nocte puella quædam instinctu dæmonis in lecto viri Dei dormientis se nudam iniecisset, ille eam sentiens cum omni pace,& silentio partem ei lectuli quem occupauerat,cessit,& in latus alterum se vertens,dormiuit. misera vero illa aliquandiu sustinens,& expectans,& deinde eum palpans,nouissime cum immobilis persisteret,illa licet impudicissima esset, erubuit, & terrore ingenti,& admiratione perfusa surgens aufugit.

Rom. 4.
Coloss. 3.
Gen. 18.
Psal. 46.
Apud Suriũ In vita S. Bern.

Hanc etiam castitatis perfectionem attigisse videtur probatissimus monachus,de quo legitur in Vitaspatrum, quod cum ipse confectus esset graui infirmitate, deportabatur de monasterio ad cellam cuiusdam virginis famulæ Dei, quæ ipsum melius † respiceret quàm possent Fratres. ipsa autem cum omni veneratione suscipiens eum,ministrauit ei propter Deum. Cumque tribus, & amplius annis ministrasset ei,cœperunt homines suspicari, quod monachus non haberet sinceram conscientiam de virgine, vtpote qui tanto tempore solus cum sola commanebat. Monachus vero audiens hæc,deprecabatur Deũ pro famula Dei,vt redderet ei mercedẽ pro tam sedulo obsequio suo. Cum autem appropinquasset dies transitus eius, cõuenerunt ad eum quàmplurimi sancti seniores,& Fratres de monasterio,& dixit eis iste

† Reficeret.

monachus: Obſecro vos domini Patres, & Fratres, vt cum defunctus fuero, tollatis baculum meum, & plantetis eum ſupra ſepulchrum meum: & cum radices miſerit, feceritq. fructum, tunc ſcietis quia mũda eſt conſcientia mea a famula Dei, quæ mihi miniſtrauit. ſi autem non fronduerit, ſcitote, quia non ſum mundus ab ea. Cum ergo vir Dei exijſſet de corpore, plantauerunt baculum eius ſicut rogauerat ſuper ſepulchrum eius, & fronduit, & accedente tempore protulit fructum, & admirati ſunt homines glorificantes Deum: Quam etiam arbuſculam ſcribit beatus Hieronymus ſe vidiſſe.

AD CAP. XXXI. NOTÆ.

a Veram caſtitatem.] *In hoc toto contextu paulo aliter habet Caſſianus.*

b Et hoc videtur.] *Sequentia vſque ad verſiculum,* Hanc etiam. *non habentur in alijs exemplarib.*

Quæ ſtatuta Ordinis in Regula, & Conſtitutionibus reducantur ad hanc communionem ſecundam. Cap. XXXII.

QValiter ſingula capitula huius ſecundi libri ſingulis certis clauſulis Regulæ innitantur, & circa eas verſentur, in ipſis ſingulis capitulis deſcriptum eſt. Quomodo autem, & quę continentur in conſtitutionibus, ad capitula eiuſdem libri reducantur perſpiciendum eſt. Et per hoc patere poterit quæ capitula Conſtitutionum ad quas clauſulas Regulæ referantur.

Ad primum igitur capitulum huius ſecundi libri, & ad clauſulam Regulæ inibi contentam refertur procemium Conſtitutionum.

Ad ſecundum Tertium, & Quartum capitula reducuntur contenta in his Conſtitutionum capitulis 3.4.7.30.31.32.33.34.35.36.37.38,39.40.& 41.

Ad quintum, Sextum, Septimum, Octauum, & Nonum capitula reducuntur contenta in his Conſtitutionum capitulis 43. in parte, 44.& 48.

Ad decimum capitulum pertinent contenta in 3.4.34.& 35. capitulis Conſtitutionum.

Ad vndecimum , & 12. pertinent contenta in cap. 13. Conſtitutionum.

Ad tertiūdecimumcap. pertinent contenta in capit. 14.Conſtitutionum.

Ad quartū decimum huius ſecundi libri pertinet proœmium& 18. cap. Conſtitutionum.

In 15.16.17.18.19.20.21.capitulis locum habent contenta in primo 2.6 8.& 10. capitulis Conſtitutionum.

In 22.& 23. locum habent ea, quæ continentur 36. & 37. caplniuis Conſtitutionum.

In 24 25.26.& 27. cap.locum habent quædam contenta circafinem ſecundi capituli,& 29 cap.Conſtitutionum.

Ad vigeſimū octauū,ad 29.30 & 31.cap. huius libri contenta in 9. 22.& 43. in parte capitulis Conſtitutionum.

F I N I S.

VITAS FRATRVM BEATI IORDANI DE SAXONIA.

Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

LIBER TERTIVS.

In quo agitur de Communione bonorum temporalium inter Regulares.

De Communione temporalis possessionis, Quando inceperit, & qualiter ab exordio rationalis creaturæ vsque ad tempora Beati Augustini sit deducta. Cap. I.



EATI *pauperes spiritu*. Matth. 5. Super quo verbo dicit Glossa: *Pauperes spiritu ij sunt, qui omnia habent, & nihil possident*. Tales erant illi, de quibus dicitur in Actibus Apostolorum. *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Hæc itaque sancta paupertas, quæ in communione temporalis possessionis consistit, est nobis multipliciter commendata. Est enim naturæ legibus complantata. In veteri lege figurata. A prophetis prænunciata. A philosophis inuestigata. A principibus gentilibus gratificata. Ab ipso Domino, & Saluatore nostro in seipso consecrata, & nobis commendata. Ab Apostolis Christi, & discipulis seruata, & prædicata. Ab Euangelistis scripto roborata. A fidelibus primitiuæ Ecclesiæ acceptata, & obseruata. Demum a beato Augustino præceptore nostro per Regulã restaurata.

Act. 4.

Paupertatis verę prerogatiuæ.

Primo inquam, hæc sancta paupertas est naturæ legibus complantata. Ab exordio enim rationalis creaturæ de iure naturali, & diuino omnia fuerunt communia omnibus: Iure autem humano introducta est proprietas, vt hoc dicatur meum, & illud tuum, pro vt habetur in Decretis dist. 8. cap. 1. Vnde Augustinus super Ioannem; *Iure* (inquit) *diuino, Domini est terra, & plenitudo eius: Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit; etiam pauperes, & diuites terra vna supportat, Iure autem humano, hæc dicitur domus mea; hæc villa mea*; & subdit,

Prærogatiua 1.

B. Augustinus in Ioã. Tract. 6.

Tolle ius Imperatoris, & quis audet dicere: Hæc villa mea est? Vnde sanctus Clemens Papa epistola 4. & ponitur in Decretis 12. q. 1. Dilectissimis, sic ait: *Communis vita omnibus est necessaria Fratres, & maxime ijs, qui Deo irreprehensibiliter cupiunt militare, & vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari; communis enim vsus omnium quæ sunt in mundo omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius, dixit hoc esse suum, & alius illud, & sic inter mortales facta est diuisio.* Et subdens allegat Platonem: *Sicut* (inquit) *non potest diuidi aer nec splendor Solis, ita nec reliqua, quæ communiter omnibus data sunt ad habendum diuidi debere, sed habenda esse communia.* Cum igitur communitas ex iure naturali, & diuino processerit, proprietas vero inoleuerit ex iure humano, constat multo perfectius esse, communia omnia habere, quàm propria possidere, & tanto maioris perfectionis, quanto diuina institutio humanis adinuentionibus antefertur. Et inde est, quod cupientes statum originalis rectitudinis formare, proprietatem rerum temporalium oportet a se penitus abdicare.

Pręrog. 2. Est etiam in veteri lege figurata. Pręceptum enim fuit leuitis, nihil debere eos in terris eorum possidere, vt legitur Num. 9. Viuebant autem de decimis aliarum tribuum, per quod figurata fuit perfectio ecclesiasticarum personarum, quæ nihil habent nisi in communi.

Pręrog. 3. Est denique a prophetis prænunciata. Isaiàs enim de talibus pauperibus loquens cap. 9. ait: *Pauperes fiducialiter requiescent*, & 39. cap. *Pauperes* (inquit) *homines in sancto Israel exultabunt*. Et iterum cap. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperem.* Et Propheta in psalmo. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Item: *Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus.* Quæ vtique omnia, & similia nequaquam sane intelligi possunt de ijs, qui necessitate sunt pauperes, de quibus dicit Augustinus in quodam sermone, quod tales murmurant, detrahunt, inuident habentibus. rapiunt, & furantur; & si non opere saltem voluntate hæc facere conantur. Et tales non appellat Saluator beatos, quia non pauperes, sed miseri sunt putandi. Intelliguntur ergo verba prædicta prophetarum, de voluntariè pauperibus propter Deum. *Talium est enim regnum Coelorum*, Qualis fuit ille, de quo prænũciauerat Zacharias propheta c. 9. *Exulta satis filia Sion: iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus venit, iustus Saluator, & pauper sedens super asinam.*

Psal. 67. Psal. 9. Matth. 5.

Pręrog. 4. Est & a philosophis inuestigata. Nam apud Platonem illa ciuitas iustissime traditur ordinata, in qua quisque nescit affectus proprios: Finxit enim Plato quandam Rempublicam, in qua omnia essent communia, vt ponitur in Decretis dist. 8. cap. 1. & 12 q. 1. Dilectissimis. Vnde etiam Tullius. *Dulcissima* (inquit) *rerum possessio communis est.* Similiter, & Socrates philosophus, Dist. 12. quęst. 11. Socrates. Item

Crates legẽdum est,

Cra-

Craton, Diogenes, & multi alij philosophi diuitias contempserunt. Vnde Hieronymus contra Iouinianũ narrat de Diogene, quod habitabat in dolio, & manu concaua bibebat, nihil volens habere superfluũ. Item, de eodẽ refert Valerius lib. 4. quod cum Alexander ad eũ in sole sedentẽ accessisset, hortareturq; eum, vt si qua ei pręstari vellet indicaret, ille respondit: De cęteris. Interim velim vt a sole mihi non obstes.

& habetur in cap. Gloria Episcopi 12. q. 2. Valerius Max. lib. 4. cap. 3.

Est nihilominus a principibus gentilibus gratificata, quia valde gratam eam habebant. Vnde Valerius narrat de Fabritio, quod refutauit aurum, & argentum sibi missum, & alia pretiosa. De quo dicitur ibi, quod continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues erat, sine vsu familię abunde comitatus, & locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare. Et ibidem de multis talibus principibus, qui refutauerunt diuitias, & quasi dedignabantur eas habere. Vnde etiam Seneca in libro De prouidentia, ait: quod Demetrius diuitias proiecit, onus illas habere mentis æstimans. & ibi sequitur: Noli contemnere paupertatem, nemo tam pauper quam natus: & de eodem ait; quomodo interdixit sibi aliquid habere, interdixit sibi & aliquid poscere: quasi diceret: Nec aliquid voluit habere, nec aliquid petere. Item ad idem est exemplum supra lib. 11. cap XXVI. in fine. Isti siquidem principes, & philosophi gentiles, etsi reliquerint omnia, non tamen Christum sequuti fuerunt: ideo a perfectione paupertatis multum defecerunt, sed quasi eam somniantes, vel procul velut odorantes aliqualem de ea notitiam habuerunt, sicut etiam de castitate supradictum est lib. 11. cap. XXXI.

Prærog. 5. Ibidem.

Est præterea paupertas voluntaria ab ipso Domino Saluatore in seipso consecrata, in eo quod ipse eam in summo in tota vita sua portauit a natiuitate vsque ad mortem. Ipse enim nouus homo veniens in mundum, sicut cum integritate originalis iustitiæ conceptus fuit atque natus, sic absque illibatione iuris naturalis & diuini in mundo extitit conuersatus, vnde in ipso solo ius naturale illæsum fuit. Propter hoc nullatenus subijciebatur legibus humanis, nisi inquantum semetipsum subijcere dignatus fuit, quare sibi omnia erant communia; quia *Domini est terra, & plenitudo eius*: nec ipse de tota rerum vniuersitate quicquam sibi vendicare tanquam suum proprium debuit; quia huiusmodi rerum diuisio, qua dicitur meum, & tuum ex iniquitate hominum processit; a qua ipse omnino immunis fuit. Ex quo patet, quod paupertas Christi fuit perfectissima, & nobilissima, vtpote quæ erat sibi connaturalis: ad cuius plenitudinem nullus vmquam hominum attingere valuit, neque valebit: sed participare quidem eam possumus, & debemus, si eius veraces discipuli esse volumus. Vnde ipse eam nobis commẽdauit multipliciter, & ad eam nos

Pręrog. 6. Psal. 23. Paupertas Christi perfectissima, & nobilissima.

inuitauit Matth. 5. *Beati pauperes spiritu &c.* Et Luc. 14. *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Item, Adolescēti interroganti quid sibi de perfectione de esset, respondit: *Si vis perfectus esse, uade, & vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me.* Matth. 19.

Prærog. 7. Matth. 4. Est rursus hæc paupertas ab Apostolis, alijsq; discipulis, qui sequuti fuerant Dominum seruata, & prædicata: Vnde de Petro, & Andrea legitur, quod relictis retibus, & naui, hoc est, omnibus, quę possidebant, sequuti sunt Dominū. & idem de alijs, vnde confidēter dicebat Petrus pro omnibus. *Ecce nos reliquimus omnia et sequuti sumus te.* Matth. 19 & hoc idē alijs prædicauerunt, & docuerūt, vt sequerētur.

Prærog. 8. Est consequenter hæc paupertas a Christifidelibus in primitiua Ecclesia acceptata, & obseruata. Nam post Ascensionem Domini, fideles, qui erant in Hierusalem in multitudine copiosa possessiones, & substantias suas vendebant, & pretia ponebant ante pedes Apostolorum, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia vt habetur Act. 4. Signanter autem ponebant pretia ante pedes Apostolorū, nō ad manus, quia ipsi sancti Apostoli, & & amici Dei indigna reputabant agrorum pretia manibus contrectari, vt dicit Augustinus in sermone De tribus generibus monachorū.

Serm. 21. ad Fratres.

Prærog. 9. Demum hanc sanctissimam paupertatem apostolicam iam diuturnitate temporis, & tepiditate hominum quodammodo abolitam, & deprauatam, vt dictum est supra lib. 1. cap. 2. B. Augustinus per suam Regulam renouare, ac restaurare cupiens, suis sectatoribus sic ait: *Et non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia.* Dedit autem nobis idem præceptor noster exemplum in seipso. Nam de eo legimus. quod reuersus ad agros proprios, propriam domum, agros, & quicquid habuit propriū uendidit: & pauperibus erogauit: & sic pauper cum pauperibus & canonicis, & Fratribus, qui sibi adhęrebant Deo seruire cœpit, in lege Domini meditans die ac nocte, quā etiam paupertatem nec postmodum Episcopus factus vmquàm deserere voluit. Vnde ipse in sermone præallegato dicit sic. *Nos non debemus habere temporalia ad possidendum, nec ego: qui episcopus sum habere debeo nisi ad dispensandum*; & infra. *Igitur Fratres licet me in cathedra episcepali uideatis paupertatem sponsam tenere congratulor, quia ipsa est Christi sponsa sanctorum possessio, beatorum vita: fidelium securitas, clericorum ornamentum; monachorum vita; nobilium pulchritudo hæc est illa sancta paupertas, quam qui tenet, & amat nulla indigentia laborare potest. Nec mirum, quia sibi datur omnium dominium possidere. Estote igitur pauperes Fratres mei, quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & deprecationum eorum audiet auris sua.*

Serm. 21. ad Fratres.

Psal. 9.

AD

AD CAP. I. NOTÆ.

a Desiderium pauperum.] *Pulchra est hac declaratio, vt is locus accipiatur etiam de pauperib. voluntarys: de qua quidem voluntaria paupertate videndus est S. Tho. 2. 2. q. 19. ar. 12. & par. 3. q. 40. ar. 3.*

b Socrates.] *Legendum* Crates, *locus autem est in c. Gloria Episcopi 5. Crates. 12. q. 2. qui desumptus est ex epist. 13. S. Hierony. ad Paulinum de institu. monach.*

c Non obstes.] *Multa etiam exempla huc spectantia habes apud Eborensem c. 2. de paupertate.*

d Secuti sunt.] *Quod est perfectionis, vt docet S. Hierony. lib. 3. in Matth.*

e Perfectissima & nobilissima.] *Extrauag. Ioan. 22. quia quorundam de verb. signif. S.Tho. par. 3. q. 35. ar. 7. & q. 40. ar. 3.*

f Ante pedes Apostolorum.] *Archiep. Salernit. de ecclesiast. reddit. par. 1. c. 2. & seq.*

De diuersis modis viuendi secundum diuersa tempora in hac communione, qua omnia censentur communia. Cap. II.

FVerunt autem diuersi modi obseruandi hanc communionē, à tempore, quo religio Christiana incepit. Nouem modi seruatæ communitatis bonorum temporalium.

Primus modus fuit in illa sanctissima cōmunione ipsius Christi, & Apostolorum. Christus enim tanquam primus fundator paupertatis Euangelicæ nihil omnino possidere voluit in hoc mundo: iuxta illud Luc. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Vnde Petrus in persona omnium loquitur confidenter: *Ecce* (inquiens) *reliquimus omnia*: Viuebant autem isti in communi de eleemosynis hominum fidelium. Vnde legitur Luc. viij. quomodo mulieres quædam sequēbantur Christum, & ministrabant ei de facultatibus suis, inter quas erant Maria magdalena & Ioanna vxor Chusę procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ a Christo fuerant a spiritibus immundis, & infirmitatibus curatæ. Modus primus. Matth. 19.

Secundus modus fuit iuxta formam Apostolorum, vt nullus Christianus haberet proprium; sed essent illis omnia communia; ita quod non tenerent prædia, nec possessiones, nec hæreditates, nec redditus; Modus secundus.

ſed omnia talia vendebant, & de pretio venditionis, ac alijs bonis a
Act. 4. fidelibus oblatis omnes communiter viuebant; vt habetur ex Actibus Apoſtolorum. Et de hoc modo habetur in Decretis xij.q. 1. Dilectiſſimis. Durauit autem iſte modus vſque ad tempus ſancti Vrbani Papæ, qui floruit circa annum Domini CCXXV. & fuit iſte Papa xvj. poſt beatum Petrum.

Modus tertius. Tertius modus viuendi Chriſtianæ religionis incepit ab eodem Vrbano, vt.ſ. Eccleſia teneret prædia, & poſſeſſiones, ac hæreditates, in communi tamen, & ſine proprio. Et ratio fuit, quia plus vtilitatis confertur eccleſiæ de prædijs & poſſeſſionibus, quàm de ipſarum pretijs; cum ex fructibus ipſarum poſſint plura, & elegantiora, & longiori tempore fidelibus miniſtrari. Et talium poſſeſſionũ, & prædiorum diſpenſatores erant Epiſcopi, qui debebant de eis, ſicut prius de pretijs ipſarum fidelibus communiter viuentibus neceſſaria miniſtrare: Adhuc enim viguit vita communis inter omnes Chriſtianos. Et de hoc modo habetur xij. q. 1. cap. Videntes, & cap. Scimus.

Quæſtio. Sed quæritur quomodo iſte Papa Vrbanus præſumpſit modum inſtitutum ab Apoſtolis immutare.

Solutio. Ad hoc dicendum, quod Apoſtoli præuidebant per Spiritum ſanctum Eccleſiã, quę erat in Hieruſalem, diſpergendam propter perſequutiones Iudæorum, & propter inſtantem deſtructionem ciuitatis, & gentis; & quod tranſituri erant ad gentes, in quibus firmanda, & perduratura erat Eccleſia: Ideo illo tempore non expediebat Eccleſiæ habere prædia in Iudæa, ſed vendebantur, vt dictum eſt. Sed poſtmodum tempore Vrbani cum Eccleſia eſſet iam quodammodo firmata in gentibus per diuerſa loca, de communi conſilio Epiſcoporum, & aliorum fidelium, hæc mutatio facta fuit ratione ſupradicta, vt xij. q. 1. cap. Futuram.

Modus quartus. Quartus modus inſurrexit poſtea tempore Conſtantini Imperatoris, & beati Silueſtri Papę, qui fuerunt circa annos Domini CCCXIII. cum pax vniuerſalis Eccleſiæ data eſſet. Tunc enim Conſtãtinus conſtituit prædia eccleſijs tribuenda; & cum hoc ordinauit, vt etiam decimas acciperent. Sed & ipſe donaria immenſa Eccleſiæ contulit, vt XCVI. diſt. c. Conſtantinus, & xij. q. prima. Futuram. Et ex tunc Eccleſia recepit prædia, & dominia bonorum temporalium: Sicque Eccleſijs ditatis, & populo Chriſtiano multiplicato Epiſcopi nimium occupabantur in diſpenſando vnicuique quod ſibi opus eſſet. & ſic tepuit iſta ſancta communio, quæ erat inter fideles. Vnde laici cœperunt ſibi prouidere de proprijs, maxime qui non renunciauerãt proprijs. Immo habere proprium fuit eis conceſſum, ſed clericis adhuc remanebant communia. Et de hoc habetur xij. quęſt. 1. Duo, & cap.

Nolo.

Nolo. & c. Non dicatis. Et iste erat quartus modus.

Quintus modus exinde surrexit, quod a tempore S. Siluestri citra, vsque ad tempora S. Augustini, inter quos fluxerunt circiter LXXX. anni, cum iam laici Christiani multa haberent propria. Hoc videntes Clerici. etiam ipsi voluerunt habere proprium; quod Augustinus factus Episcopus prohibuit, statuens, quod Clerici ei subiecti seruarent communitatem, & viuerent sine proprio. Sed quia istud statutum male seruabatur, & plurimi erant illius transgressores, Ideo reuocauit statutum, tolerans quod clerici, maxime qui nondum erant promoti, possent habere prædia si vellent, nec ipse propter hoc tolleret eis clericatum. Postmodum de consensu suorum clericorum confirmauit primum statutum; Quod nulli clerici deberent habere proprium; aliàs ipse deleret eos de tabula clericorum. vt ponitur xij. q. 1. c. Nolo. & cap. Certe. De hoc habes etiam supra lib. ij. cap. xiiij. Et durauit iste modus per multa tempora, saltem toto tempore, quo vixit B. Augustinus. Ita quod Augustinus nullo modo admisit clericos habere propria, postquam fuerat de consensu suorum clericorum sic ordinatum. Modus quintus.

Sextus modus viuēdi post hæc successit. Cum enim laici iam abundarent proprijs, sed non omnes, clerici diuiserunt inter se bona Ecclesiæ, laicis pluribus egentibus, vel quia renunciauerant, vel quia pauperes erant, quia eis nihil dabatur de bonis Ecclesiæ, quæ debebant eis esse communia. Ideo tempore Gelasij Papæ; qui sedit circa annos Domini CCCCXCVIII, ordinatum fuit, quod redditus ecclesiarum diuiderentur in quatuor partes; quarum vna cederet Episcopo, & familiæ suæ propter hospitalitatem, & susceptionem peregrinorum. Secunda clericis pro sedulitate officiorum suorum. Tertia fabricę ecclesiæ. Quarta pauperibus, & peregrinis eroganda esset. vt habetur xij. q. 11. c. Concesso vobis. & cap. Mos. Et sic adhuc isto modo bona ecclesiarum fuerunt communia saltem inter clericos. Modus sextus. De bonis Ecclesiæ in quatuor partes diuidendis.

Septims modus viuendi deinde successit. Quia enim diuisio illa in quatuor partes recessit ab aula, bona ecclesiarum diuisa sunt in præbendas, quæ assignabantur canonicis, & clericis deseruientibus in Ecclesia, qui ex ijs, non vt proprijs, sed vt communibus quilibet de sua præbenda primum sibi, & suis necessaria perciperent; si qua vero suis necessitatibus superessent, in communes vsus Ecclesiæ expenderent: & sic adhuc seruabatur aliqualiter communitas, sed tenuiter. Et hic modus habetur xij. quæst. prima. Si ergo res ecclesiæ. Modus septimus.

Sed postmodum inductus est octauus modus, qui seruatur hodie: Quod clerici præbendas suas, & ecclesiastica beneficia possideāt non Modus octauus.

vt propria, nec appropriata, ſed vt communia ſuis vſibus attributa, quæ diſpenſat eorum quiſque ſecundum conſcientiam ſuam. Si vero quis præter hæc aliunde habebat alia bona; puta, de patrimonio, aut ſua induſtria, non tamen de rebus eccleſiæ, nec nomine eccleſiæ acquiſita; talia poſſident ſicut propria, niſi quis renunciauerit per profeſſionem, ſiue votum. Et ſecundum hoc doctores iuris hodie gloſſant omnia iura antiqua, quæ dicunt clericos non poſſe propria poſſidere, quod videlicet intelligenda ſunt de eis, qui proprijs renunciauerunt, & qui præter bona eccleſiæ nihil habent. Et de iſto modo habetur xij. q. 1. Sunt manifeſte. & extra. De peculio clericorum per totum.

Ex præmiſſis apparet qualiter hæc ſanctiſſima communio regulæ Apoſtolicæ ſucceſſu temporis ſemper plus & minus laxata eſt, quia primo extendebatur ad omnes Chriſtianos, ſed paulatim remiſſa eſt in tantum vt etiam in multis clericis beneficiatis vix eius veſtigium de facto valeat reperiri. Et ideo vt, in aliquibus perſonis ſaltem Religioſis, huiuſmodi communio remaneret, Auguſtinus ſcripſit Regulam ſecundo modo ſupradicto conformem: Et iſte poteſt eſſe nonus modus, de quo ſequitur.

AD CAP. II. NOTÆ.

a De diuerſis modis.] *Hoc ipſum argumentum latiſſime & doctiſſime proſecutus eſt Marſil. Archiep. Salernit. d. lib. de Eccleſiaſt. redd. orig. par. 1. ex quo plura huc ſpectantia peti poterunt, ad amuſſim perpenſa iuxta temporum rationem.*

Qualiter beatus Auguſtinus primus communionem Apoſtolicam per Regulam renouauit. Cap. III.

Modus nonus.



Idens igitur beatus Auguſtinus iam ſuo tempore Apoſtolicę communionis obſeruantiam pene extra fines Eccleſiæ exulauiſſe, & proceſſu temporis poſſe longius ambulare, ipſe eam reuocare, renouare, ſeu reſtaurare, vel conſeruare ſatagens, conſcripſit Regulam ſumma diſcretione præcipuam, in Actibus Apoſtolorum fundatam, in qua communionem Apoſtolicam luculenter deſcripſit, quam ſuis ſectatoribus obſeruandam præcepit. Et eſt ſignanter aduertendum, quod primus reuocator, ſeu reſtaurator

Beatus Auguſtinus pri

Com-

Communionis Apostolicæ per Regulam scriptam videtur fuisse beatus Augustinus, quamuis ante eum multi fuerunt Religiosi, & sanctissimi Patres, & monachi in cœnobijs viuentes. Vnde ipse in sermone ad fratres eremitas, qui incipit: *Vt nobis per litteras* sic ait: *Videte fratres, quod ante me fuerunt multi, quos imitari debemus, non tamen, sicut ego, secundum Apostolicam vitam alios viuere docuerunt. & subdit: Attendentes omnia communiter habere, & possidere, quia in celsitudine paupertatis viuentibus non licet nisi vt vnum sit cor, et vna anima, et omnia communiter possidere.*

mus instaurator cōmunionis Apostolicæ.

Serm. 21. ad fratres.

Sane cum inter tres regulas approbatas antiquitus & in Decretis canonizatas, sancti Augustini, Basilij, & Benedicti, clarum quidem sit Regulam S. Benedicti longe alijs duabus tempore posteriorem. Illarum autem duarum, quæ alteram præcesserit, non est vsquequaque notum, cum quasi contemporanei fuerint sanctus Basilius, & Sanctus Augustinus, licet Basilius senior. Sed Augustinus Regulam suam fecit adhuc iuuenis, videlicet cum esset XXXVI. annorum, & forte Basilius senex existens edidit Regulam suam. Ad hoc facit, quod quando Augustinus fecit Regulam suam, nihil constabat sibi de regula Basilij, vt apparet ex verbis suis prælibatis.

De Regulis SS. Augustini Basilij, & Benedicti.

Basilius, & Augustinus contemporanei.

Pręter has autem regulas in Decretis approbatas est regula B. Francisci, quæ longe post circa DCCC. annos emanauit. Sed & ante tempora S. Augustini fuisse quamplures Religiosos in cœnobijs viuentes sub certis regulis, & modis viuendi patrum illorum, sub quorum institutione Deo militabant, manifestum est. Vnde de B. Serapione abbate scripsit B. Hieronymus in vitaspatrum, quod sub eius cura decemmillia monachorum viuebant. Item scribitur de monasterio S. Isidori, quod erat apud Thebaidem muro circundatum mille monachos habens, vbi Senior sedebat ad portam, ea lege recipiens intrantes, vt vlterius non exirent. Nullus eorum infirmitatem incurrit, sed cum vnicuique finis vitæ adfuit, prænoscens indicauit cæteris Fratribus, quibus valedicens lætus spiritum emisit. Tanta denique multitudo nullatenus poterat gubernari absque regula aliqua directoria, licet tales regulæ non sint per Ecclesiam solennizatæ.

De Regula S. Frācisci.

Decem millia monachi viuebāt sub Serapione abbate.

De monachis in monasterio S. Isidori vitā degētibus.

Legitur etiam in Chronicis Sigilberti, & idem in vita S. Pachomij quod B. Pachomius scripsit regulam vtrique generi monachorum aptam, quam Angelo nunciante didicerat: de qua habes supra lib. 2. cap. 18. & cap. 25. & lib. primo. cap. 15. & lib. 4. cap. 4. Et hanc nonnulli autumant eandem esse regulam, quæ attribuitur Sancto Basilio. Dato igitur, quod regula S. Basilij, vel Pachomij tempore præcessisset regulam S. Augustini; regula tamen Basilij est tota monachalis, non sic fundata super Actus Apostolorum, quemadmodum Regula

De Regula S. Pachomij.

S. Au-


S.Augustini.Quare signanter dictum est: Augustinum fuisse primum, qui vitam Apostolicam per regulam renouauit.

AD CAP. III. NOTÆ.

a Sigilberti.] *Est Chronicon Sigeberti monachi.*

b S.Pachomij.] *Hæc regula impressa est post opera Io. Cassiani edit. 5. Rom.*

Qualiter Regula S. Augustini super Actus Apostolorum est fundata. Cap. IIII.



AD videndum auté qualiter Regula B. Augustini super communione Apostolica sit fundata, est sciendum, quod licet omnes regulæ Religiosorum astruant communionem, vetent autem proprietatem; quia & hoc est de iure communi, quod nullus monachus, vel religiosus cœnobita posit habere proprium. Regulæ tamen sanctorum Basilij, & Benedicti fundatæ sunt super possessionibus & prædijs. regula vero sancti Francisci non solum possessiones, sed etiam earum pretia prohibet posidere, sed Regula S. Augustini tenet medium; concedit enim rerum possessionem in communi, vetat autem in speciali. *Non dicatis* (inquit) *aliquid proprium, sed sint uobis omnia communia*; & addit: *Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat.* Ecce quomodo fundata est Regula in Actibus Apostolorum. Sed quod adducitur ibidem ex Actibus Apostolorum: *Quotquot autem possessores agrorum, aut domorum erant, uenientes afferebant pretia eorum, quæ uendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Hæc Augustinus in Regula non ponit explicite, sed æquipollens bene exprimit, cum statim post verba præmissa subdit: *Qui aliquid habebant in seculo quando ingressi sunt monasterium, libenter uelint illud esse commune.* Quia enim ille modus viuédi Apostolorú nó fuit diu perduraturus, vt dictú est, nec posset continuari in longú, quod tanta multitudo viueret de pretijs prędiorum, quia illis cósumptis non facile occurrerent plures habentes magnas possessiones, Ideo illum modum tanquam pro illo breui tempore institutum Augustinus prætermittens posuit æquiualens conformiter tempori suo, & temporibus subsequentibus. Et secundum hunc modum Augustini non oportet quod ingredientes Religionem possessiones suas vendant,

Regulæ SS. Basilij, & Benedicti sunt fundatæ super bona stabilia.

S. Francisci Regula prædia & corú pretia accipere interdicit.

Regula S. Augustini admittit bona stabilia in com. & prohibet in particulari.

Act. 4.

Modus nouus ab Augustino introductus seruádę cómunitatis bonorú stabilium.

dant, & pretia ad pedes Prælati ponant; sed sufficit, quod ea, quæ habebant in seculo conferant monasterio, & habeant in communi; & hoc æquiualet ei, quod fiebat sub Apostolis. Vnde Vgo super eodem verbo Regulæ dicit sic: *Hoc fecerunt primitiuæ ecclesiæ Fratres. Dignum enim eis uidebatur, ut qui communem habebant gratiam, communem, & haberent substantiam; & quibus unus erat spiritus, unus esset, & sumptus.* Cuius contrarium faciunt, qui omnia relinquunt parentibus, vel hæredibus, & sic vacui ingrediuntur monasterium. Non sic fecerunt fideles qui conuertebantur ad Apostolos, qui omnia ponebant ante pedes Apostolorum. Non sic docet præceptor noster Augustinus, qui dicit, quod libenter debent velle ea esse in monasterio communia. Non sic docuit Saluator noster in Euangelio, sed ait: *Si uis perfectus esse; uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Sic fecit ipse Pater noster Augustinus, de quo legitur, quod cum redijsset ad agros proprios, venditis omnibus, & secundum modum Apostolorum pauperibus erogatis, pauper cum pauperibus qui ei adhæserant, Deo seruire cœpit. Ecce quod D. Augustinus omnia sua dedit pauperibus secundum modum Apostolorum. Sed quis fuit modus Apostolorum dandi pauperibus? Certe distribuerunt fidelibus suæ communionis, qui omnes erant pauperes; quia nihil sibi retinuerant. Poterant etiam dare aliquid alijs pauperibus, sed principaliter curabant de pauperibus suæ communionis, de quibus scriptũ est: *Distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat.* Similiter etiam fecit B. Augustinus, de quo licet legatur, quod omnia sua erogauit pauperibus, tamen de eo etiam legimus, quod ipse de patrimonio suo ædificauit monasterium in eremo. Pauperibus ergo erogasse intelligitur quando suæ congregationi dedit in communi, in qua omnes erant pauperes, pro quanto nullus eorum aliquid proprium habebat. Potuit etiam aliqua alijs pauperibus erogasse, sicut & nunc ingressuri monasterium bona sua debent dare pauperibus suæ congregationis principaliter; & quod eis contulerint, libenter illud velint esse commune. Et quod de illis pauperibus principaliter intellexerit Augustinus, innuit cum subiungit: *Nec extollantur si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerint.* Et infra: *Quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat possidendo?* Ecce quod illos de communi vita monasterij dicit pauperes. quia primo dicit: *si communi uitæ.* postea dicit *pauperibus.* Ad idem facit quod ipse dicit in Sermone De communi vita clericorum, qui incipit: *Charitati vestræ de.* Valente subdiacono, qui agros suos contulit Ecclesiæ suæ, vt inde alantur, qui sunt in proposito sanctitatis, quousque in hac vita degunt.

Vgo in expositione Regulæ. c. 1. Ver. Hoc fecerunt.

Matth. 19.

Serm. 52. ad Fratres.

De erogandis bonis in ingressu Religionis.

Serm. 53. ad Fratres.


Scri-

1. Tim. 4. Scriptum est enim, & hoc Apostolus loquitur. Qui autem suis, & maxime domesticis non prouidet, fidem denegat, & est infideli deterior. Hæc Augustinus. Per hoc tamen quod ait in Regula: *Dispergendo dare pauperibus*, inquit, quod non solum pauperibus sui monasterij, sed etiam alijs pauperibus, & etiam in ingressu Religionis potest de suis diuitijs erogare, quia dicit: dispergendo, cui concordat psalmus:
Psal. 91. *Dispersit dedit pauperibus*. Vnde ipse pater Augustinus in libro De opere monachorum loquens de ijs, qui assumunt voluntariam paupertatem erogantes omnia sua propter Deum sic ait: *Nec est attendendum in quibus monasterijs, uel in quo loco indigentibus Fratribus quisquis id quod habet impenderit; omnium enim Christianorum una respublica est.*

AD CAP. IIII. NOTÆ.

a De iure communi.] *Imò fundamentum religionis S. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 3. & q. 188. ar. 3.*

Quod Regula Sancti Augustini tam habentibus, quàm non habentibus prædia communis est. Cap. V.

Quæstio. X dictis forte videretur, quod professores huius Regulæ non possent habere prædia, & possessiones, quia Apostoli ea non habebant, immo habentes ea vendere iubebant, & eorum pretia recipiebant, sed huiusmodi Regula fundata est in Actibus Apostolorum, ergo &c.

Solutio. Sed dicendum quod Regula B. Augustini, & si expresse non concedit habere propria, non tamen prohibet, ac per hoc tacite concedit, iuxta illam regulam brocardicam: Quod non est prohibitum intelligitur esse concessum. Vnde etiam B. Augustinus in sermone De com- (Serm. 13. ad Fratres.) muni vita clericorum, qui incipit: *Charitati vestræ*, dicit de Valente subdiacono, & pluribus alijs clericis Ecclesiæ suæ, quod possessiones suas Ecclesiæ tradiderunt, & ipsa ecclesia tales possessiones, & prædia retinuit sciente, & consentiente Augustino, quæ tamen regularis fuit ecclesia, sub Regula videlicet S. Augustini. Nec obstat, quod sancti Apostoli prædia non habuerunt, nec fideles conuersos ea retinere permiserunt; quia pro illo breui tempore, quo fideles conuixerunt in Hierusalē non expediebat fidelibus habere prædia, vt dictum est supra. Et preterea quod dicitur, quòd Regula S. Augustini super

actus

Actus Apostolorum est fundata, intelligitur quantum ad illam partem in ipsa Regula expressam, non quantum ad omnia. Multa enim actitabant Apostoli, quæ non competunt omnibus professoribus huius Regulæ Ipsi enim diuidebãtur per mundum, prædicabant, diuisim incedebant, baptizabant, signa faciebant; de domo in domum non transibant: habitu non vniformi vestiti erant; neque duas tunicas, neque calciamenta, neque sacculum, neque peram, neque virgam, neque panem, neque pecuniam in zonis suis habebant. neminẽ per viam salutabant, de appositis eis manducabant, & cætera talia, ad quæ isti professores minime abligantur. Non igitur repugnat Regulæ B. Augustini habere prædia, & possessiones, nec tamen essentiale est Regulæ habere ea, sed communis est tam habentibus, quàm non habentibus. Hinc est, quod Canonici Regulares, & Norbentini, Præmonstratenses, & Victorini habent magnas possessiones & prædia, quos approbat Sancta Romana Ecclesia; Fratres vero eremitę S. Augustini, qui sub eadem Regula viuunt non habent prædia, & reputantur; inter Ordines mendicantes in iure. Similiter, & Fratres Prædicatores. Et sic patet quomodo eadem Regula tam habentibus, quam non habentibus prædia est communis. Ad hoc facit Augustinus in Regula loquens de ingredientibus monasterium: Non dicit quod prædia vendant, nec quod ea monasterio conferant; sed tacens de prædijs ait: *Qui aliquid habebant in seculo quando ingressi sunt monasterium, libenter velint istud esse commune*, innuens quod in quacunque substantia habeant, siue in prædijs, siue in rebus alijs libenter velint illud esse commune.

Cap. 2. huius libri.

Matth. & Luc. 10.

AD CAP. V. NOTÆ.

a De iure communi.]. *Imo fundamentum religionis S. Tho. 2.2.q. 186.art.3.et.q.188.art.7.*

Quod magis conforme est Regulæ Augustini non habere prædia & possessiones: quàm habere. Cap. VI.



Erũ si quęratur qui istorũ sint magis cõformes regulę; An habẽtes prędia, vel nõ habẽtes. Et quidẽ videtur pro illis. qui habent prædia esse hoc quod in Regula pręcipitur. Quod debeant habere cõmune cellarium, & cõmune vestiarium & de-

& debeat dari vnicuique quod sibi opus fuerit, quæ non bene compe tere videntur mendicantibus, & nihil habentibus. Sed, saluo meliori iudicio, æstimo quod magis conformis, & magis consona est ipsa Regula non habentibus prædia quàm habentibus. Quod apparet.

Primo ex fundamento ipsius Regulæ, est enim fundata in Actibus Apostolorum, qui prædia non habebant nec habere ea fideles sinebant, vt dictū est. Ad hoc facit quod dicit Vgo in expositione Regulæ super isto verbo: *Qui aliquid habebāt in seculo quando ingressi, sunt monasterium, libenter velint illud esse cōmune. Hoc* (inquit) *fecerunt primitiuæ Ecclesiæ fratres, qui videlicet non habebant prædia, sed uendentes ponebant pretia ante pedes Apostolorum.*

Vgo in expositione Reg. c. 1. S. Hoc fecerunt.

Secūdo hoc apparet ex processu Regulę. Nam August. in processu Regulæ tractat simul de officinis pertinentibus ad necessitatē Fratrū, puta de oratorio, de Præposito, de Presbytero, de cellario, de vestiario, de infirmario, de codicibus, & de modo eundi extra monasterium etiam vsque ad lotionem, & excussionem vestimentorum. De officinis autem spectantibus ad prædia, & possessiones nihil dicit. non de magistro curiæ; non de horreis: non de aratris: non de messoribus: non de pastoribus pecorum, aut alijs huiusmodi officialibus quicquam dicit. Quod ergo de omnibus alijs tractauerit, etiam de tam minutis, & non tractasset de rebus ita notabilibus, vnde dependeret eorum victus & sustentatio, satis videretur mirabile.

forte areæ.

Quæstio. Si quæratur, vnde ergo habebunt commune cellarium, & vnde ministrebitur vnicuique quod sibi opus fuerit? Ad hoc dicendum vno modo, quod tempore Augustini adhuc redditus Ecclesiarum, & decimæ erant communes omnibus illis, qui seruiebant altari. Ita quod de eis prouidebatur tam Clericis, quàm Religiosis deseruiētibus altari, vel alias Deo in paupertate famulantibus. Nec hoc erat tam difficile, cum essent pauca monasteria sic viuentia. Alio modo dicitur, quod de facili prouidebatur tunc talibus Religiosis, quia modicis erant contenti: & quod dicitur in Regula; *Quod distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat*; sicut etiam dicitur in Actibus Apostolorum, non est intelligendum, quod fideles, & maxime Religiosi haberent talia tunc multum abundanter, sed eo modo, sicut dicit Vgo in expositione Regulæ super illo verbo: *Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat. Hoc* (inquit) *non est sic intelligendum, quod cuique quod opus erat sic abundanter destribueretur, quod nullam haberent indigentiam. Cum enim scriptum sit de Apostolis ipsis, quod inter eos nullus egens erat, scriptum etiam legimus de ipsis, quod seruiebant Deo in frigore & nuditate.* & subdit: *In primitiua Ecclesia erat gratiæ spiritualis*

Solutio.

Act. 4.

Vgo in expositione Reg. c. 1. S. Hoc nō est.

2. Cor. 1.

lis abundantia, vt non solum modico contenti essent, sed hoc ipsum, quod nihil habebant pro summis diuitijs deputabant. De hoc melius infra lib. 4. cap. 4. Vnde etiam *B.* Augustinus monasterium suum quod fecit in eremo non fundauit super magnis prædijs, quia patrimonium suum non suffecit ad solam constructionem monasterij, nisi B. Valerius adiuuisset. Fratres etiam illius monasterij simul cum ipso patre viuebant in magna abstinentia. Vnde ipse ad eosdem Fratres in sermone De prudentia, dicit sic: *Non reliquimus seculum, vt delicate pasceremur in eremo. Et licet in eremo non semper comedatis lac butyrum caules, vel legumina, licet hoc non sumatis nisi diebus solennibus tantum, & illis, quibus visitamini a sancto Sene Episcopo Valerio: sed cunctis diebus alijs herbas crudas, panem bordeaceum, & aquam sumatis; tamen non sufficit tantum abstinere corpore, sed etiam mentem illæsam seruare debemus.* Item in alio sermone, qui incipit: *Vt nobis per litteras.* dicit sic: *licet Episcopus essem non tamen credebam paupertatem despicere: vt de numero eorum essem, de quibus dicit Apostolus: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* & infra: *cum eisdem.* f. Clericis; *in monasterio Episcopij in omni paupertate viuere incepi, non manducans carnes, nisi cum hospites veniunt, sed tantum olera, & legumina absque oleo, & butyro, sicut ante vobiscum cum gaudio consueueram.* Item in alio sermone ad eosdem Fratres dicit sic: *Non igitur tædeat vos orare. et vt psallere, & orare possitis absque magno corporis incommodo, de bonis Episcopatus Ecclesiæ Hipponensis, centum, & quadraginta vestimenta cum calciamentis, uobis dilectis fratribus meis deportari præcepi, ut tempore frigoris, quantum necesse fuerit, unusquisque recipiat, reponentes ea, et custodientes in communi uestiario cum omni diligentia, et charitate; scientes, quod uera charitas nō quærit quæ sunt sed quæ Dei. Sic autē facientes non deficietis.* Ex quibus apparet, quomodo illi fratres modicis contenti fuerint, & quomodo subueniebatur eis de bonis Ecclesiæ Hipponensis. & cum hoc etiam operabātur manibus suis, vt supra lib. 2. cap. 24 dictum est. Et sic absque prædijs, & possessionibus poterant transigere vitā suam.

Serm. 4. ad Fratres.

Serm. 21. ad Fratres. 2. Cor. 6.

Serm. 22. ad Fratres.

An Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini possint habere prædia, & possessiones. Cap. VII.



AN vero Fratres Ordinis eremitarum sancti Augustini pro statu in quo nunc existunt, possint habere prædia & possessiones, dubitari posset ex eo, quod ipsi in iure communi, & in litteris Apostolicis inter ordines mendicantium censentur.

tur. Sed sciendum, quod habere prędia redditus & possessiones non repugnat eis ex parte Regulæ; quia illa est communis habentibus, & non habentibus, vt ostensum est. Item, non repugnat eis ex parte voti, vel professionis, quia ex professione quantum ad illum articulum non obligantur nisi ad hoc, quod est viuere sine proprio. Item non repugnat eis ex parte primitiui status eorum, qui fuerũt in eremo, quia Eremitæ de iure communi possunt habere propria quantum ad Anachoretas, vel saltem habere possunt bona in communi, quantum ad Cœnobitas. Nec etiam repugnat ex parte status mendicitatis, de quo forte plus videretur. status enim mendicitatis conuenit eis, non tali modo, quod teneantur ostiatim mendicare, sed solum ex eo, quia nõ habent prędia & redditus vnde pascantur ex vno cellario, & induantur ex vno vestiario. Quapropter si a Principibus, seu a fidelibus alijs prouideretur eis de necessarijs vitę omni die, vel septimanatim, vel vna vice pro toto anno, non repugnaret statuit eorum talia accipere, & ratio est, quia non prohibentur, nec ex regula, nec ex constitutionibus, nec ex professione quin tali modo recipere possint, & per consequens non oporteret eos mendicare actualiter, licet habitudo remaneret, ex quo non habent ex seipsis necessaria vitæ, quæ tempore indigẽtiæ mendicarent, quæ habitudo competit eis ex officio euãgelizandi, vt dictum est supra. Vel posset dici ad instar eius, quod dicit B. Augustinus in libro De bono coniugali: *Cœlibatum quem Ioannes gessit in actu, Abram tenuisse in habitu; sicut etiam martyrium, quod Petrus perpessus est actu, Ioannes possedit in habitu; nec impar fuit meritum castitatis, & martyrij vtrobique*, vt dicit Augustinus. Similiter in proposito, & si Fratres isti in casu prædicto aliquo tempore non mẽdicent actu, remanet tamen eis mendicitas in habitu; Nec impar est meritum paupertatis. Et hæc intelligenda sunt secundum modificationem quam habes infra eodem libro cap. 9. ibi: Sed dices. Dico ergo hię tria.

Cap. 21.

Tres assertiones de eo an Fratres Eremitę S. Aug. possint habere prædia in communi.

Primum, quod habere prædia redditus, & possessiones licet Fratribus istis ex iuris generalis permissione.

Secundum, quod hoc licet ex priuilegij specialis concessione.

Tertium, quod non expedit, nec decet ex status essentialis conditione. Primum dictum patet, quia cum de iure communi non fuerint prohibiti, nec ratione Regulę, nec ratione professionis, nec ratione originalis institutionis, nec ratione mendicationis, vt deductum est, legitur intelligitur eis permissum a iure, ar. 30. q. 4 cap. Qui spitituale. Et cap. post cessionem. De probationis.

Nec obstat Decretalis Religionum: extremum de religiosis domibus lib. 6. vbi dicitur de religiosis mendicantibus, quod eis per quæstum

ſtum publicum tribuere victũ ſolet incerta mendicitas. Per illa enim verba non ſtatuitur ius, ſed factum recitatur. Et ſumpta ſunt illa verba ex iure ciuili Cod. De mendicantibus validis, lege vnica, lib. 11. vbi incerta mendicitas in validis reprobatur. quare nec hic illa verba ius ponunt, ſed factum dicunt: Vnde decretalis non dicit, Debet, ſed Solet. multa enim de facto ſolemus, quæ de iure non debemus. Prȩterea, dato quod illa verba ponerent ius; hoc referendum eſſet ad illos Religioſos, de quibus ibi prȩmittitur, quibus ad congruam ſuſtentationem redditus, aut poſſeſſiones habere profeſſio, ſiue Regula interdicit. Sed hoc non habet locum in Fratribus huius Ordinis, quibus hoc nec profeſſio, nec regula interdicit, vt oſtenſum eſt: immo ſtatuta Ordinis ſtrictiſsime inhibent ſub pœnis diris, ne poſſeſſiones, & redditus habiti aliquatenus alienentur. Quare illa Decretalis nequaquam tangit Ordinem iſtum quantum ad illum punctum de incerta mendicitate, ſtricte ſumendo: licet alias tangat, cum quantum ad principalem concluſionem in eadem Decretali intentam, cum hic Ordo inter mendicantes Ordines cenſeatur, vt infra cap. proximo confirmatur.

11 Secundum dictum patet ex priuilegio ſanctæ Romanæ Sedis per Dominum Alexandrum Papam IIII. Ordini indulto: Cum enim olim tempore vnionis Ordinis, de qua ſupra lib. 1. cap. 14. quidam ex Fratribus deuote paupertati affecti deſiderarent, & hoc apud Sedem Apoſtolicam procurarent, vt iuxta conceptum votum paupertatis ſpontaneæ perpetuæ, & poſſeſsionum terreſtrium abdicatio remaneret; ſuper quo etiam priuilegium obtentum extitit cum clauſula, quod fratres non poſſent cogi ad recipiendas poſſeſsiones aliquas vel habendas. ſuper quo priuilegio obtento a præfato Domino Alexando Papa IV. ſuborta fuit diſſenſio inter Fratres Ordinum diuerſorum, qui in vnum vniri debebant ex prȩcepto Apoſtolicȩ Sedis. Quidam enim, qui conſueuerant viuere de pura eleemoſyna, & mendicitate continua de hoc priuilegio gaudebant. Alij vero, qui habebant prædia, & poſſeſsiones eis ſufficientes, licet vltra hoc ex ſuperabundanti mendicarent, dicebant ſe non eſſe de numero mendicantium, ac per hoc præceptum de vnione ad eos non extendi. Alij autem, qui habebant poſſeſsiones exiguas, & cum hoc de eleemoſynis fidelium vixerant, dicebant: quia loca eorum eſſent a populorum frequentia, & cohabitatione hominum remota, quod non poſſent ex puris eleemoſynis ſuſtentari, ſi non de ſuis poſſeſsiunculis fructus aliquos reciperent. Igitur Dominus Papa memoratus volens Fratribus omnium Ordinum ad dictam vnionem ſpectantium de pace vnanimi, & charitatiua concordia mediante Domino Ri-

cardo Tituli sancti Angeli diacono Cardinali Ordinis protectore paterna solicitudine prouidere, priuilegium Ordini contulit in hæc verba.

Bulla Alexand.IIII. *Alexander Episcopus seruus seruorũ Dei Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus vniuersis Ordinis Eremitarum S. Augustini Salutem, & Apostolicam benedictionem. Iis quæ auctoritatis nostræ mandato optatum sortiuntur effectum, vt illibata permaneant, merito adijcimus Apostolici muniminis firmitatem. Sane cum in capitulo generali vestro pro vniendis vobis inuicem sub vna Ordinis obseruantia, & viuendi formula in Vrbe celebriter congregato in priuilegio quodam, quod vobis Apostolica Sedes indulsit, quidam articulus aliquibus dubius videretur.* & infra: *Quia pro eo quod quædam domus & aliqua loca vestra a populorum frequentia & cohabitatione hominum sunt remota, nec possent existentibus in eisdem necessaria victus continui commode ministrari, & sic magnam, & intolerabilem rerum temporalium penuriam paterentur si de terrestribus possessionibus & suis culturis fructus aliquos non haberent. Vt abdicationem possessionum affectantibus, quorum indigentia ex pia fidelium prouisione releuatur; & possessiones terrestres retinere volentibus satisfiat.* & infra. *Et ne possessiones retinentibus, & deinceps acquirere volentibus, nec eas nolentibus derogetur; & per tenorem ipsius* (scilicet prioris priuilegij) *in temporalibus dispendium, & in spiritualibus, vel animi duplicitas oriatur, vt volentes possessiones, ne pro corporali sustentatione, & necessariorum cura cum Martha circunquaque laboriose vagari cogantur, licite possideant habitas, & possint rationabiliter, et iuste acquirere non obtentas. Et volentes uotum prosequi spontaneæ paupertatis in suo uoto tamquam nihil habentes, et omnia possidentes sint contenti,* 2.Cor. 6. *Tenore præsentiũ, prout in generali capitulo uestro in proxime præteritis kalendis Maij celebrato in Vrbe sub alta deliberatione deliberatum est, et concorditer diffinitum, plenam licentiam, et liberam facultatem duximus concedendam; et præcipue cum tempore concessi priuilegij antedicti, quáuis in ipsius tenore non existat, hæc certe fuerit uestra intentio, et uoluntas extiterit singulorũ.* & infra: *Nulli ergo hominum, etc. Datum Viterbij, Idibus Iulij. Pontificatus nostri anno. III.* Et quod istud priuilegium sit omnibus locis Ordinis commune, apparet ex alio quodam priuilegio eiusdem Alexandri; quod incipit: *Oblata nobis, etc.*

AD CAP. VII. NOTÆ.

a Io. possidet in habitu.] *Imo actu fuit martyr, licet in martyrio non decesserit: nam in dolium feruentis olei immissus Romę illęsus euasit, vt ex Tertulliano refert S. Hieronym. de Scriptorib. Ecclesiasticis.*

b Decre-

b Decretalis illa.] *Contextus illius capitis loquitur, de his, qui ex constitutione vel regula, prohibentur habere proprium in communi, et qui ex quæstu sibi victum comparant. d. c. Religionum §. confirmatos. requiruntur. n. hæc duo copulatiuè. At* Eremitani *ex regula & constitutione non prohibentur habere in communi, licet aliquando de facto mendicent. Et idcirco ibi non comprehenduntur. atq. ita declarat ibidem Arthid. Io. And. Philip. Fran. et Gemin. quod ipsum docuere Lap. alleg. 4. nu. 2. et Federi. de Sen. cons. 12.*

Quod non est decens, neque expediens Ordini Fratrum eremitarum sancti Augustini generaliter habere prædia, & possessiones. Cap. VIII.

Sed quoniam (vt ait Apostolus) *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: Secundum dictum, videlicet quod non expedit, nec decet fratres habere possessiones, & prædia declaratur sic. Status quippe Ordinis prout nunc se habet, fundatus est super euãgelizationem, propter quem finem vocati sunt ad ciuitates, vt supra lib. 1. c. 16. Sed euangelizantes decet esse absq. solicitudine rerum temporalium; qualis præcipue exigitur circa prædia, & possessiones disponendas. Vnde Apostolus ait 1. Cor. 7. *Volo autem vos sine solicitudine esse*, & loquitur de solicitudine circa domum; & familiã, qualis incumbit ijs qui habent vxores. Item, quia ex officio euangelizandi competit eis ius de sumptibus fidelium viuendi, & sic status mendicationis comitatur statum euangelizationis. 16. q. 1. cap. Apostolicis. Igitur sicut essentiale est statui Ordinis euangelizare, ita communiter essentiale est ei mendicare, saltem quoad habitum, vel habitudinem, & si non semper quantum ad actum. 1. Cor. 6.

Præterea Ordo iste connumeratur inter Ordines mendicantium, tam in iure, quàm in facto, vt extra De electione. c. Quorumdam & De religiosis domibus. cap. Religionum lib. 6. Vnde sicut de fratribus Prædicatoribus, & Minoribus communis est æstimatio hominum in Ecclesia Dei, quod non habeant possessiones, & prędia, neque habere possint ex suo statu; sic eadẽ æstimatio est de isto Ordine, & quicquid sit de fratribus Minoribus, maxime cum iste Ordo quantum ad statum paupertatis in opinione cleri, & vulgi parificatur Ordini fratrũ Prædicatorum propter Regulę identitatem, & ritus similitudinẽ. Sed fratres Prædicatores quamquam eis non repugnet ex Regula, & pro-

fessione,quemadmodum nec nobis,quin possint talia habere,tamen non habent:Immo potestatē sibi ipsis amputauerunt per Constitutiones sui Ordinis. & hoc propter honestatē,& puritatē Ordinis conseruandā,& indecentiā,& scandalum in clero, & populo euitandū. Pari similitudine rationis non decet fratres huius religionis habere talia: Quomodo enim deceret prędicatorē paupertatis esse locupletem;inconuenienter enim prędicat.qui pauperē Christū pingui uentre,& rubentibus buccis annunciat,vt.35.dist.c.Ecclesiæ. ex quibus concluditur,quod & si fratribus habere prædia, & possessiones quouis modo liceat,non tamen expedit,neque decet.Quod etiam ex alio fonte fortius confirmatur.

Nā sicut ex antiqua consuetudine statuto roborata a senioribus patribus nostris deductū est ad nos.fratres videlicet huius religionis,nō habere circa possessiones aliqualiter occupari. Vnde Cōstitutio Ordinis 44.c.dicit sic: *Cum eos, qui ad Dei cultū de seculi perplexitate liberi cōuolarunt, quod feliciter de humana solicitudine seculo reliquerūt in religione nō deceat occupare,præsenti cōstitutione statuimus, et præcipimus inuiolabiliter obseruari,ut nulli fratres nostræ religionis extra circuitū loci, quē inhabitāt,possessiones aliquas per se uel per aliquā aliam personā possideant;sed fideliū eleemosynarū largitione contenti,quasi alieni ab occupatione seculi. Missis et orationibus,prędicationibus,ac sacræ scripturę lectionibus, Deo,qui non nisi in pace colitur,studeant humiliter diseruire.* Ecce quomodo sancti Patres nostri sanxerunt non tantum non decere,sed nec debere fratres possessiones aliquas possidere. Et potest hoc esse quartum dictū;quod roboratur ex constitutionū Ordinis prohibitione. Et hæc Constitutio facta est post priuilegium supradictū D. Papæ Alexandri IV. Quod etiā confirmatur ex quadā declaratione D. Bonifacij Papæ VIII. in priuilegio De mensura cannarū, quod incipit: Ad consequendā gloriā cælestis patriæ. Vbi sic dicit: *Illos Ordines intelligi uolumus in paupertate fundatos,qui ex regula,uel constitutionibus suis extra septa ecclesiarum monasteriorum suorum,uel officinarum eorū,et clausuras ipsorum nullas debent possessiones habere.* Hæc ibi:Ex quo manifeste colligitur, quod si ordo vult inter mendicantes, & in paupertate fundatos censeri, sicut communiter censetur, tam reputatione Romanę curię, quā vulgi æstimatione, nō debet possessiones habere debito saltem congruitatis, & si nō debito stricti iuris. Adhoc faciūt verba supra proximo capitulo inducta ex Decretali,Religionū,vbi dicitur: *Quibus uictū tribuere solet incerta mēdicitas.* Et licet ibi verbū,solet,nō imponat iuris necessitatē,vt dictū est, importat tamē facti cōgruitatē, vel quandā de cōdigno ęquitatē. Dignū enim, æquū & congruū est,vt qui volūt gaudere priuilegijs mēdicātiū in gratiosis,sint eis cōformes

Bonifacius Papa VIII declarat q sint Ordines in paupertate fūdati.

in om-

In omnibus, etiam pœnosis. Sed dices, quid ergo operatur priuilegium prædictum? Ad hoc dico, quod stante constitutione illa, priuilegium nihil operatur quoad hoc: quia ordo faciẽdo constitutionem videtur priuilegio renunciasse, quod facere potuit. præsertim, quia Papa posuit in voluntate Fratrum, qui velint possessiones tenere, & qui in nuda paupertate viuere, sed Ordo totus, & concorditer faciendo cõstitutionem elegit paupertatem, & abdicauit possessiones. Quare &c. Verum quia in potestate Ordinis est illam tollere, vt supra lib. 2. cap. xiiij. qua sublata, priuilegium staret in robore suo, valeret autem iure fori, sed forte non iure poli, hoc est, valeret quantum ad Ecclesiam militantem, sed non quantum ad Deum. dubium est, primo, ex eo, quod illa indulgentia Papæ videtur fuisse extorta per improbitatem, siue per importunitatem, & dissensionem Fratrum, quos aliter Papa nõ potuit ad vnionem reducere, qua dissensione cessante Ordo vltro venit contra priuilegium; quod attestatur indulgentiam fuisse extortam, quam indulgentiam idem Papa appellat licentiam. sed extorta licentia non est licentia, vt supra lib. 2. cap. 2. Secundo, ex eo, quod cum intentio Papæ fuerit fundare Ordinem istum ad instar aliorum Ordinum mendicantium, & propter hoc ipse in primo priuilegio ordinauerat, quod iuxta votum paupertatis spontaneæ perpetua eos possessionum terrestrium abdicatio remaneret. laxatio postmodum in secundo priuilegio subsequuta loco dispensationis superuenit, cum dispensatio non sit, nisi iuris relaxatio, sed dispensatio facta sine iusta, & rationabili causa non est dispensatio, sed dissipatio secundum Bernardum, nec releuat talis dispensatio nisi quoad Ecclesiam militantem, non quoad Deum secundum doctores. Verbigratia, si Papa dispensat cum aliquo super pluralitate beneficiorum cum cura, sine iusta, & rationabili causa, releuat eum dispensatio ad hoc quod nõ potest agi cõtra eum super beneficijs illis, & fructibus. Item, quo ad hoc, quod non dicitur furtum cõmittere, vel rapinam percipiendo fructus, sed non releuat eum a damnatione animæ. Similiter, si quis non habens filios nec sperãs se habiturum, omnia bona sua det Ecclesiæ vsufructu retento, & ipse postea habeat filios, in potestate habet Episcopus non reddere, sed iure fori, nõ iure poli: vt ait Augustinus in Sermone De communi vita clericorum, & habetur 17. q. 4. c. Quicũque vult. Sic in proposito propter priuilegium laxatiuum, & dispensatiuum superueniens, in potestate Fratrum est, si velint habere possessiones, sed iure fori, non iure poli: Quod intelligo quo ad illos Fratres, illius temporis, qui ante illud priuilegium ad possessionum abdicationem astrinxerant se ex voto, de quibus loquebatur primum priuilegium: & etiam quo ad illos Fratres moderni temporis,

In De considerat. lib. 3.

Doctrina de dispensatione.

Serm. 53. ad Fratres.

qui in bonis ciuitatibus resident, vbi possunt de eleemosynis fideliũ commode sustentari, quia in causa iusta, & rationabili [b] non subsistit. Secus autem de illis Fratribus, qui in locis Eremiticis, vel a populorum frequentatione remotis, seu etiam in castris exilibus, vbi conuenienter de eleemosynis fidelium vitam transigere nequeunt, demorantur. Ibi enim quia iusta, & rationabilis causa subest, quæ etiam in priuilegio exprimitur, possunt Fratres per illius priuilegij indulgentiam in suis conscientijs se tueri, supposita semper relaxatione constitutionis Ordinis memoratæ. Nec huiusmodi membrorum Ordinis distinctio, qua quædam loca possessiones habere, quædam vero non habere dicuntur, ipsius Ordinis corpus reponit extra statum paupertatis, iuxta determinationem D. Bonifacij Papę VIII. in priuilegio memorato, vbi sic inquit: *Quod si aliquis de Ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis, in alijs vero non habere noscatur, cum prædictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus*. Et hæc de possessionibus, & prędijs.

AD CAP. VIII NOTÆ.

a Quantum ad Ecclesiam.] *Dispensatio sine iusta causa non excusat apud Deum. Innoc. & alij in c. Cum ad monasterium. de stat. monacho. Syluest. ver. despensatio. nu. 3.*

b Non subsistit.] *Hæc opinio auctoris videtur repugnare communi opinioni canonistarum in c. 1. § confirmatos. de relig. domib. in 6. vbi docent Eremitanos posse habere bona & possessiones in communi, sicuti & Prædicatores. qua de re consulendi sunt Doctores superius citati, quod & hodie est aperte definitum Dec. concilij Tridentini sess. 25. cap. 3. de regular.*

An Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini possint habere redditus, siue conuentus in communi, siue personæ aliquæ in speciali. Cap. IX.


E redditibus vero est alia consideratio. Nã si ex essentiali modo viuendi Fratrum posset eadem esse ratio de redditibus, quæ de possessionibus & prædijs, ex accidentali tamen; & in casu

In casu videtur quod Fratres possent etiam in magnis ciuitatibus redditus posidere & in communi; neque enim hoc sic expresse in constitutionibus prohibetur. Casus autem posset esse talis: Si aliquis deuotus homo ordinaret redditus certos pro sui, & suorum anniuersaria memoria in ecclesia Fratrum perpetuo peragenda, & ne Fratres aliquādo defraudari possent, mitteret eos in actualem possessionem iuris percipiendi redditus eosdem: Vel si aliquis princeps, vel dominus pro studio generali in aliquo loco Ordinis perpetuo tenendo ordinaret redditus, ex quibus cōuentus posset sine grauamine studium supportare. Vel si aliquis pro augmento cultus diuini in aliquo loco, vbi vltra duodecim Fratres non possent de eleemosynis viuere, ordinaret redditus, ex quibus sex Fratres vltra illos duodecim posset sustentari. In his, & similibus casibus videtur fieri posse rationabiliter & iuste, quod Fratres in communi redditus tales percipiant, & quod ius posideant percipiendi eosdem redditus annuatim: Talia enim non repugnant essentiali statui paupertatis. Nam posset conuētus quolibet die sigillatim percipere annonam, vel eleemosynas pro illis sex Fratribus. Quare ergo non posset eam totam simul pro toto anno recipere vna vice.

Sed dices; quā ratione conuentus recipit redditus pro illis sex Fratribus, eadem ratione poterit habere redditus pro toto conuentu sufficientes: & sic habitudo mendicandi cassa foret; vtpote quæ numquam exiret in actum, & status mendicitatis, & titulus paupertatis eis competeret solum secundum dici, & non secundum esse. Quæstio.
Ad quod (saluo meliori iudicio) dico, quod cum Ordo secundum statum moderni temporis sit super mendicitate stabilitus, & inter mendicantes annumeratus; vt patet ex supradictis, habere redditus sufficientes pro victu & omnibus necessarijs Fratrum, non est conforme statui mendicitatis, quia habitudo mendicitatis cassa foret, vt in obijciendo dictum est, & bene; & titulus paupertatis delusorius esset; quod est contra mentem præceptoris nostri Beati Augustini, qui in sermone suo De tribus generibus monachorum ad Fratres suos in, eremo sic dicit: *Eia ergo Fratres, estote pauperes non solum verbo, sed & opere, & ueritate, attendentes quid uobis dicat, qui nostrum se fecit pretium in ara Crucis. ait enim: Beati pauperes spiritu: pauperes* (inquit) *Spiritu, sed non pauperes se simulantes. Tales sunt hypocritæ, paupertatem foris prædicantes, nullam tamen necessitatem portare uolentes.* Hæc August. Sed habere redditus exiguos, præsertim ad aliquem determinatum vsum; vtpote pro sacristia, vel libraria, seu vestiario, & similibus: dum tamen salua semper maneat frugalitas paupertatis, qua actualiter indigeant men- Solutio. Serm. 21. ad Fratres. Matth. 5.

dicare; & eatenus eis per quæstum publicum tribuat victum incerta mendicitas, hoc non æstimo paupertati Ordinis repugnare, & hoc in communi. Personæ vero in speciali suo nomine redditus habere nequaquam possunt absque scrupulo proprietatis. Ad hoc enim, quod personæ singulares possint habere redditus, duo exiguntur, videlicet, rei cõmunitas, & superioris auctoritas, iuxta illud, quod scriptum est in regula: *Consequens ergo est cum quis filijs suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte recipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur.* Oportet ergo secundum tenorem Regulæ, si redditus alicui personæ Ordinis conferantur seu comparentur, vt in rem communem redigantur, sic quod conuentui approprientur, & instrumenta super eis edenda in personis Prioris, & conuentus formentur, & quod prouentus nomine conuentus exigantur, & recipiantur. Hoc quantum ad primum. Et cum recepti fuerint sit in potestate superioris Fratri illi conferre ad suum vsum. Et ipse Frater sic debet esse affectus secundum præparationem animi, quod si forte supperior suus vellet conferre alteri, vel communitati, hoc ipse æquanimiter toleraret. Discretio tamen boni Prælati bene deferet † pati Fratris. Hoc quantum ad secundum.

Duæ conditiones excusant Fratres aliquid in particulari habentes.

Videndum pro hac materia concilij Trid. ca. 2. De regularibus sess. 25.

† Forte necessitati.

Siue ergo huiusmodi redditus a parentibus, vel propinquis, seu amicis Fratri alicui donentur, siue etiam de bonis ab ordine concessis per se, vel per alium comparantur, semper procuret vt redditus illi conuentui incorporentur, non personæ, vt cum ipse vsu eorum de licentia, eo modo, quo dictum est, potitus fuerit, ipso rebus humanis exempto redditus huiusmodi perpetuo remaneant ad conuentum, & sic erunt tria bona, primum, quia Fratri in necessarijs prouidetur, pro quanto redditus seruiunt vsui suo quo ad viuit. Secundum, quia Frater ab onere extorquendi relegatur, plerumque enim redditus male soluuntur, & contingit sępe eos iudicialiter extorqueri, quòd melius efficacius, & decentius fieri potest nomine conuentus, quàm nomine singularis personæ.

Tertium, quia memoriale post Fratrem relinquetur.

Erat quidam Frater valens, lector in Ordine, cui cum tam de patrimonio suo, quàm ex donatione fidelium amicorũ notabilis pecuniæ summa peruenisset; volens tam suę necessitati in parte, quàm Ordini de thesauro perpetuo prouidere, magnã eius pecuniæ partem impendit in libros bonos, quos ipse de licentia Prouincialis comparauit, redditus nomine eiusdem conuentus assignans, & tradens instrumẽta & literas super hoc confectas ad manum illius conuentus absolute si-

te sine conditione aliqua, seu pacto. Quo facto Prounicialis ex officio suo cum consensu Prioris, & conuentus ordinauit quod procurator conuentus redditus illos deberet recipere annuatim, & tradere illos dicto lectori ad suos vsus quoad viueret expendendos. eo vero de medio sublato, iidem redditus deberent seruire librariæ eiusdem conuentus ad perpetuum librorum augumentum. Supra qua ordinatione idem Pouincialis confici fecit patentes litteras suo ac Prioris, & conuentus sigillis, roboratas, quas tradidit præfato lectori.

Et quia modus iste videtur multum rationabilis, & a S. Augustini Regula non diformis, & maxime quia comperi plures in comparando possidendo, recipiendo, & expendendo redditus personales non sine animarum suarum periculo aberrasse, Iccirco formam huiuscemodi ordinationis pro simplicioribus hic me non piguit annotare. Et fiat nomine Prioris generalis vbi haberi potest. Alioquin nomine Prioris prouincialis; quæ forma talis est.

Forma concessionis facultatis faciendę fratribus habendi reddibus annuos in particulari.

Vide Nauar. in lib. De regularibus in ca. Non dicatis 12. q. 1.

Nos Frater N. Prior generalis, vel prouincialis prouinciæ talis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Vniuersis præsentem scripturam visuris seu audituris notum esse volumus, quod cum frater talis de bonis ad eum, seu ad ordinem iure successionis hæreditariæ deuolutis, vel de bonis sibi ab ordine concessis de nostra licentia pro conuentu tali comparauerit redditus tales, in tali loco, a talibus personis, tali tempore annis singulis percipiendos. Idemque Frater omnia instrumenta litteras, & monumenta super his redditibus edita, & confecta assignauit, & tradidit ad manus Prioris conuentus prælibati in nostra præsentia libere, & absolute. Nos igitur inspicientes eiusdem Fratris zeli puritatem, ac fidelitatem, quam ad Ordinem, & conuentum præfatum se gerere, tam in hoc facto, quàm in alijs pijs eius actibus sæpius comprobauit. Inspecta etiam indigentia Fratris memorati, auctoritate officij nostri, accedente ad hoc consensu, & bona voluntate Prioris, & conuentus antedicti, taliter duximus ordinandū, quod eorundem redditu um prouentus seruire debeant personæ præfati Fratris, ad vsus necessarios, & accommodos ad tempora vitæ suæ; Quorum etiam vsum nos sibi concedimus per præsentes. Post eius verò decessum ijdem redditus, seu prouentus eorundem annis singulis deseruiant ad librariam conuentus sæpe fati pro perpetuo librorum augumento. ad quam nos auctoritate, qua supra eosdem redditus ex nunc, prout ex tunc tenore, præsentium deputamus: interponentes etiam nostrum decretum; quod eorundem redditu um prouentus ad nullos alios vsus distrahi debeant, neq; possint; & contrarium facientes pœnas contra distractores librorum in additionibus constitutionum Ordinis promulgatas incidant ipso facto. In cuius ordinationis nostræ robur, & euidentiam sigillum nostri officij una

cum

cum sigillis Prioris, & conuentus sæpe fatorum præsentibus diximus appendendum. Actum, & datum anno Domini, &c. Vel eodem modo potuerunt deputari prouentus ad alios vsus, puta ad structuram, vel sacristiam, vel pro communi sustentatione Fratrum.

Inconueniétia quæ contingant ex conceßione redditũum Fratribus, in particulari.

Aduertendum tamen, quod licet iste modus videatur transire posse ᵃcum bonā conscientia, & absque vitio proprietatis, non tamen expedit quibuslibet Fratribus, maxime iuuenibus leuibus, habere redditus personales propter plura inconuenientia, quæ consequuntur. Tales enim quia confidunt in diuitijs, solent præualere in uanitatibus suis, scientes se habere non posse defectum. Qua propter non curant studere, nec addiscere prædicare, spernunt mendicare, pro Ordine laborare, quærunt societates priuatas tenere, familiaritates noxias habere, otio vacare, & proprijs commodis & cupiditatibus inhiare. Tales obedientias Superioris paruipendunt, statuta Ordinis non attendunt, detractionibus & discordijs intendunt, bona sua plerũque male expendunt, super alios non habentes se extollunt, & communem vitam despiciunt, & finaliter a fructu sanctæ religionis vacui in interitum vadunt.

Noui quendam Fratrem, redditus habentem personales ad suam vitam, qui exhortatus pluries per maiores suos, vt redditus suos Ordini incorporare procuraret: sed ipse redimens tempus cum verbis, ad effectum hoc deducere non curauit, sed in omnibus prædictis vanitatibus præualens, demum sicut filius prodigus alienatis clanculo redditibus, & omnibus insipienter & prodigaliter dissipatis factus est pauperior, immo miserior Frater inter omnes suos contemporaneos in rebus pariter & honore. Et nunc adhuc saltem in die nouissimo eius spiritus fiat saluus. simile exemplum in pluribus similibus sum expertus.

AD CAP. IX. NOTÆ.

a Cum bona conscientia.] *Huius generis argumentum prosecutus est Martinus Nauar. in c. non dicatis. 17.q.1. Io.Trull. de ordi.Canoni. regular.c.21. et nouissime Frater Ambros. Beltramus tract.de voto pauperta. post Syluest.ver. Religio. 6. q.7.*



Qualis

Qualis sit paupertas Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini secundum statum, quem nunc habent in Ecclesia Dei. Cap. X.

SEcundum statum autem, quem nunc tenet in Ecclesia Dei Ordo Fratrum Eremitarum S. Augustini, qualis sit eorum paupertas considerandum est. Cum enim Regula B. Augustini fundata sit in Actibus Apostolorum, vt præhabitũ est, cõstat quod paupertas istorum Fratrum, quantum est ex parte Regulæ, & secundum formam sub ipsis Apostolis ante eorum diuisionem cum habitarent in Hierusalem institutam, quæ est secundus modus superius cap. 2. prænominatus. Sed quoniam postmodum ijdem Fratres per Sedem Apostolicam ad euangelizandum verbum Dei sunt assumpti ad instar Apostolorum, & discipulorum Christi, quoad hoc competit eis primus modus, quo Christus, & Apostoli simul viuebant de eleemosynis fidelium in cõmuni. Et sic paupertas istorum Fratrũ complectitur, vtrunque modum prædictum. Nec hoc cuiquam videatur absurdum, quia & ipsi Apostoli vtrunque modum complexi sunt. Quandiu enim Apostoli conuersati fuerunt cum Christo, primum modum tenuerunt; post vero Domini Ascensionem cum simul habitarent in Hierusalem, instituerunt modum secundum, quem & ipsi simul cum alijs fidelibus seruauerunt: de quibus dicitur Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, &c.* Sed postquam per orbem diuisi fuerunt, reassumpserunt primum modum ex iussione, vel potius permissione, secundum Augustinum, ipsius Christi dicentis eis; *Euntes prædicate, quia appropinquabit regnum cælorum. Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris, nec peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam. Dignus est enim operarius mercede sua.* Et ex tunc, sicut dicit Augustinus in libro De opere monachorum, & ipsi Apostoli habebant fideles & deuotas mulieres, quæ ibant cum eis, & ministrabant eis de substantia sua, vt nullius indigerent eorum, quæ ad necessaria huius vitę pertinent: Quod beatus Paulus sibi sicut & cæteris Apostolis licere demonstrat, dicens: *Nunquid non habemus, ego scilicet et Barnabas, licentiam, sororem mulierem circunducendi; sicut et cæteri Apostoli, & fratres Domini, et Cephas?* Et subdit Augustinus; *Quod si quis putat ab Apostolis non potuisse fieri vt cum eis sancta conuersatio-*

Matth. & Luc. 10.

De opere monach. cap. 5.

1. Cor. 9.

satio-

sationis mulieres circuirent quocumque Euangelium prædicabant, vt eis necessaria de substantia sua ministrarent, Euangelium audiat, & cognoscat quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare; & loculos habebat quo mitteretur pecunia, quæ cō ferebatur vtique a bonis fidelibus eorum victui necessaria; quos loculos, Iudæ cōmendauit, & mulieres voluit vt se ad præparanda, & ministranda necessaria sequerētur, ostendēs, quod Euangelistis, & ministris Dei tamquam militibus a plebibus Dei tamquam prouincialibus deberetur. Hæc Augustinus Vnde super illo verbo Luc. 8. Vbi dicitur: quod mulieres multæ sequebantur Christum, quæ ministrabant ei de facultatibus suis, dicit Glossa: quod antiquitus mos erat Iudęorum, nec ducebatur in culpam, vt mulieres, substantia sua pascerent, & vestirent doctores. Sed quia hoc in gentibus poterat facere scādalum, Paulus abstinuit. Hæc Glossa. Similiter & nunc Fratres huius Ordinis viuunt de ijs, quæ vel ab eismet, vel ab alijs inferuntur vndecumque licite obueniant, siue, quæ in ingressu suo eorum quilibet apportauit, ad modū fidelium, qui erant sub Apostolis, siue quę fideles deuotione propria eis quotidie administrant, siue offerendo ad altare; siue alias eis propter Deum largiendo ad modum illarum sanctarum mulierum, quę Christo, & Apostolis ministrabant, siue quæ ipsi Fratres vel suis laboribus acquirendo, vel pro Dei amore mendicando comportant. De huiusmodi enim, & similibus obuentionibus, quæ omnes eleemosynarum nuncupatione censentur, Fratres secundum statum eorum modernum viuere manifestum est ad instar, vt dictū est; excepto quod non habent mulieres circumeuntes cum eis sicut Apostoli habuerūt, hoc enim non expediret, tum propter malitiam temporis præsentis ad cauēdas suspiciones malorum hominum; tum etiam propter fragilitatem humanam. Sancti quippe Apostoli quia fuerūt vera sanctitate perfectissimi, & exemplaritate, & doctrina perfectissimi omni erant suspicione maiores, atque omni inclinatione carnalis concupiscentiæ superiores; illæque mulieres non erant lasciuę iuuenculæ, sed honestissimæ, & deuotissimæ matronæ, sicut erat Maria Magdalena, & Martha, & Ioanna vxor chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, quæ sequebantur Christum, vt dicitur Luc. 8. Similiter & illæ, quę postea circumibant cum Apostolis erant sanctissimę fœminæ. Sed, sicut dicit Beatus Augustinus in Sermone 2. De communi vita clericorū: *Scio* (inquit) *quia quærentes licentiam malefaciendi quærunt sibi exemplum male viuentium. Dicit forte aliquis: imitator sum Apostolorum, volo conducere mulierem sicut Apostoli fecerunt.* O tu Frater, qui dicis hæc: Esto verus imitator Apostolorum in vita, & doctrina, & miraculis,

Ser. 53. ad Fratres.

culis,& tunc habere poteris licentiam circunducendi mulieres: tales inquam,quales erant illę Apostolorum ministræ. Sed animaduerte quàm longe tu deficias a sanctitate Apostolorum: Quare tibi expedit, vt longe facias a te consortia mulierum, vt supra lib. 2. cap. 30. cautela 2. Nec [a] tamen ritus ille ministerii omnino extraneus est Fratribus in quibusdam prouincijs, ubi quædam honestæ fœminę, & interdum viri ex deuotione circumire solent cum Fratribus in villis, & castris quando pro quæsta vadunt. In nonnullis etiam partibus quædam bonę matronæ in hospitijs Fratrum sanctæ Marthæ gerunt officium. quæ ob hoc Marthæ vulgariter nuncupantur, eo quod satagunt circa frequens ministerium erga Fratres, quarum plures noui tantæ honestatis, & religionis apud Deum, & homines, quod per eas Ordo non modicum honorem habuit, & profectum.

AD CAP. X. NOTÆ.

a Nec tamen ritus ille ministerij.] *Quod ab Apostolis actum est, vt circunducerent mulieres pro ministerio, non est trahendum in exemplum, vt recte S. August. docet, Hodie vero summa cautela esset adhibenda circa hanc consuetudinem, de quà scribit auctor, sicubi viget, nec nisi sexagenariæ admittendæ, vt de uiduis olim erat statutum ut testatur B. Clem, lib. 3. constitu. Apostolic. cap. 1.*

De relinquendo omnia in Religionis ingressu. Cap. XI.



CVm itaq. Ordo iste ad instar Apostolorum complectatur vtrunque modum tam Euangelicæ, quàm Apostolicę paupertatis; debet Frater quilibet in suo ingressu ad Religionem ad modum Apostolorum amplecti paupertatem euangelicam, & [a] renunciare omnibus quæ possidet, dicente patre nostro Augustino in Decreto obseruantiæ regularis: *Si quis venire desiderat ad congregationem Fratrum non ignorans Euangelij dictum, quo dicitur: Vendat omnia, & eroget pauperibus, & egenis. et iterum: Abneget se metipsum, & tollat crucem suam, et sequatur me, etc.* De hoc habes etiam infra lib. 4. cap. 5. Debet autem frater omnia bona sua ita nude relinquere, vt veraciter possit esse de illorum numero, in quorum personis dicitur: *Ecce nos reliquimus omnia; et sequuti sumus te*, vt supra cap. 3. & dicat cum B. Hieronymo: *Nudam crucem nudus sequar.* Exemplum in Vitas Patrũ de quodã sene, qui interrogatus a quodam

In 1. Regu. Luc. 10. & 9.

Matth. 19.

dam Fratre, quid faceret vt saluus fieret: ille expolians se vestimenta sua, & cingens lumbos suos, atque extendens manum, dixit: Sic debet nudus esse monachus & remotus ab omni materia seculari, & crucifigere se aduersus tentationes, atque certamina mundi.

Item exemplum ibidem de quodam iuuene seculari, qui volebat renunciare mundo, & frequenter eum egressum reuocabant cogitationes inuoluentes varijs negotijs: erat enim diues. Vna ergo die egressum eum dæmones circundederunt, & puluerem multum excitauerunt ante illum, ipse vero confestim despolians se, & iactans vestimenta sua currebat ad monasterium: Declarauit autem Deus vni seni dicens: Surge, & suscipe dilectum meum. exurgens ergo ille senex obuiauit illi nudo, & cognoscens causam, admiratus est, & dedit ei habitum monachalem. Deinceps ergo quando veniebant fratres aliqui ad ipsum senem perquirere eum de conditionibus varijs, respondebat eis: De renunciatione hunc fratrem requirite, quia ego ad renunciationem istius nondum perueni. Sic expoliatus, & denudatus debet esse frater quilibet in ingressu religionis quantum ad affectum interiorem, quamuis taliter denudari non oporteat, nec deceat quantum ad habitum exteriorem.

Vit pat par. 2. S. 63.

De B. Nicol. de Tolentino.

Item exemplum in beato Nicolao de Tolentino, qui cum esset ordinatus canonicus cuiusdam Ecclesiæ nobilis ad contemptum mundi cor habens accensum, intra se solicitus cogitare cœpit quam vitam posset assumere, vt perfectus fieret Dei seruus. Interea vero quidam frater de Ordine Eremtiarum sancti Augustini, qui vita, & verbo erat acceptissimus populo inter alia doctrinæ suæ verba hæc dixit: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo; quia mundus transit, & concupiscentia eius.* quæ verba mentem iuuenis sic ardenter penetrarunt, quod statim post prædicationem fratrem illum adiuit, rogans vt eum ad Ordinem reciperet, quia omnino mundum relinquere cupiebat: sed frater precibus iuuenis non annuit donec requireret voluntatem parentum, ne inde perturbatio oriretur. parentes autem audientes votum filij læti affecti laudauerunt Deum, qui sua promissa in filio perficere dignabatur. Nam ante eius conceptionem Deus eis pollicitus fuerat, tam per Angelum, quàm per sanctum Nicolaum de Baro, quod infans eis nasciturus religiosam, & sanctam vitam ducturus esset. Itaque iuuenis ad Ordinem recipitur, & probationis tempore finito, iuxta morem, & statuta Ordinis solenniter profitetur, & sic in primo suo ingressu Apostolicam vitam ducere cupiens canonicatui, & omnibus rebus mundanis renunciauit, nudus & pauper sequutus est nudum & pauperem Christum crucifixum.

1. Ioan. 2.

De B. Aug. de Terano.

Item exemplum in B. Fratre Augustino de Terano, qui cum esset

vtriusque

vtriusque iuris professor, & potens in curia regis Manfredi, & multis diuitijs & honoribus abundaret. Debellato vero dicto Manfredo a rege Carolo, timore mortis fugit in Siciliæ insulam; in qua cum incurrisset infirmitatem validam, fecit votum Deo de intrando religionem si conualesceret. Cum ergo conualuisset, disposuit intrare in Ordinem Prædicatorum, & missis duobus de famila sua præcepit, sibi aduocari fratres Prædicatores; sed illis euntibus obuiauerunt duo fratres Eremitæ sancti Augustini, quos ad dominum suum domi manentem adducunt. Quos ille videns, recepit eos curialiter, nec tamen propositum suum eis aperiens dimisit eos. indignatus autem contra famulos missos, eo quod non adduxerant fratres Prædicatores, iterato misit eos designans eorum habitum, & vocabulum; qui eũtes alios duos ex eisdem Eremitis fratribus obuios abduxerunt, quos similiter vacuos remisit: & amplius contra famulos indignatus tertio eos ad locum Prædicatorum remisit, qui euntes Angelo duce non cognoscentes locum, nec fratres, iuerunt recto itinere ad locum fratrum Eremitarum, & assumpto Priore cum alio fratre duxerunt eos ad dominum suum. Cognouit ergo vir sanctus se diuino nutu ad Ordinem fratrum Eremitarum vocatum; & diuinam bonitatem considerans, experiebatur in seipso instinctum diuinum, & propositum suum illis fratribus patefecit, & sic seculo & pompis eius funditus renuncians in virum alterum penitus est mutatus, & habitum sacræ Religionis Fratrum Eremitarum sancti Augustini assumens omnia reliquit pro Christo, nihil sibi retinens nisi vestes paucas, & communes, quibus induebatur, cætera ad vsus pauperum, & fratrum subuentionem nude relinquens. Cumque stetisset etiam in curia pœnitentiarius Domini Ioannis Papæ, xxij. annis, in quibus potuisset vt alij pœnitentiarij Summi Pontificis abundanter pecunias congregare, nũquam tamen voluit aliquid præter necessarium victum, & vestitum, intantum vt ad extremam horam veniens nihil omnino ipse haberet, imitatus patrem suum sanctissimum Augustinum, cuius nomen, & habitum, & professionem tam feruenti deuotione portauerat, quod nec in morte, sicut nec in vita quicquam haberet. Vnde testamentum nullum fecit: quia vnde faceret pauper Christi non habuit.

Vocatio B. Aug. de Terano ad ordinẽ S. August. vere miraculosa.

Item exemplum de quodam iuuene fratre, nobili quidem genere, quia de prosapia comitum regni Angliæ, sed animi virtute nobiliore. hic diuino afflatus spiritu pompis seculi renuncians, Ordinẽ fratrum Eremitarum S. Augustini est ingressus: Sed amici eius secundum seculum, inimici vero secundum Deum, qui valde de hoc dolebant, retrahere nitebantur ad seculum, pollicentes ei magnos honores, diuitias, & potentiam in regno. Sed iuuenis in Dei amore fixus hæc omnia

Exemplum Notabile Iuuenis Anglici.

nia

niá vilipendebat; & sic in bonis principijs religionis permansit inflexibilis per totum annum probationis. Termino igitur professionis adueniente amici fortius insistunt mutare molientes iuuenis animũ, & nunc blanditijs eum alliciunt, nunc minis, & terroribus concutiunt: Rex quippe præceperat eum non violentari, sed suo libero arbitrio relinquendum. Sed Christi miles nec blandimentis seducitur, nec terroribus concutitur. Demum vero cum sibi nimium infesti essent, ipse intendens vexationem redimere, dixit se deliberare velle, & quicquid Deus sibi daret eligendum, apparere deberet hora profitendi. læti efficiuntur satellites diaboli sperantes iuuenem a suo proposito resiliturum. constituto ergo tempore, & hora profitendi confluunt multi proceres, & nobiles regni afferentes secum pretiosarũ vestium apparatum, quibus idem iuuenis indueretur. stabant autem consanguinei sui, & amici secundum seculum ad vnam partem; ad aliam vero constitutus fuit Prior cum fratribus suis, positaque erant secularia vestimenta ad vnam partem, ad aliam iacebat habitus Ordinis; ipse vero Christi athleta constituitur in medio dimicaturus contra diabolum, & pompas eius. Cumque Prior proponeret, vt in talibus moris est, quomodo oporteret eum de duobus vnum eligere; vel ire ad amicos, & indui vestibus illis pulchris: vel manere in Ordine, & indui veste despicabili propter Deum; confestim iuuenis spretis consanguineis, & amicis mundanis, & illorum vestimentorum pompa hilaris ad cappam cucurrit, ipsamq; brachijs astringens coram Priore se prostrauit, & professionem suam recipi postulauit. O quantus fletus multorum fiebat: Fratres præ amore congratulantes saluti iuuenis, & tam eleganti exemplo præstito in hoc facto. Flebant amici seculares præ dolore. Nonnulli vero flebant ex quadam pia compassione, & deuotione, eo quod tam nobilis iuuenis tam ardẽter, & alacriter, ad Christi militiam conuolaret. Videntes autem amici quod aliud non restabat, pietate moti ipsum Priori commendant, & Fratribus. Ipse iuuenis professione facta, sicut in nouitiatu cœperat actibus deuotionis insistere, sic nunc professus studuit semper de bono in melius proficere. & sic in vita, & in morte eius, multis miraculis claruit.

AD CAP. XI. NOTÆ.

a Renunciare omnibus.] *Modum iuxta argumentum huius capitis præscribit S. Basil. in regul. fusioribus interrogat. 9.*

De obser-

De obseruantia veræ & sanctæ paupertatis, & fructibus mendicitatis. Cap. XII.

SEd quia minus est se despoliare rebus temporalibus in Religionis ingressu, nisi & quis in tali se nuditate conseruet in toto vitæ suæ progressu: Iccirco requiritur, vt sicut frater renunciauit omnibus secũdum Regulam Euangelicam, sic etiam studeat in paupertate viuere secundum regulam Apostolicam, in qua fundata est Regula S Augustini, vt dictum est. Exemplum in Apostolis, de quibus legimus, quod voluntarie omnibus relictis, in toto progressu vitæ suæ seruierunt Domino in fame, & siti, & frigore, & nuditate, & cætera. 2. Cor. 12.

Sciendum autem, quod assumentes huiusmodi paupertatem Religionis sunt in quadruplici genere. Quidam namque sunt, qui ad veram paupertatem nunquam perueniunt, nec in Religionis ingressu, nec in toto vitæ suæ progressu; & hi sunt pessimi. Alij sunt, qui bonum initium, habent in ingressu, sed deficiunt in progressu; & hi sunt mali, & plerunque efficiuntur deteriores primis. Quidam vero habent ingressum vitiosum, sed proficiunt in progressu, & aliquando fuerunt valde boni. Quidam autem sunt qui bonum habent initium in ingressu, & in melius proficiunt in progressu, & optime concludunt in progressu; & ij sunt optimi. Quatuor genera pauperum.

Primi sunt qui ficta intentione, vel aliorum coactione, vel propriæ inopiæ compulsione nituntur intrare Religionem. Hi, quia voluntariam paupertatem non amplectuntur, quia vellent potius in seculo abundare si possent; in hac voluntate in toto progressu perdurantes nequaquam possunt dici pauperes spiritu. Contra quos dicit B. Augustinus in Sermone De tribus generibus monachorum: *Beati* (inquit Saluator) *pauperes spiritu: Non qui dura sub grandi necessitate patiuntur: tales enim murmurant, detrahunt, inuident habentibus, rapiunt, & furantur; & si non opere, saltem voluntate hoc adimplere conantur: Ideo beatos tales non appellat Saluator, quia non pauperes, sed miseri sunt putandi. Beati ergo pauperes spiritu, sed non paupertatem simulantes. Tales sunt hypocritæ paupertatem foris prædicantes, non tamen necessitatem portare volentes*. Hæc Augustinus. Et quia horum paupertas quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire, hoc solo reputant se felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris habere non poterant. & sic contingit illa detestanda peruersitas, quam Augustinus tantopere execratur in Regula. Vt in monasterio Primum genus. Serm. 21. ad Fratres.

vbi fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. De hoc genere fuit
Act. 5. Ananias, & Sapphira: De quibus habes infra eodem lib cap. 14. Item
Hiſt. Eccleſiaſtica Soc. lib. 3. c. 1. de hoc genere fuit Iulianus apoſtata, qui ficta, & peruerſa intentione monachus factus ſub habitu monachali latens ad imperium aſpirauit, & obtinuit, & tam fidem Chriſtianam, quàm monachatum abiecit.

Genus 2. Secundi ſunt, qui bonum, & ſanctum habent propoſitum in ingreſſu, ſed deficientes in progreſſu male concludunt egreſſum, qui vt dicitur prouerbialiter; Iuuenes angeli fiunt, antiqui vero diaboli ſunt. & efficiuntur quandoque deteriores primis; quia, vt dicit B.
Epiſt. 137. Auguſtinus & ponitur 47. diſt. cap. Quantumlibet: *Simpliciter fateor Charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores quàm qui in monaſterijs profecerunt; ita non ſunt expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt*. De hoc genere fuit Iudas; de quo
Serm. 8. ad Fratres. Auguſtinus in Sermone De perſeuerantia dicit ſic: *Incipite Fratres mei, & perſeuerate, reducentes vobis ad memoriam à quanto bono receſſit Iudas, & quomodo feruenter bene agere cœpit lingua vobis nullatenus explicare poſſem, quomodo tamen perſeuerauerit ſcitis*. & ſubdit: *Ecce Salomon per inconſtantiam corruit. ſic et Saul, ſic et multi alij, quia multorum incipere fuit, ſed perſeuerantium paruus eſt numerus*. Hæc Auguſtinus, qui ibidem plura dicit de hac materia. Exempla autem modernorum habes ab hac parte eadem cap. 15.

Genus 3. Tertij ſunt, qui corrupta intentione, vel neceſſitata voluntate incipiunt, ſed poſtmodum rectificata intentione, & conuerſa voluntate laudabiliter agunt, & bene concludunt. Exemplum de hoc genere habes in B. Paulo primo Eremita, qui primo metu mortis fugit
De S. Paulo primo Eremita. ad Eremum; ſed poſtmodum neceſſitatem in voluntatem vertit; & factus eſt princeps vitæ anachoriticæ.

Item ad idem eſt exemplum moderni temporis, quod audiui à quodam ſancto patre, cuius tempore accidit quod narro. Erant duo boni ſocij de ordine vagorum, qui diu illa hiſtrionica libertate per mundum fuerant diuagati, quorum vnus demum compunctus latenter a ſocio ſe abſtraxit, & in quodam incluſorio, quod erat in nemore ſe recepit, vbi per aliquot annos pœnitentiam agens deuotione ſedula Domino ſeruiebat. At vero ſocius eius vehementer admirans quonam iſte deuenerit, totam illam circumiens regionem, ipſum ſollicitus requirebat; qui tandem audiens, quomodo quidam homo ignotus in tali nemore in quadam ſpelunca incluſus habitaret, cogitare cœpit, an forte ille ſocius ſuus eſſet, & gradu concito illuc properauit. Cognito ergo, quod ipſe eſſet, non modico

modico exhilaratus gaudio, cœpit velle illum allicere vt exiret, & ad pristinam societatem rediret, asserens quomodo mundus modo multo floridior, & delectabilior foret quàm prius, & multa talia oblectamenta ei indicauit. Ille vero in timore Dei iam fundatus, nullatenus acquieuit. sed cum iste propulsare aures illius non cessaret, ille tandem antiquæ artis ingenio, vel forte diuino nutu cogitans quomodo vexationem suam redimeret, & arte artem falleret, ait ei: Si tu poteris lapidem ab ore speluncæ remouere, & me extrahere, tecum ibo: erat enim spelunca illa vndique clausa, & non nisi desuper per vnum foramen introitus, & exitus patebat, quod tamen foramen grandi lapide claudebatur. Quod iste audiens efficitur lætus, quasi iam clari socij adepto consensu; Nec mora, ascendit superius, lapidem amouit, & socium ingenio, quo potuit, extraxit: cumque simul per nemus pergerent, dixit ille, qui fuerat inclusus ad socium suum. Ah quod sum oblitus, remansit in cella sacculus pecuniæ, vis reuertamur, & tollamus eum? Qui respondit: omnino tollemus eum nobiscum. Redeuntes ergo cum venissent ad cellam, dixit ille qui intus fuerat: Ego longa sessione debilitatus non bene valeo ascendere, ascende ergo tu, & intra, & pecuniam apud caput lectuli quæres: & cum ille intrasset, ille post eum ascendens lapidem ad os speluncæ aduoluit, sociumque intus inclusit, & descendens ad fenestram ait: Care frater, ego spero in misericordia Dei, quòd iam emendauerim peccata mea, sede tu hic per tantundem tempus, & emenda peccata tua Deo, quia satis diu diabolo seruiuisti; sed iste putans esse iocum, rogauit vt se exire permitteret. Ille autem fortius obfirmans speluncam dixit ei quod animum suum applicaret, quia inde non esset exiturus: hortabatur autem eum quotidie verbis sanctis, & ei sedule ministrabat. Ipse autem primitus cum magna impatientia, & indignatione audiuit eum. sed illo crebrius orante pro eo, & salubribus monitis, & exemplis sanctorum Patrum eum continue exhortante paulatim verbis exhortantis animum adhibere cœpit, & tandem accedente Dei gratia necessitatem in voluntatem vertit, & sic ambo in sancto proposito perdurantes vitam suam feliciter terminauerunt.

Quarti sunt, qui pure propter Deum Religionem sanctæ paupertatis amplectuntur, & in ea semper de bono in melius proficiunt, sicque contra omnes tentationum incursus legitime certantes, vsque in finem irrefragabiliter perseuerant; hi sunt optimi, & eis debetur corona vera, & sanctæ paupertatis. Vnde Augustinus in præallegato Sermone De perseuerantia ad Fratres Eremitas sic ait: *Fratres mei (sicut ait Apostolus) non potest coronari, nisi qui legitime* Genus 4. Serm. 8. ad Fratres. 2. Tim. 2.

 certaue-

certauerit: Nullus enim legitime certat, nisi qui usque in finem in campo certat, ideo merito coronatur. Non est igitur magnum bonum, inchoare quod bonum est; sed consummare, hoc solum perfectum est: multi enim multa aggrediuntur, sed deficiunt in uia; multi exeunt in desertum, sed pauci perueniunt ad terram promissionis. O Fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat certantem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum.

De hoc glorioso genere pauperum fuerunt sancti Apostoli, & electi illi monachi & religiosi, qui relictis omnibus nudi nudam crucem sunt sequuti. De quorum numero fuit B. Frater Nicolaus de Tolentino, qui in magna paupertate voluntarie assumpta viuebat in Ordine. Hic habebat consobrinum quendam, qui erat Prior in quodam monasterio diuitiarum prope ciuitatem Firmanam, qui conspiciens viri sancti paupertatem, nuditatem, atque egestatem, affligitur, eique compatiens dixit: Vt quid tantam pateris miseriam, Tui Ordinis conditio miserrima est, nec religionis præcepta aspera poteris adimplere, Tuæ igitur consule iuuentuti, & huius monasterij gaudeas vbertate: constrictus namque cognationis ligamine non possum tuam in tanta miseria conspicere iuuentutem. At vir sanctus iaculum tentationis ex suasione diabolica esse cognoscẽs, in Ecclesia dicti monasterij orationem deuotissimam ad Deum fudit. Cælestis autem agricola, qui non vult eos, qui ad aratrum eius manum mittunt, retro aspicere, sibi flexis genibus, & sursum eleuatis manibus & dicenti: *Dirige domine in conspectu tuo uiam meam*, subito scutum bonæ voluntatis cõtra dictum tentationis iaculum contribuit salutare: mox namque in eadem Ecclesia in loco vbi orabat, viginti iuuenes in duobus quodammodo choris induti vestibus albis, faciebusque rutilantibus eidem pariter astiterunt vnanimiter clamantes: Tolentino, Tolentino, Tolentino erit finis tuus, In vocatione qua vocatus es maneas, in ea namque erit salus tua. Qui intelligens quod non homines videret, sed Angelos Domini, qui eum monuissent, sicut ipse post magnum tempus quibusdam secretius reuelauit, prænuncians nempe, quod ibi esset moriturus.

De B. Nicol. de Tolentino.

Psal. 5.

Quoniam autem huic veræ, & sanctæ paupertati super qua fundatus est Ordo Eremitarum sancti Augustini status mendicitatis essentialiter est annexus, vt superius est ostensum, non debet verecundari Frater quilibet cuiuscunque status in Ordine fuerit mendicare, & eleemosynas accipere; quia hoc non cedit ei ad vituperium, sed ad magnum honoris, & profectus spiritualis præconium. Ex hoc enim Fratres sortiuntur tria bona.

Primum

Primum, quia per hoc Christo & Apostolis conformantur, qui de eleemosynis viuebant, vt supra dictum est. Tria bona ex mendicitate.

Secundum, quia per hoc radix superbiæ in eis curatur. sicut enim dicitur De pœnit. dist. 2. cap. Si quis. Oportet hominem per contraria & aduersa curari, vt superbiam per humilitatis exercitium; sed actus immensæ humilitatis est mendicare; quo quis se inferioribus subdit, petendo ab eis vilia temporalia, quæ ipse contempsit.

Tertium, quia per hoc, meritum eis cumulatur. Si enim Angelus Domini numerat vestigia cuiuslibet boni hominis amore Dei in itinere laborantis, vt supra lib. 2. cap. 30. in fine. quanto potius numerabit vestigia boni fratris sub obediētia pro Dei amore per terminos, & quæstas pro communitate fratrum circumeuntis? Quis enim dubitet itineris laborem, fatigationis sudorem, mendicationis ruborem a sanctis Angelis numerari, & in conspectu Altissimi præsentari, vt secundum quod quis laborauerit, sibi merces reddatur.

Exemplum in Vitis Patrum de B. Arsenio, qui cum esset comes palatinus sublimis in palatio Imperatoris Theodosij omnia relinquens venit in Eremum, & in quadam necessitate coactus est petere eleemosynam; de quo multas gratias egit Deo. De S. Arsenio.

Item exemplum in B. Alexio, qui cum esset diues, & nobilis sponsam suam cum omnibus rebus mundi propter Christum relinquens abijt; qui etiam gaudebat, & Deum laudabat, quod a seruis suis meruerat eleemosynam accipere. De S. Alexio.

Item exemplum de B. Nicolao de Tolentino, qui nulla cibaria libenter gustabat, nisi illa, quæ per eum, vel per alios fratres pro amore Dei fuerant mendicata. De S. Nicolao de Tolentino.

Noui quosdam seculares diuites, qui ex deuotione, occulte tamen, mendicauerunt panem pro amore Dei, quem manducarent; & ipsi de suo decuplum, & amplius pauperibus erogabant.

Noui etiam fratrem, qui erat valens lector in Ordine. hic quandocunque potuit habere opportunitatem, rogauit fratrem eleemosynarium, vt eum assumeret cum ipsum contingeret panem per ciuitatem mendicare; quod & sæpe fecit. In quo idem lector magnæ humilitatis exemplum præbuit, sciens fructum eleemosynæ maiorem consistere in accipiente, quàm in dante. Vnde etiam præter prædictos tres fructus, quos frater ex actu mendicationis consequitur, iste est quartus, quod per hoc proximus ad pietatem inuitatur, & sic frater particeps efficitur meriti illius, qui dat eleemosynam, pro quanto ipse eum ad hoc inuitauit, & sua petitione induxit. Quomodo fructus eleemosynæ plus consistit in accipiendo quā in dando.

Nec extimet frater mendicans se rem alienā omnino accipere cum eleemosyna sibi datur, quia debetur sibi quodammodo ex debito, & Fratres accipientes eleemosy-

ná non accipiendum rem penitus alienã. Quadrupli ci ratione debetur eleemosyna Fratribus mendicantibus a populis. 1. Cor. 9.

si non ex debito stricti iuris, saltem debito charitatis, vel forte debito naturalis æquitatis, & hoc patet ex quatuor.

Primo ex eo quod fratres prædicant auctoritate Ecclesiæ, & Prælatorum. & ideo possunt dicere quibus prædicant, quod dicit Apostolus 1. Cor. 9. *Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum si vestra temporalia metamus*: & ideo fideles ad suum debitum soluendum, curialiter, & cum humilitate admonentur, cum ab eis eleemosyna postulatur, & vbi fideles non sufficienter necessaria ministrant, Prælati ordinarij, quorum cooperatores sunt ipsi fratres, ad hoc ex iuris debito tenentur. & quod istud debitum eleemosynæ Apostolus Paulus non exegit sicut alij Apostoli, singularis supererogationis in eo fuit.

Secundo, quod ministri altaris existunt.

Tertio, ex eo quod studio sacræ scripturæ insistunt.

Quarto, quia omnia sua pro Christo in vsus pauperum reliquerunt: de quibus habes plenius supra lib. 2. cap. 26.

AD CAP. XII. NOTÆ.

a De perseuerantia.] *De hac ipsa S.Tho. 2.2.q.128. & q.137. passim. c. apostolus c. mirandum, & c. multi cum seq. de pœnit. dist. 2.*

b Per contraria & aduersa curari.] *Id quod perspicue etiam docet S. Gregor. homil. 32.*

An, et quomodo liceat Fratri Ordinis Eremitarum S. Augustini habere aliquid in speciali. Cap. XIII.



QVia vero sæpe contingit Fratrem aliquem pro sua necessitate, seu commoditate de aliquo ex eis, quæ de communi non ministratur, indigere, videndum; si fratri alicui liceat quicquam in speciali habere. Et quidem de intentione B. Augustini videtur quod non, quod apparet ex tribus.

Triplici ratione ostenditur Fratres S. Augu. non posse habere aliquid in speciali.

Primo ex eo, quod dicit in Regula: *Sint vobis omnia communia*. & subdit: *Qui autem aliquid habebant in seculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune*. In quo verbo non tantum admonet sua esse monasterio eroganda, vt supra ostensum est eodem lib. cap. 4. sed nec ea pro se specialiter recipienda, quasi dicat, non tantum bona monasterij, sed & ea, quæ quilibet ingredientium apportauerit, debent esse communia, non specialia.

Secundo, hoc idem patet ex alia parte Regulæ, vbi dicit: *quod si alicui aliquid collatum fuerit, sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum cui necesse fuerit tribuatur*. Igitur si nec sua quis in suo ingressu po-

ſu poteſt pro ſe retinere, vt prætendit prima ratio, nec aliena ſibi collata recipere, vel habere, vt oſtendit hæc ſecunda ratio, videtur quod nullo modo frater poſſit quicquam in ſpeciali habere.

Tertio, hoc idem apparet exemplo ipſius præceptoris noſtri Auguſtini factis, & dictis authenticis declarato. Ipſe enim facto nihil voluit habere etiam in communi. Vnde in primo ſermone De communi vita clericorum, qui incipit: *Propter quod volui.* ipſe ſe præbens in exemplum dicit ſic: *Noſtis omnes, aut pene omnes, ſic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Epiſcopi, vt quàm poſſumus imitemur hos ſanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apoſtolorum: Nemo dicebat aliquid propriũ, ſed erant illis omnia communia.* & infra: *Cœpi Fratres boni propoſiti colligere compares meos nihil habentes, ſicut nihil habebam, imitantes me, vt quomodo ego paupertatunculam meam vendidi, & pauperibus erogaui, ſic facerent & illi, qui mecum eſſe voluiſſent, vt de cõmuni viueremus.* & infra: *Sane hoc etiam nouit charitas veſtra dixiſſe me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunq. habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, aut commune illud faciat: Eccleſiam habet per quã Deus nos paſcit. Qui volunt habere aliquid, quibus non ſufficit Deus, nec Eccleſia eius, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt, habeant libertatẽ, ſed videant vtrũ poſſint habere felicitatẽ æternam.* Item in Sermone ſecundo, qui incipit, *Charitati veſtræ: Nemo debet habere byrrum, vel lineã tunicam niſi in communi. De cõmuni accipio, & mihi ipſi, cum ſciam me commune velle habere quicquid habeo. Nolo talia offerat ſanctitas veſtra, quibus quaſi ego ſolus decentius vtar.* & infra: *Talem debeo habere veſtem, qualem poſſim, ſi non habuerit, fratri meo dare; qualem poteſt habere presbyter, qualem diaconus, & ſubdiaconus, talem volo accipere, quia in communi accipio. ſiquis meliorem dederit, vendo; quod & facere ſoleo: vt quando non poteſt veſtis eſſe cõmunis, pretium veſtis ſit commune.* Ex quibus euidenter apparet, omnino de intentione Auguſtini fuiſſe, neminem ſub ſua Regula viuere volentem debere aliquid habere in ſpeciali.

Serm. 51. ad Fratres.

Serm. 52. ad Fratres.

Sed diſtinguendum eſt de ſpeciali; quia vno modo ſpeciale alicui dicitur, quod per eum ſibi quaſi proprium extitit vendicatum. Alio modo dicitur ſpeciale illud, quod per ſuperiorem alicuius vſui ſpecialiter eſt conceſſum. Primo modo planum eſt, nullum ſub Regula S Auguſtini cõſtitutum poſſe quicquam habere in ſpeciali. & hoc modo intelligenda ſunt pro parte illa adducta. Secundo autem modo bene licet fratri habere aliquid ſpeciale. Nam de iure communi monachus poteſt habere peculium de licentia Abbatis, vt habetur Extra De ſtatu monachorum. c. Cum ad monaſterium: Quod intelligo, non vt peculium importat proprium, de quo loquitur cap. Monachi, eodẽ titulo; ſed vt peculium dicit quiddam alicui attributum, hoc etiam

Habere in ſpeciali bifariã intelligitur.

cōcedit ipſe Pater noſter Auguſtinus, qui in libro De vita clericorum, & ponitur in Decretis 12.q.1. cap. Nō dicatis. dicit ſic: *Cum huius congregationis fratres non ſolum facultatibus, ſed & etiam uoluntatibus proprijs in ipſa Ordinis ſuſceptione renunciarūt; & ſe per promiſſam obedientiam penitus aliorum poteſtati, & imperijs in Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderint; certum eſt eos nihil habere poſſidere vel accipere debere ſine Superioris licentia. Quod ſi propinquus uel amicus, uel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre uoluerit, primo quidē Priori inſinuetur, & ſic ſuſcipiatur, ſi ipſe mādauerit, uel uoluerit.* Hæc Auguſtinus. Ex quo patet, quod poteſt accipi, quod offertur alicui, de licentia ſuperioris. Hanc enim vim habet licentia ſuperioris, quod vbi ipſa acceſſerit, res non cenſetur propria, ſed communis: eo enim ipſo, quod res in poteſtate Prælati ponitur, in rem communem redacta cenſetur; & poterit Prælatus eam præbere cui voluerit. Debet etiam frater in animo ſuo ſic eſſe diſpoſitus, quod ſi Prȩlatus rem illam non ſibi, ſed alteri conferret, hoc ipſe æquanimiter toleraret. & tūc vere tenet rem illam vt cōmunem, & non vt propriam. Probantur hæc ex geſtis ipſius patris noſtri Augu-

Serm. 53. ad Fratres. ſtini in Sermone præallegato: Charitati veſtræ: vbi ipſe plures perſonas, quæ peculium habuerunt, excuſat a proprietate; & ſaluat eas per hoc, quod de ſuo ſcitu, & licentia ea habuerunt, ſicut apparet ibidem de Patritio nepote ſuo, & Valēte ſubdiacono. Item de Sereno, & Eradio diaconibus. Item de Leporio, & Barnaba presbyteris. Ex quibus manifeſte apparet, quod ſi quis profeſſus Regulā S. Auguſtini aliquod peculium habebat, ſiue profectitium, ſiue aduentitium, hoc eſt, ſiue ex ſucceſſione hæreditaria, ſiue ex induſtria, aut artificio ſibi obuenerat, dummodo de certa ſcientia, & expreſſa licentia ſui prȩlati recipiat, & teneat, tali animo, quod ad voluntatem prælati paratus eſſe velit hoc in rem cōmunem redigere omni hora; quando prælato placuerit; talis nullatenus tranſgreſſor Regulæ, aut ſuæ profeſſionis violator eſt

Licentia Prȩlati neceſſaria eſt Regulari ſubdito vt teneat aliquid in ſpeciali ad tres actus. cenſendus. Præfata autem licentia debet cadere ſuper tria, videlicet, ſuper receptionem, ſuper retentionem, & ſuper expenſionem.

Super receptionē quidem requiritur Superioris licētia, iuxta quod dicitur in Regula: *Non occulte accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, &c.* Vnde primo præſentandum eſt prælato. ſicut etiam habetur in iure cōmuni extra De ſtatu monachorum. cap. Cum ad monaſteriū: Si quicquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum; non præſumat illud accipere, ſed Superiori aſſignetur. Quod concordat ei, quod dicit Au-

Serm. 53. ad Fratres. guſtinus De vita clericorum, vt iam ſuperius fuit allegatum.

Super retentione etiam requiritur licētia, maxime ſi fuerit in ſubſtantia peculiari. Tunc enim non eſt licitum fratri apud ſe tenere, ſed debet apud procuratorem domus reponere ſecundum formam Con-

ſtitutio-

stitutionum cap. 45. vbi optime describitur forma in talibus tenenda secundum conformitatem Regulæ, & si in casu expediat apud se tenere, vel alibi deponere, ad hoc exigitur licētia specialis. vt ibidem in constitutionibus. & si liber fuerit seu vestis, vel aliquid talium inter necessaria deputandum, a Prælato accipienda est licentia, tam recipiendi, quàm vtendi.

Super expensione similiter exigitur licentia. Vnde, si liber fuerit, vendi non poterit sine licentia Prioris prouincialis, si vero res alia fuerit, vendi, vel aliter alienari sine Prioris conuentualis licentia non debebit, & si pecunia fuerit, expendi eam pro quacunque re sine licētia non licebit. & ratio est: cum enim res per præsentationem Prælato prius factam, censeatur in rem communem redacta, persona quæuis singularis illa re nec vti, nec eam expendere, nec de ea aliquid disponere poterit sine licētia, & voluntate sui superioris, cui administratio rerum communium monasterij commissa est.

Sed quia nonnulli fratres per negligentiam vel per incuriam, seu ignauiam in præmissis defecerunt tam in eorū ingressu, quàm etiam in progressu, ac per hoc numquam veri pauperes fuerunt secundum Regulam beati Augustini. Qui eorum conscientia instigante statum suum rectificare voluerint, tali eis posset consilio subueniri, vt videlicet, frater huiusmodi quęcunque bona temporalia visus est habere ex quacunque causa, vel modo, vndecumque, vel qualitercumq. omnia resignet ad manus superioris Prælati, videlicet Prioris generalis, si eius copia haberi possit, quia ei vniuersalis administratio bonorum omnium Ordinis est tradita, si vero eius copia haberi non possit, fiat ad manus Vicarij sui, vel Prioris prouincialis, & sic resignatione omnium facta cum effectu & affectu simpliciter & absolute frater ille quasi iam nudus, vt supra cap. 11. voluntati, & administrationi eiusdem superioris se subijciat, taliter affectus, quod si idem superior aliquid, vel nihil de eisdem bonis sibi ad vsum concedat, hoc æquanimiter accipiat, vt supra cap. 9. §. Personæ vero. Prælatus autem tamquam zelator salutis subditorum resignationem illam acceptet, & tunc sicut pius pater necessitati fratris prouideat, concedendo sibi & custodiam, & vsum earumdem rerum in toto, vel in parte prout saluti, & indigentiæ fratris viderit expedire. Quarum rerum vsum ipse frater quasi de manu domini gratanter accipiat, & ex tunc secundum præmissam formam de accipiendo licentiam in omnibus, se regat. Et iste modus importat fratri tria bona. Primum, quod ab omni fere proprietate denudatur. Secundum, quia si forte frater aliquid indebite contra formam Ordinis de bonis communitatis, vel aliquarum personarum Ordinis sibi per ignorātiam vendicauit, hoc

Consilium pro expurgādo vitio proprietatis ignoranter admissę

auctori-

auctoritate superioris communem administrationem, vt dictum est, habentis in rem communem redigitur, & vsui fratris legitime applicatur. Per ignorantiam ideo dixi, quia si scienter frater haberet illicite acquisita, illa ante omnia restituenda essent; nec tali ex communi concessione Prælati vsui fatris istius licite applicarentur. Tertium est, quia defectus, & negligentiæ fratris circa licentiam, quæ super recipiendo, retinendo, vtendo, & expendendo, vt dictum est, requiritur, per istum modum supplentur, & status fratris rectificatur & in tuto salutis ponitur, dummodo extunc conseruet se in illa rectitudine in futurum.

AD CAP. XIII NOTÆ.

a In spirituali habere.] *De hac quæst. consulendi sunt quos superius citauimus c. 9. Nauar. in d. c. non dicatis. 12. q. 1.*

Quomodo Deus vitium proprietatis in Religiosis vt plurimum per semetipsum vlciscitur plaga malæ mortis, exemplis antiquorum. Cap. XIV.

CVm igitur tantæ dignitatis sit paupertas voluntaria, quæ consistit in omnimoda abdicatione proprietatis, vt præhabitũ est, quod Dominus omnium, diues in omnes, eam in semetipso gestare, & sanctificare dignatus est. Hinc est, quod ipse per semetipsum professores huius sanctę paupertatis remunerare volens
Matth. 5. eorum præmium in promptu esse pollicetur, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Sic etiam e contra eius contrarium, vitium scilicet proprietatis Deus notanter in Religioso detestatur in tantum, quod ipse per semetipsum istud vitium vlciscitur: percutit enim proprietarios vt plurimum plaga malæ mortis; quod apparet inducendo per omnia tempora Christianę Religionis. & primo hoc apparet in collegio Christi, qui fuit primus magister veræ paupertatis. In eius quippe collegio habuit vnum proprietarium,
Iudas Iscariotes primus proprietarius in leg. Euãgel. scilicet Iudam, qui fur erat, & loculos habens; & ea quæ mittebantur portabat, & plura furabatur. Sed videamus qualem ipse finem accepit. Certe, Abiens laqueo se suspendit. Et quare? Vtique non tam propter crimen proditionis, quàm propter vitiũ subreptionis. Sic enim legitur Act. 1. de eo, quod *fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum,*
Ioan. 12. *& hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit*

m edins,

medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Mors quippe iniquitatis Iudæ non tam fuerũt illi triginta argentei, pro quibus vendiderat Christum, sed & omnis pecunia ab eo furtim subrepta: & hanc immediatam causam ponit Lucas suæ misertimæ mortis.

Item exemplum in collegio Apostolorum post ascensionem Domini, cum fideles, qui conuertebantur ad vitam Apostolicam, venditis agris, & possessionibus suis pretia ponerẽt ante pedes Apostolorum, sicut scribitur Act. 5. Quidã vir nomine Ananias cum vxore sua Saphira vedentes agros suos, partem posuerunt ante pedes Apostolorum, partem sibi clam reseruantes, & quoniam sic defraudauerunt Apostolos, immo quia mentiti sunt spiritui sancto, ideo in conspectu omnium Apostolorum, & aliorum circumstantium ceciderunt retrorsum, & expirauerunt. Et delati sunt ambo, vt hoc legitur etiam 12. q. 1. c. Dilectissimis, Quod factum tam crudelis vindictæ nequaquam imprecationi Petri Apostoli, sed Dei iudicio, quod prophetico spiritu Petrus annunciauit, attribuendum est, secundum Hieronymum ad Demetriadem. Anania & Sapphira ꝓprietarij puniti. Epist. 8.

Item exemplum in illa venerabili congregatione sanctorum Patrũ in Ægypto, qui in eodem loco fere circiter quinque millia diuersis cellulis habitabant. Vnde legitur in Vitas Patrum, inter quos vnus frater centum solidos, quos lina texendo collegerat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos cõsilium, quid facto opus esset. Alij dandos ecclesię, nonnulli parentibus eius remittendos, sancti vero Macharius, & Isidorus, & cæteri seniores Patres sancto in eis loquente spiritu decreuerunt fodiendos cum domino suo, dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditione. Nec hoc quisquam crudeliter factum putet, tantus namq. terror, & pauor per totum Ægyptum cunctos monachos inuasit, vt vnum solidum dimisisse grandis apud eos sit criminis. Hæc in vitas Patrum. Vit. Pat. p. 2. §. 20. De monacho Ægyptio proprietario.

Item ibidem aliud exemplum de B. Antonio: ad quem cum veniret quidam frater, qui renuncians sęculo, & res suas inter pauperes dispergens, aliquam partem sibi retinuit, quod cum B. Antonius cõperisset, dicit ei: Vade in vicũ, & compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni ad me. Cum ergo hoc fecisset frater, tam canes, quàm aues omne corpus suum propter carnes accipiendas tam dentibus, quàm vnguibus disruperunt. Cum autem venisset ad sanctum Antonium requisitus est ab eo, si fecisset quod ei preceperat. Illo autem corpus suum demonstrante laceratũ, dicit ei sanctus Antonius: Quicumque renũciant seculo, & volunt habere pecunias sic a dæmonibus lacerantur. Vit. Pat. p. 2. §. 64.

Item exemplum in collegio sancti Augustini, qui hoc vitium pro-

prie-

prietatis summe detestabatur, reputans ipsos proprietarios mortuos in Sermone De cōmuni vita clericorum, qui incipit: *Charitati uestræ*, *Malui* (inquit) *habere cæcos, uel calculos, quàm plangere mortuos: qui enim hypocrita est, mortuus est*. Et appellat hypocritam illum religiosum, qui publice professus est paupertatem, & occulte retinet aliquid proprium. Erat autem in collegio B. Augustini quidam presbyter nomine Ianuarius, de quo valde dolenter scribit idem Augustinus in alio Sermone, qui incipit: *Propter quod volui*; quod remanserat ei quædam pars pecuniæ, & quod moriens testamentum fecit. De quo facto lamentando dicit Augustinus: *O dolor illius societatis, O fructus natus non de arbore, quam plantauit Dominus*. De eodem quoque Ianuario scribit in alio Sermone ad presbyteros Hypponenses, qui incipit: *In omnibus operibus*, quomodo ipse quamdam summam pecuniæ in pariete cellulæ suæ post mortē inuentus est tenuisse. Et, quod ipso Augustino ignorante habuerat vineam, & agrum in seculo. Propter quod ipse Augustinus eum refert mortuum fuisse mala morte. *Male* (inquit) *uixit, & male mortuus est. Quomodo, uel quare male uixit? Quia quod suum erat secrete tenuit. Quomodo etiam male mortuus est? quia in fine se non cognouit, & obstinatus in suo sensu nobis ignorantibus testamentum fecit, & filium quem habebat in seculo ditauit. O vtinā saltem in fine hoc nobis dixisset, ut orantibus nobis ueniam impetrasset: nec eum fecisse pœnituit, propterea de meis non est, nec dum uiueret, erat; ligate igitur manus cadaueris eius ponentes in panno ligatos centū & undecim siclos, quos in parte cellulæ retinebat, flentes, & dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditione: Non enim licet nobis eam seruis Dei collocare & ponere in uictu, & uestitu, uel in opere monasterij, quia pretium damnationis est*. Hæc Augustinus.

Serm. 53. ad fratres.

De Ianuario proprietario sub P. August. Ser. 52. ad fratres.

Ser. 5. ad sacerdotes.

Act. 8.

Item exemplū in collegio beati Gregorij, prout ipse scribit in Dialogorum libro, de quodam fratre monasterij sui medico; quo infirmato ad mortem inuenti sunt inter medicinalia sua tres aurei: Quo cognito cœpit cogitare S. Gregorius quid ad morientis purgationem faceret, & quid in exemplum iuuenibus prouideret. Præcepit ergo vt nullus, excepto fratre suo, verbum consolatorium ei diceret, nec morienti assisteret. Quod cum frater suus ei indicasset; quomodo propter suam proprietatem sic abominabilis fratribus esset factus, ingemuit, & in gemitu, & dolore illo decessit, quem B. Gregorius in sterquilinio sepeliri iussit, & pecuniam super eum iactari, & dici: Pecunia tua tecum sit in perditione. In qua re B. Gregorius, & morienti, & viuentibus prouidit, vt videlicet amaritudo mortis culpam illius deleret, & istos pœna terreret. Quod ita factum est. Nam fratres omnes nihil quantumcumque vile apud se reseruare audebant.

Lib. 4. Dialogo ca. 55. De Monacho pprietario sub S. Gregor.

Ela psis

Elapsis autem triginta diebus, apparuit fratri suo dicens: Nunc vsque male fuit mihi, sed modo bene est, quia hodie communionem recepi: Hæc Gregorius. Et est adiiciendum, quod iste in illo gemitu, & dolore ante exitum animæ suæ tantam contritionem de peccato suo habuit, quod tam breue purgatorium recepit. Secus fuisset, si absque recognitione, & cognitione decessisset: quia tunc æternaliter damnatus fuisset: propter peccatum proprietatis De hoc facto B. Gregorij facit mentionem Decretalis extra De statu monach. cap. *Cum ad monasterium*. Vbi sic dicitur: *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit, in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo, se fecisse.*

¶ proprietarij cum eo dum in sterquilinio deponendi.

Item exemplum, quod narrat Cæsarius de quodam conuerso Ordinis Cisterciensis infirmato vsque ad mortem, qui cum communicari sacramẽto Corporis Christi deberet, illud acceptum masticare, vel deglutire nõ potuit, licet eodem die postea gallinam integram comederit. Ipso autẽ satis cito defuncto inuenti sunt circa eum quinque solidi, sicque apparuit, quare corpus Christi ipse sumere non valuit. Et hæc sunt exempla veterum.

Ad idem exempla modernorum. Cap. XV.

Ex prædictis inductiue apparet, quomodo a tempore Iudæ proditoris, & primi proprietarij hoc vitium proprietatis semper ad posteros serpuit, & semper in fine caudam malæ mortis reliquit. Et vtinam modernis temporibus nulli inuenirentur Iudaistæ, & Ananistæ, quales sunt, qui ingredientes Religionem, aliqua de bonis suis sibi occulte reseruant, sicut Ananias, & Ianuarius, siue qui postquam ingressi sunt sibi ipsis, & non communitati thesaurizantes, aliqua sine licentia acquirunt, & retinent, sicut ille frater Ægyptius, & monachus S. Gregorij. Siue qui officia monasterij habentes de bonis cõmunibus subripiunt sicut Iudas: siue qui missi ad questas, siue Terminos pro petendis eleemosynis, de petitis, & procuratis loculos faciunt, partem communitati præsentando, & partem fraudulenter, & furtiue sibi imbursando, sicut Iudas, & sui sequaces. O vtinam tales modernis temporibus nulli sint, & si forte aliqui sint, sicut (proh dolor) sunt, saltem timore tam diræ vltionis resipiscant, dolentes de præterito, & cauentes de futuro secundum cõsilium Patris nostri in Regula. Denique de modernis temporibus perpauca, & pene nulla inueni exempla de proposito isto scripta. Re-

citò autem nonnulla per me ipsum visa, & audita, & quasi palpata, ac meis temporibus experimentaliter comprobata; vtpote qui in pluribus prouincijs visitationis officium gessi, & aliàs pleraque per industriam indagaui.

Proprietarius correptus dum Missam celebraret.

Noui ego quemdam fratrem, qui a multis suspectus habebatur, quod quaidam res sine scitu & licentia superioris sui extra Ordinem retineret, quem cum ex officio meo admonuissem, exhortando vt res tales ad Ordinem reduceret, & cum benedictione potius quàm cum maledictione diaboli eas retineret; ipse quidem promisit se facturũ, sed diabolo eum retrahente non fecit. Demum, cum monitio paterna non iuuaret; neque enim contra eum procedi potuit ad pœnam, quia nihil contra eum probari poterat, ipse Deus huiusmodi (sicut dictum est) criminis vltor, cuius oculis nihil est occultum, illum valde rigorose visitauit. Quadam enim die cum ipse frater staret ad altare, & Missam celebraret, perueniens ad Agnus Dei, subito retrorsum corruens expirauit, nullum verbum loquens. Ecce sequutor Ananię quomodo similem eius mortem accepit. Ille enim in conspectũ omnium Apostolorum in prædicatione sancti Petri, vel eius denunciatione corruens expirauit. Et iste in cõspectu totius fidelis populi præsentis vltione ipsius Dei altissimi in sacramento præsentialiter ibi existẽtis cadens retrorsum miserabiliter vitam finiuit. Et sacramentum vitæ, quod ipsę confecerat, illum antequàm ab eo sumeretur, percussit ad mortem.

Alium etiam fratrem noui, qui sibi imbursare consueuerat aliqua, quæ communitati debebantur. Hic cum quadam die sanus, & alacer de ciuitate in qua comederat, redijsset ad conuentum, sedens in priuatis cameris mortuus inuentus est.

Et de alio fratre sum expertus, qui eodem vitio laborauit, & similẽ exitum in cameris priuatis accepit. Ecce sectatores Iudæ qualiter in loco ignominioso, & actũ turpi quasi effusis visceribus vitę exitum sortiti sunt.

Alium quoque fratrem mihi bene carum noui, qui inuitatus ad comedendum cum valentibus viris in ciuitate, dum lætus & hilaris epularetur in mensa inter comedentes corruit, nec vnum quidem verbum loqui potuit, & reportatus ad conuentum post paululum expirauit. De isto quidem nulla mala suspicio habebatur, sed qualis occulte fuerit, exitus declarauit. Nam in cella eius multi loculi sunt inuenti & pecunia de diuersis monetis, quã diu congregauerat, prælatis suis ignorantibus, & nihil tale de illo suspicantibus; nam pro fratre paupere habebatur, sed fuerat procurator in diuersis conuentibus, Iudã, proh dolor, imitatus, vt finalis probauit euentus.

Alium

Alium præterea fratrem noui, qui recumbens in lecto ægritudinis requisitus a Priore suo, si aliquam pecuniam haberet, nec Priori, nec cõfessori quicquã de illa pecunia voluit reuelare, & sic sine confessione, & sine recognitione, & sine sacramentis miserabiliter diem clausit extremum: & cum more solito illius corpus lauari deberet, inuenta est apud eum vna marca argẽti ligata, & insuta in tunica inferiore, qua indutus erat. Non est dubium quin vltione diuina diabolus ei os obstruxit, sicut & cæteris eiusdem criminis morbo laborãtibus facere consueuit, ne fateretur in morte, quod semper celauerat in vita, sicut de illo Ianuario refert Augustinus. Serm. 53, ad Fratres.

Item notum est mihi de quodam alio fratre, de quo similiter quod gerebat in vita mors demonstrauit. Nam cum ipse quandam summam pecuniæ apud se occultaret, etiam in mortis ægritudine constitutus, dum actu agonizaret, loqui non valens, sed manu palpitans clamidem pelliceam, qua tegebatur trahere, & sibi conseruare nitebatur, quasi timens, ne quis eã sibi auferret. Mirantibus fratribus astantibus, & commendationem animæ legentibus quid per hoc intenderet, vnus curiosior cæteris cœpit explorare, siquid in ipsa clamide absconditum esset, & ecce reperit quamdam pecuniæ summam eidẽ clamidi pelliceæ insutam, quam nec Priori, nec confessori suo reuelauerat, licet secundum bonã interpretationem præsumi possit, quod per illam palpitationem suam intenderit pecuniam absconditam in clamide reuelare: Quod laudabile esset. Fuisset tamen pœnitentia valde sera; & numquam, vel raro de hoc crimine aliquem pęnitet in extremis, quia diabolus (vt dictum est) diuina vltione claudit ora talium.

Recordor similiter de alio fratre, qui sanus videbatur, & sedens in cella sua in sede inuentus fuit mortuus; de quo post mortem inuentũ est eum plures loculos habuisse.

Item de alio fratre, qui surgens de lecto dum iret ad calefactoriũ per viam in terram cecidit, & mortuus est subito absque confessione, & cæteris sacramentis Ecclesiæ, in cuius quoque cellula plures loculi inuenti fuere.

Item de alio fratre, qui subito mortuus est, & in pariete cellæ bona summa pecuniæ est reperta, quam ita subtiliter abscõderat, quod nisi casualiter fuisset prodita, in perpetuum non fuisset inuenta. Iste habitus fuit pro bono fratre, nec quisquam suspicabatur tale crimen de eo: & ipse mihi ex officio requirenti de rebus fratrum, & hortanti, vt quicquid quisquam haberet indicaret, & cum benedictione, & decentia retineret, mentitus fuit, dicens se pauperem. & re vera non mihi, sed Spiritui sancto mentitus est, sicut dixit Petrus Ananiæ. Et

quia

quia iste sequutor fuit Ianuarij, ideo simili morte cũ Ianuario (proh dolor) interijt.

Item de quodam alio fratre, qui mihi de pecunia sua ex officio requirenti sæpe mentitus fuerat. hic ad extremam horam veniens, ne quis pecuniam, quam in cella habebat absconditam tolleret, neminem intrare permisit prętet vnum seruitorem, de quo confidebat: immo ne cuiquam pateret introitus, ante ostium cellę miser se proiecit, & sic sine recognitione, sine confessione, & sine sacramentorum perceptione miserabiliter vitam finiuit, & extunc eo mortuo, & de cella extracto, cum pecunia quæreretur, & in magna quantitate, non tamen tota inueniretur, grandis suspicionis scrupulus succreuit, ex quo inter personas nonnullas non modica turbatio est suborta, quæ nec per uisitationem superuenientem, nec per Prioris generalis solertem indaginem subsequentem potuit ad rectitudinis lineam reuocari. Ecce quomodo illa maledicta perditionis pecunia non tantum cõdemnat mortuos, sed & viuos superstites commaculat, inficit, & denigrat.

Alium adhuc noui fatrem, qui longo tempore de terminis, & alijs obuentionibus hinc inde sibi multa thesaurizauerat, & omnia absq. licentia Prælatorum suorum, & absque scitu alicuius fratris de Ordine extra Ordinem in manibus secularium retinebat. Hic tandem in loco termini sui infirmatus grauiter decubuit; quod percipiẽs Prior suus ipsum visitauit, exortans eum ad confessionem: Cui diabolus more solito ita os suum obstruxerat, vt quantumcumque instigaretur a Priore, & fratribus alijs ibi præsentibus; ipse nec peccata confiteri, nec loculos absconditos detegere voluit. & ita mortuus est sicut pecus, sine contritione, sine confessione, sine pænitentia, & absque recognitione & sacramentis. Sed post mortem suam cũ fieret inquisitio de rebus suis, bonitate personarum seculariũ de illis loculis perditionis aliquid fuit Ordini restitutum.

Ex inductis igitur exemplis tàm veteribus, quàm modernis, & ex pluribus alijs, de quibus non est scribendum per singula, apparet, regulariter verum esse, quod proprietarij semper intereunt mala morte. Et appello malam mortem; si quis se ipsum interimat, siue subitaneè intereat, seu in finali impænitentia decedat; Et si alterum Priorum duorum non eueniat, tertium infallibiliter cõtinget. Quia enim tales peccant contra spiritum sanctum, dicente B. Petro ad Ananiam Act. 5. *Anania cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te spiritui Sancto, & subdit: Non es mentitus homini, sed Deo.* Ad Sapphiram quoque eius vxorem ait: *Quid conuenit uobis tentare spiritum Domini.* Hinc est, quod illius vitij sectatores meritò, & appropriate in finali impæniten tia moriuntur.

AD

Quare Deus per semetipsum est vltor huius criminis: & quod Ecclesia in hoc est diuini iudicij exequutrix. Cap. XVI.

QVare autem per semetipsum Deus hoc crimen vlciscitur, ratio est. Cum enim Prælati in corrigendo subditorum excessus sint instrumentum Dei, & ipsi non faciliter possint hoc vitium deprehédere; quia huius criminis rei hoc a cognitione Prælatorum student occultare. Alia quippe crimina plerumque aliunde pandútur, vt fornicatio per impregnationem & partum, superbia per gestus & apparatum exteriorem. Inobedientia per commissionem & omissionem facti vetiti, vel præcepti. Ira manifestatur per rixas & contentiones, & plerumque per percussiones. Gula, & ebrietas, & plura alia vitia habent sua signa, & effectus, quibus produnt suos auctores. non sic autem de vitio proprietatis, & subreptionis, cuius auctores omnem industriam ponunt ad illud celandum; nec faciliter aliunde panduntur. Quare Deus, cui nihil celari potest, per semetipsum vindicat hoc peccatum. Specialiter in hac materia locum habet quod ipse Dominus dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Hinc est etiam, quod sancta mater Ecclesia quasi diuini iudicij exequutrix huiusmodi Deo odibiles proprietarios priuat Ecclesiastica sepultura, statuens in detestationem criminis, eos cum pecunia extra monasterium in Sterquilinio subterrandos; si eis in morte pecunia inueniatur. Secus autem si in vita, quia tunc est in vtilitatem monasterij conuertenda, vt extra De statu monach. cap. Cum ad monasterium. Ipsi etiam proprietarij a communione remoueantur altaris, & mortuis non solum est ecclesiastica sepultura interdicta: sed nec pro eis est oblatio facienda, nec Missa celebranda, vt extra eodem titulo, cap. Monachi. Et si forte per ignorantiam iuris, vel facti tales sepulti fuerint in Ecclesia vel cœmiterio, debent eorum cadauera extra ecclesiam, vel cœmiterium proijci, si sine magno scandalo potest fieri, vt extra titulo supra allegato, cap. Super quodam. Porro sicut Ecclesia diuinum iudicium exequitur in puniendo vitium proprietatis: sic econtrario diuinam acceptationē in virtute sibi contraria, scilicet paupertate voluntaria comitatur. In tantum enim abdicatio proprietatis est annexa regulæ monachali, quod nec summus Pontifex contra eam valeat dispensare, vt habetur in præallegato capitulo, Cum ad monasterium. Insuper etiam Ordo ipsos proprietarios persequitur tam in vita, quàm in morte. In vita quidem: Ait

Deut. 32.
Rom. 12.

enim B. Augustinus in Regula: *Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit furti iudicio condemnetur.* Ex quo verbo patet, quod eo ipso, quod res alicui Fratri collata fuerit, afficitur, communitati, & est communitatis, ac pertinet ad omnes; & est vtique Deo consecrata, vt dicit Augustinus in Decreto obseruantiæ regularis. Quare si quis Frater eam occultet, perinde est, ac si communitati eam subripiat. Et hoc intendit Augustinus in eo, quod ait: *Furti vindicta condemnetur.* Et hunc intellectum Augustini Ordo prosequitur in Constitutionibus 45. cap. vbi dicitur: Quod proprietarij subripientes maxime vltra valorem vnius vnciæ per sex menses incarcerentur, & nihilominus apprehendent eos omnes maledictiones, & sequela carceris, quæ est quædam mors ciuilis in Ordine. Vnde B. Augustinus etiam proprietarios reputat mortuos, dicens: *Malui habere cæcos, vel claudos plusquam plangere mortuos*: supra cap. 14. In morte vero in persequendo proprietarios Ordo iudicium Ecclesiæ comitatur.

Regul. 2.

Serm. 53. ad Fratres.

AD CAP. XV. NOTÆ.

a Restitutum.] *Plura etiam referuntur exempla in Promptuario exemplorum Discipuli. & apud Gulielmum Peraldum Episcopum Lugdunensem. in Sum. virtut. et uitio. tom. 2. cap. 13. cum seq. Tractatum verò egregium conscripsit Io. Gerson contra proprietarios:*

Quæ puncta Statutorum Regulæ, & Constitutionum Ordinis ad hanc communionem tertiam pertineant. Cap. XVII.



AD hanc sacram Communionem pertinent omnia puncta Regulæ loquentia de vita communi, De habendo omnia in communi, sicut est illud: *Et non dicatis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia.* Et habet locum in omnibus capitulis huius tertij libri. Item illud: *Qui vero aliquid habebant in seculo quando ingressi sunt monasteriũ, libenter velint illud esse commune.* Et hoc specialiter respicit quartum: Quintũ: vndecimũ, & quartumdecimũ cap. Item illud. *Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, vt occulte ab aliquo literas, vel quodlibet aliud munus accipiat,* vsque ibi: *grauius emendetur.* Item illud: *Consequens ergo est, vt cum quis filijs vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam*

quam contulerit vestem; siue quodlibet aliud inter necessaria reputandum non occulte accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur: Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur, quod pertinet ad 13. cap. Item illud, *Vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera uestra in communi fiant maiori studio, & frequentiori alacritate, quàm si uobis singulis propria faceretis: Charitas enim, de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quod communia propriis, non propria communibus anteponit. & ideo quanto amplius rem communem, quàm propriam curaueritis, tanto uos amplius proficere noueritis, ut in omnibus, quibus* † *utitur transitoria necessitas, supereminea t quæ permanet charitas*; quod etiam pertinet ad 13. cap. Item aliud quod dicit in alia regula: *Nemo sibi uendicet aliquid propriū, siue in uestimento siue in quacunque re, Apostolica enim uita præoptamus uiuere*. Item illud quod dicit in decreto obseruantiæ regularis: *Si quis autem causa necessitatis detinet id, quod ad monasterium secum portauit, necesse habebit, ubi Præpositus suus est, illud proferre, quia non poterit sibi retinere, quia per pactum ad omnes pertinet, & Deo vtique est consecratum*.

† aliter, vehitur.

Regul. 2.

Reg. 1.

Puncta autem Constitutionum ad hanc communionem pertinentia sunt hæc. Illud enim quod in secundo cap. Constit. circa finem §. Statuimus, dicitur de cōmunitate operis, locum habet in 26. cap. secundi libri, & in 13. cap. huius libri. Item illud, quod dicitur in 15. cap. Constit. de rebus Fratrum decedentium, & de modo donandi aliquam rem, locum habet cap. 13. huius libri. Item illud, quod dicitur in 15. cap. Constit. de bonis, quæ nouitius secum detulerit, locum habet in 11. cap. Item quod dicitur in 18. cap. Constit. de forma profitendi, locum habet in 14. cap. secundi libri, in 10. 11. & 14. cap. huius libri. Item quod dicitur in 20. cap. Constit. de bonis conuentus, & de bonis singulorum Fratrum sub procuratoris custodia habendis locum habet in 13. cap. huius libri. Item illud, quod dicitur in 44. cap. Constit. De possessionibus extra locum Ordinis non habendis, locum habet in 7. & 8 cap. huius libri. Item ea, quæ dicuntur in 45. cap. Constit. de modo deponendi, & retinendi res Fratrum, & de pœnis proprietariorum, & cætera ibi contenta, locum habent in 11. 12. 13. & 16 capitulis huius libri. Item illud quod dicitur in cap. 46. Constit. in fine, de rebus Fratrum petentium licentiam ab Ordine, locum habet in 13. & 16. cap. huius libri.




VITAS FRATRVM B. IORDANI DE SAXONIA

Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

LIBER QVARTVS,

In quo agitur de Communione proportionali bonorum temporalium inter Regulares.

De Communione proportionalis distributionis, quæ, & qualis sit. Cap. I.



IVIDEBANT *autem singulis prout cuiq; opus erat.* Act. 4. vbi notatur quarta Communio, quæ debet esse inter religiosos vitæ Apostolicę sectatores, scilicet Cõmunio proportionalis distributionis, quam etiam describit B. Augustinus in Regula dicens: *Et distribuatur unicuique uestrum a Præposito uestro uictus, & tegumentum, &c.* Qualiter autem ista distributio sit accpienda non omnes sane intelligunt. Quidam enim existimant, quod omnia debent esse omnibus personis eiusdem monasterij communia. & ideo æqua debeat esse distributio, vt tantum detur vni quantum alteri. Et quoniam hoc non videtur in aliquo monasterio obseruari, calumniantur facta eorũ, asserentes professores huius regulæ non recte eam seruare, hos versiculos, quasi subsannantes cõtra eos garrientes:

Nil proprium cuiquam procul hoc uitium communia quæque,
Sic loquimur, sed non utimur communibus æque.

Sed si sane intelligantur hi versus, magis sunt secundum intentionem Regulæ, quam contra eam. Addit enim Augustinus statim post verba prætacta; *Non æqualiter,* inquiens, *omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit.* Sciendum igitur, sicut habetur ex 5. Ethicorum quod æqualitas est duplex; vna secundum eamdem quantitatem. Altera secundum quamdam proportionem. Æqualitas secundum eamdem quantitatem attenditur in iustitia commutatiua, in qua fit comparatio rei ad rem. Æqualitas secundum proportionem attenditur in iustitia distributiua, in qua fit proportio rerum ad personas, & earum conditiones. Si enim personæ non sunt æquales, nec secundum valorem dignitatis, & vtilitatis Reipublicæ, puta si vnus sit dux exercitus, & alter simplex miles, vel famulus, in distributione boni communis non habebunt æqualia stipendia,

Arist. 5. Eth. c. 3. & 4.

Duplex est æqualitas iustitiæ.

pendia, ſed proportionantur eorum ſtipédia labori, vel valori vniuſcuiuſque: vt ſicut perſona excedit perſonam, ita etiam res, quæ datur vni perſonæ excedet eam, quæ datur alteri. Talis etiam diſtributio eſt in regno cælorum, teſtante Apoſtolo: *Vnuſquiſque* (inquit) *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* 1. Cor. 3. Igitur beatus Auguſtinus intendens diſtributionem in monaſterijs fieri debere non æqualiter ſecundum eandem quantitatem rei, quæ datur, ait: *Non æqualiter omnibus*: ſed decernens eam fieri æqualiter ſecundum proportionalitatem ad perſonas, adiecit: *Quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuique, ſicut cuique opus fuerit.* Hanc proportionalitatem vocat æqualitatem ſufficientiæ, vt habes infra cap. 9. Tunc res æqualiter diuiditur, cum ille, qui diuidit, vnicuique quod ſibi opus eſt, partitur, vt ibi dicitur. In lib. De clauſtro animę. cap. 6.

AD CAP. I. NOTÆ.

a Commutatiua.] *De diſtributiua, & commutatiua iuſtitia Ariſtot. 5. Ethico. c. 3. & 4. S. Tho 2. 2. q. 61. Sot. de iuſt. & iu. lib. 3. q. 5. ar. 1. quibus ex locis plura peti poterunt huc ſpectãtia, & ad ſequens cap.*

Qualiter in diſtributione attendi debeat valor perſonarum. Cap. II.



Valor autem perſonarum ſecundum intentionem Philoſophi 5. Ethicorum oſtenditur dupliciter. Vnó modo ſecundum dignitatem conditionis perſonæ, vt patet in exemplo præmiſſo de duce, milite, & famulo. Alio modo ſecundum vtilitatem operis, vel laboris pro Republica. Tertio autem poteſt addi ſecundum intentionem Auguſtini, vt valor perſonæ attendatur ſecundum valetudinem naturæ, vt aliter ſanis, aliter infirmis diſtributio fiat. Quod ergo dicit Auguſtinus: *Quia non æqualiter ualetis omnes*, referri poteſt ad omnes tres modos valoris perſonarum; non quidem per ſe, & directe conſiderando perſonas, ſecundũ earũ dignitatem, vel laborem, vel valetudinẽ, ſed præciſe indigentiam cuiuſlibet. Sic enim fiebat diſtributio in illa Sancta Congregatione Apoſtolica; de qua dicitur: *Diuidebant ſingulis prout cuique opus erat.* Vbi Gloſſa interlinearis: *Non* (inquit) *ſecundum perſonas, uel munera, ſed ſecundum indigentiam.* In illa enim multitudine erat diſparitas valoris perſonarum tam ſecundum dignitatem, quàm ſecundum munera. Secundum dignitatem quidem, quia inter eos erant Apoſtoli: Septua-

Eth. lib. 5. c. 3.


Perſonarũ triplex valor.

Act. 4.

gintaduo discipuli, erant & septem Diacones. Erant & alij fideles de maioribus vel minoribus dignitatibus seculi conuersi. Secundum munera etiam, quia quidam eorum plus, quidam minus attulerant ponentes ante pedes Apostolorum, secundum quod diuites, vel pauperes fuerant. In illa igitur distributione non attendebatur dignitas personæ, vel munera, sed solum indigentia cuiuslibet. & hoc est quod dicitur: *prout cuique opus erat*. Similiter B. Augustinus cuius regula, vt supra dictum est, fundata est in Actibus Apostolorũ solum respectum habere voluit ad indigentiam præcipue, non tamen excludendo considerationem dignitatis, laboris, vel valetudinis. Nam si Prępositus pluribus indiget secundum exigentiam sui status, puta propter hospitalitatem seruandam, & familiam decentem tenendam ad huiusmodi, in distributione bonorum monasterij si plus cæteris accipit, non est inæquum. & hoc facit non quia Præpositus, sed quia indigens pluris. Similiter de laborantibus, quibus non plus datur propter eorum laborem, quasi remunerentur pro laboribus. Religiosus enim non debet expetere mercedem temporalem pro labore suo, sed expectabit mercedem æternam a Deo, propter quam laborare debet. Sed si is, qui laborat in aliquo officio, vel seruitio pro communitate ad expeditionem sui officij, vel seruitij pluribus indigeat; aut si ex labore suo plus alijs fatigetur, & exhauriatur viribus, iustum proportionale est, vt plus accipiat, vel melius quàm cæteri recreetur. Eodem etiam modo de infirmis, quibus dari non debet plus quam alijs ex eo, quod infirmi sunt, quia hoc plerunque esset eis nociuum, immò sæpè dandum est minus. Aliter quidem tractandi sunt in victu, quàm alij, sed non semper eis dandum est plus. & si aliquando datur eis plus quam alijs, tunc haberetur respectus non ad eorum infirmitatem, sed ad eorum indigentiam.

AD CAP. II. NOTÆ.

a Indigentiam.] *Ex his, quæ de tegumento & uictu tradit S. Augusti. apparet hanc fuisse illius mentem, quod & explicuit Ambros. Coriola. comment. 4. & Io. Trull. lib. 4. c 4. Enarrat. 4.*



Qualiter

Qualiter prædicta de consideratione valoris personarum sint conformia intentioni beati Augustini. Cap. III.

QVod autem hæc fuerit intentio beati Augustini, probatur ex Regula. Nam etiam Prælati non plus debeant accipere ex eo quod sunt Prælati, patet. Præcepit enim Prælatum honorandum. *Honore* (inquit) *coram uobis prælatus sit uobis*, sed pinguius pascendus nunquam dicit, sed potius oppositum innuit dicens: *Ipse uero, qui uobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem*. Charitas autem seruiens communibus est contenta. & subdit: *Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum*. Sed maximum inter bona religionis est vita communis, ergo, &c. Vnde ipse Præceptor noster etiam Episcopus existens, exemplum præbuit Prælatis in seipso, in eo quod nec pretiosioribus vestibus vti voluit, nec lautioribus cibis vesci curauit. De vestibus ipse dicit in Serm. 2. De communi vita clericorum, qui incipit: *Charitati uestræ: Cum sciam commune me uelle habere quicquid habeo, nolo talia offerat sanctitas uestra, quibus ego solus quasi decentius utar. Offeratur mihi V. g. byrrhum pretiosum, forte decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum.* & subdit: *Talem debeo habere, qualem possem si non habuerit, fratri meo dare: qualem potest habere presbyter, qualem diaconus, aut subdiaconus, talem uolo accipere, quia in communi accipio*. De victu vero dicit de eo Possidonius, qui eius vitam scripsit, quod mensa frugali, & parca vsus est; & inter olera, & legumina, propter infirmos, & hospites plerunque carnes habebat. Pauper quippe sibi, & parcus, alijs diues, & largus habebatur; sibi ieiunans, alijs epulabatur. Ostium eius viatori patuit, mensa eius hospitibus seruiuit. Hæc Possidonius. Ex quibus etiam patet, quod etsi Prælati non debeant plus accipere, eo quod Prælati sunt: eo tamen quod ipsi pluribus indigent propter hospites aduenientes, & infirmos, & alios, quorum cura sibi incumbit, plura quàm alij accipere possunt. Nec tamen illa pro se, sed pro alijs, vel pro communi administratione accipiunt. Quod etiam ijs, qui maiores ditiores, vel digniores fuerant in seculo non plus dari debeat propter eorum dignitatem, vel diuitias; sed si plus detur, hoc fit propter eorum infirmitatem, vel potius indigentiam idem Pater exprimit dicens: *Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in uictu non debet alijs molestum*

Serm. 52. ad Fratres.

Possidonius in vita S. Augustini. c. 22.

eſſe, nec iniuſtum uideri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. & infra: *Et ſi eis, qui uenerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium aliquid alimentorum operimentorumue datur, quod alijs fortioribus, et ideo felicioribus non datur; cogitare debent, quibus non datur, quantum de ſua ſeculari uita illi ad iſtam deſcenderint, quamuis uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint*. Ex eo igitur quod tales fuerũt in ſeculo delicati, cenſentur infirmi ex priſtina conſuetudine: hac conſideratione datur, ſi quid datur eis, vltra quàm alijs datur. Eadem etiam ratio eſt de laborantibus, qui ſi aliter tractantur in victu, hoc fit intuitu infirmitatis, ſcilicet fatigationis, & laſſitudinis. Quod etiam infirmis non plus detur propter infirmitatem, ſed propter indigentię neceſſitatem, expreſſe oſtendit idem Pater dicens: *Sane, quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere ne grauentur, ita et poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur.* Ecce quomodo ſecundum regulam B. Auguſtini valor quidem perſonarum bene attenditur: ſed tamen ſi melius tractentur, hoc non fit propter huiuſmodi valorem, ſed propter indigentiam, pro quanto ſi plus indigent. & hoc intendit B. Auguſtinus cum dicit: *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes, ſed potius unicuique ſicut cuique opus fuerit*. Sic fit in Ordine Eremitarum S. Auguſtini, vbi nemini quicquam datur proter ſtatum, dignitatem, vel officium. Vnde prouiſio, quæ datur Priori Generali, vel Prouincialibus, non propter prælaturæ prærogatiuam, ſed propter expenſas neceſſarias, quas eos oportet facere, confertur. Magiſtris etiam nihil datur propter ſtatus dignitatem, ſed illud, quod eis confertur in nouitate magiſterij, cedit loco expenſarum, quas in principio ſuo, & alijs incumbentibus eos facere oportet. Sic etiam prouiſio veſtimentorum, & ſeptimanalis taxata per Ordinem, quæ datur magiſtris baccalaureis, & lectoribus confertur intuitu expenſarum, ſine quibus non poſſunt tranſigere vitam ad faciendum actus eis incumbentes. Simili modo eſt de fratribus laborantibus ſiue pro Ordine in cõmuni, ſiue pro conuentu aliquo in ſpeciali, quibus prouidetur tantummodo in expenſis neceſſarijs. Similiter de fratribus infirmis, velut ſupra deductum eſt. Prędictis conforme eſt quod dicitur in Regula S. Benedicti. *Non dicimus* (inquit) *vt perſonarum* (quod abſit) *acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur: qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace*. Hęc ibi.

Vide quid ſit ſeptimanalis prouiſio in Addit. Cõſtit. Ordinis, De ſtudentibus c. 34.

AD CAP. III. NOTÆ.

a Potestate dominante.] 1. Pet. 5.

b Byrrum pretiosum.] *Purpurea erat vestis Byrrhus, quo Princeps utebatur, quo & S. Cyprianum usum fuisse legimus. quod docuit etiam Iacob. Cuiac. vir eruditiss. obseruat. lib. 12. c. 39. ex Acrone. Erat autem magnifica & laciniosa vestis. Concil. Gangrense. c. 12. Vopisc. in Carino. Suidas hoc verbo, qui docet vocem hanc latinam, non Grecã esse B. Isidorus in sua regula, By.*

c Propter expensas.] *Sumptuosus enim status sumptuosas requirit impensas. S. Thom. quodlib. 10. 10. Gerson in Tripert. de præcep. Decalog. c. 10. in 6 præcep.*

In quibus huiusmodi distributio consistat. Cap. IV.

Consistit autem huiusmodi distributio in duobus, scilicet in victu & vestitu. Sic enim dicit pręceptor noster in Regula: *Distribuatur vnicuique a Præposito uestro uictus & tegumentum.* Ait enim Apostolus: *Habentes uictum & uestitum, his contenti simus.* Vnde B. Hieronymus in persona cuiuslibet boni religiosi loquens ait: *Habens uictum & uestitum, his contentus ero; et nudam crucem nudus sequar.* Et bene inquit: nudus: quantumlibet enim fratri prouideatur in communi de vestitu necessario, semper tamen reputatur nudus pro quanto vestis qua induitur nõ est sua. Reliquit enim & facultatem possidendi, & voluntatem habendi. Quod etiam dicitur in Actibus Apostolorum: *Quod distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat*, hoc non ita intelligendum est, vt dicit Vgo in expositione Regulæ, vt cuique quod opus erat sic abundanter distribueretur, vt nullam haberent indigentiam. Cum enim scriptum sit, quod inter eos nullus egẽs erat, scriptum etiam legimus de Apostolis ipsis, quod seruiebant Deo in fame & siti, in frigore & nuditate. Ex quibus verbis intelligendum est, quod multi indigent corpore, non animo, qui semetipsos abnegant propter Christum, cum virtute ipsam suam superant naturam. In primitiua quippe Ecclesia tanta erat gratiæ spiritualis abundantia, vt non solum modico contenti essent; sed hoc ipsum, quod nihil habebant, pro summis diuitijs deputarent, vt ait Apostolus: *Nihil habentes & omnia possidentes.* Habentes ergo victũ, & quibus tegamur, his contenti simus. In huiusmodi igitur nõ debemus

1. Tim. 6. | Act. 4. | Vgo in exposit. Reg. cap. 1. ver. Hoc nõ est. | Act. 4. | 2. Cor. 11. | 2. Cor. 6.

mus attẽdere voluntatem carnis,ſed valetudinem naturæ. Plus enim appetit carnalis voluptas quàm requirat neceſſitas. Quamobrem in eo, quod dicitur: *Vt unicuique quod opus eſt tribuatur*,

Iſte modus ſeruandus eſt; quatenus ſic nutriatur corpus, vt ſeruiat, & iterum ſic reprimatur, vt non ſuperbiat. Sic ſeruetur neceſſitas naturæ, vt abſcindatur ſuperfluitas concupiſcentiç.

Quædam deuota perſona frequenter ſe multis abſtinentijs affligebat, quæ cum quadam die corpus reficeret comedendo, vidit diabolum inuidia tabeſcentem, & ei inſultatem & dicentem: Ecce guloſa, nimis imples te; ipſa vero illius verſutias cognoſcens, quia eam libenter perturbaret, vt nimia abſtinentia deficeret, tanto amplius eum deridẽdo comedere conabatur, quanto magis ex hoc diabolus torquebatur.

Item Dæmon cuidam fratri nimis circunſpecto ſub ſpecie Angeli per aliquot dies in menſâ formam oſtendit dimidij panis, & ne plus ſimul ſumeret perſuaſit. Acquieuit ille dæmoni, & breue tempus manſit in pœnitentia: quia poſt, tantam debilitatem capitis incurrit, vt ſenſu deficeret, [a] & periret.

Fuit quidam magnus Archiepiſcopus, mihi bene notus, qui habuit ſororem germanam in quodam cœnobio monialium, quæ cum quadam nocte vidiſſet ſedem in inferno poſitam animæ fratris ſui prçparatam, ad eum acceſſit volens eum præmonere vt ſaluti ſuæ prouideret, referendo ei ſomnium, quod viderat. At ille eam aliquot diebus apud ſe manere iuſſit, & laute procurari fecit. Cumque ſic tribus diebus manſiſſet, interrogauit eam Archiepiſcopus, An illis noctibus aliquod viſum de ſe habuiſſet: Illa dicente quod nullum, Interrogauit iterum Epiſcopus: quo tempore illa ſomnium illud habuerit, quod ſibi narrauerat, quidve ipſa præcedenti die comederit, & cum illa deſignans tempus diceret, ſe pluribus diebus ante illud ſomnium in abſtinentia magna fuiſſe, parumque, & hoc idem fragile comediſſe. Reſpondit Archiepiſcopus: Cara ſoror nimia abſtinentia cauſat ſomnia. Vnde ſi tunc ita bene comediſſes vt nunc, ſomnium terribile tibi minime appareuiſſet. Et ſic remiſit eam ad ſuum monaſterium. Vſus igitur diſtribuendarum rerum debet eſſe mediocris in monaſtrio, vt corpus ſuſtentetur, & ſuperfluitas euitetur.

AD CAP. IV. NOTÆ.

a Deficeret, & periret.] *Fugienda eſt indiſcreta abſtinentia. qua de re conſulendus eſt Io. Climach. de gula grad. 14.*

De com-

De communitate victus fratrum, & quod omnes pascantur ex vno cellario. Cap. V.



Ictus autem fratrum debet esse communis; quæ quidem communitas secundum intentionem B. August. attenditur in quatuor. Quatuor seruanda in victu communi fratrum.

Primo, vt omnes ex vno cellario pascantur. Secundo, Vt extra locum monasterij non reficiantur. Tertio, vt etiam intus extra horam prandij non vescantur. Quarto, vt in mensa communi, in qua semper lectio fit, conuescantur.

De primo ipse Præceptor noster in Rugula dicit: *Sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno uestiario.* De quo quidem cellario ministrabitur vnicuique, quod sibi opus fuerit. Præcipitur etiã cellerario, & alijs officialibus, vt sine murmure seruiant fratribus suis; & quod dare non differant sub quorum custodia sunt quæ poscuntur, prout hæc singula in Regula continentur. Hic est difficilior punctus meo iudicio inter omnia in Regula: Quicquid enim dicitur de obedientia, de continentia, & de renunciatione proprij, & similibus, totum facile est bono religioso, quia talia sumuntur de prõptuario cordis. Sed quod dicitur cuique dandum esse, quod sibi opus est, & quod de communi debeant viuere fratres, & similia, durum videtur, quia ista non de promptuario cordis, sed de cellario communi sumere oportet. Quod plerumque in pauperibus monasterijs non abundat. Est enim omnino intentio beati Augustini, quod seruetur vita communis in victu, & hoc ex vno cellario, non autem quod singuli habeant singula cellaria, vel sua repositoria, seu quod quilibet sibi prouideat pro se, & ipse reficiatur hic, ille ibi singulariter. Non est hæc vita regularis, quam instituit B. Augustinus, quia tales singularitates exorbitant a vita communi, & sapiunt proprietatem, quod B. Augustinus a tota specie detestatur. Pũctus præ alijs difficilis in Regula.

Sed dicet quis, si cellarium commune non abundet ad distribuendum vnicuique quod opus est sibi, quomodo satisfieri poterit intentioni B. Augustini? Dubitatio. Solutio.

Ad hoc respondet ipse Pater Augustinus in Sermone De communi vita clericorum, qui incipit: *Charitati uestræ.* sic dicens: *Gazophilacium intendite; & omnes bene habebimus: Valde me delectat si ipse fuerit præsepe nostrum, & nos simus iumẽta Dei: Ipse enim Dei filius Iesus Christus* Ser. 53. ad Fratres.

stus est Gazophilacium nostrũ, ipse præsepe nostrum, de quo nos pascimur, si iumenta eius fuerimus. Quis est pater familias, qui non pascat iumentum suum, quanto magis tam pius pater noster? Vnde idem Augustinus in Sermone De margaritis regularis institutionis, loquens de ingredientibus religionem, sic ait: *Nec uolo quod cogitet amplius, quid necesse ei fuerit: scit enim pater noster quibus indigemus. Quæramus igitur primum regnum Dei; & hæc omnia administrabuntur nobis.* Idem etiam Pater in decreto obseruantiæ regularis sic dicit: *Si quis autem uenire desiderat ad congregationem fratrum, quæ in unum esse uidetur, non ignorans Euangelij dictum, quo dicitur: Abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, et sequatur me. Et ne tractet in corde suo de uictu, et de uestimento, et cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Euangelio, et dicente: Nolite cogitare, dicentes: quid edatis, aut quo tegamini. hæc enim gentes cogitant: Scit enim pater uester, quia his omnibus indigetis. Quærite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adijcientur uobis.* Hæc Augustinus.

Serm. 1. ad Fratres. Matth. 6. 1. Regula. Luc. 9. Matth. 6.

Neque enim multa & exquisita sunt nobis necessaria, quia (vt ait Hioronymus) Humana natura modico contenta est, sed multa consuetudo addidit, voluntas, & voluptas plurima copulauit: sed, sicut dicit Vgo in expositione Regulæ: Si quis Deum perfectè diligeret; si carnalibus desiderijs omnino renunciaret, multa resecaret superflua, quæ modo tenet quasi necessaria. Discamus ergo toto corde Deum diligere, quatenus per ipsius amorem studeamus & contenti esse necessarijs, & superflua resecare. Vt dum quod opus est vnicuique non negetur, vltra quàm opus sit a nemine requiratur. Charitas non quærit quæ sua sunt: Charitas communia proprijs anteponit: Charitas facit esse abiectum in domo Dei. Hanc si quisquam perefectè possidebit, etiam ex eo, quod opus erit, sibi metipsi resecabit. Ad hoc facit quod dictum est in præcedenti capitulo ex Actibus Apostolorum. Sic autem faciendo, cellarium commune faciliter nobis omnibus sufficiet. Nec ipse Christus Dominus noster iumenta sibi fideliter seruientia sine administratione pabuli aliquatenus derelinquet. iuxta illud Psalmi: *Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.*

Cap. 8. ver. Ideo ait. 1. Cor. 13. Psal. 36.

Exemplum in Vitas Patrum de quodam sancto patre, cui cum vir quidam pecunias obtulisset, dicens: Habe ad expensas, quia senuisti, quia infirmus es; erat enim infirmus. hic respondens dixit: Tu post sexaginta annos venisti auferre nutricem † meam? Ecce tantum tempus habens in infirmitate nihil indigui Deo tribuente, & pascente me; & non acquieuit accipere.

† aliter nutritorem meum.

Exemplum etiam de S. Appollonio, apud quem cum plurimi fratres ad

De S. Appollonio.

tres ad festum Paschæ congregati essent, nec haberent quod manducarent. Oratione facta repente vident stare ante fores homines ignotos multas copias rerum omnium, quæ ad vsus ciborum pertinēt deferentes: Qui etiam statim vt ea monachis tradiderunt, festinanter discesserunt. Vnde versus. Vit. Pat. p. 1. In vita S. Appoll.

Fratres esuriunt, Christoque precamina fundunt:
Cælitus est latus cibus omnis desideratus.

AD CAP. V. NOTÆ.

a Singularitates exorbitan.] *Suntque primus gradus superbiæ, qua de re agit S. Tho. 2. 2. q. 162. ar. 4. ad. 4.*

b Copias rerum.] *Sic legitur de B. Francisco & socijs quibus Angelus attulit panem.*

Ne quis extra monasterium manducare debeat. Cap. VI.

QVod etiam extra locum monasterij fratres comedere non debeant, ipse Pater in alia regula, quę incipit *Ante omnia* exprimit sic dicēs: *Nemo extra monasterium sine præcepto manducet, nec bibat. Non enim ad disciplinam pertinet monasterij.* Item de eodem in præallegato sermone, *Charitati vestræ*, sic ait: *Etiā dico, si forte in vestra societate eger est aliquis, vel post ægritudinem, vt necesse sit eum ante horam prandij reficere, non prohibeo religiosos vel religiosas mittere eis quod videtur, vt mittant: prandium tamen, et cœnam extra nemo habebit.* Hoc ipse Pater in seipso seruauit, Fuit enim hoc vnū e tribus, quæ dicebat se a B. Ambrosio didicisse, scilicet, vt ad cōuiuia inuitatus non iret. Et hoc, ne temperantię modum perderet. Item de eisdem duobus in alio Sermone de margaritis regularis institutionis idem Pater dicit sic: *Nemo cum secularibus extra monasterium manducare nisi panem, vel bibere nisi aquam præsumat, uel etiam intus manducare extra horam prandij, nisi casus infirmitatis acciderit.* Quod concordat cum eo quod dicit regula quantum ad tertiū. *Quod si aliquis non potest ieiunare, non tamen ante horam prandij aliquid alim. ntorum sumat, nisi cum ægrotat.*

2. Reg. | Ser. 53. ad fratres. | Possid. in vita S. Aug. c. 27. | Serm. 1. ad Fratres.

Sane quod hic dicit de non reficiendo extra monasterium, intelligendum est sub duplici modificatione, sicut apparet ex verbis suis. Neque enim modernus status Ordinis quoad officium Euangelizandi, & mendicandi compateretur hanc obseruantiā stricto modo. Vna modifi-

Duabus cō ditionibus limitatur ꝑceptum de non manducādo extra monasterium.

modificatio est; ne hoc fiat sine præcepto, hoc est, sine licentia maioris. Et sic a contrario sensu hoc videtur posse fieri de licentia in casu secundum dispensationem maioris. Secunda est, vt quod dicitur extra monasterium, intelligatur in ciuitate seu villa, in qua, vel prope quam ad certam distantiam per superiorem moderandam monasterium fuerit situatum, Non autem vniuersaliter, vbicumque extra monasterium; quia contingit plerumque fratres exire ad vnam, vel plures dietas etiam de monasterijs diuitiarum, ne dũ de monasterijs paupertatis, & impossibile esset eis ad reficiendum in monasterio interesse. Certum est autem auctorem præcepti impossibile nullatenus voluisse præcipere. Quare oportet intelligere hoc vt dictum est. Cui consonat tertia auctoritas adducta, qua dicitur: *Nemo cum secularibus extra monasterium manducare nisi panem, & bibere nisi aquam præsumat*. Et ad hunc intellectum accedit constitutio Ordinis cap. 20. in fine: vbi sic dicitur: *Præterea in terris, in quibus Ordo locum habet, nisi cum clericis aut religiosis fratres nihil præter aquam bibant*. Vbi hoc quod dicitur, in terris, modo italico accipitur pro ciuitatibus, vel castris: in quibus loca fratrum existunt. Similem etiã religiosam obseruationem vidi, & audiui esse in nonnullis solennibus monasterijs aliorum Ordinũ, vt in monasterio S. Martini Turonis extra muros, vbi nulli monacho extra monasterium ad certam limitatam distantiam, nec intra monasterium extra refectorium, siue sit Abbas, siue monachus quicumque etiam forẽsis, infirmis dumtaxat exceptis, licitum est bibere, vel comedere quoquo modo. Quam sanctam obseruantiam memini in Ordine nostro etiam seruatam cum tanto vigore, quod nec etiam in domo paterna frater rogatus a parentibus consensit bibere vllo modo.

Serm. 1. ad fratres.

Noui si quidem quemdam Fratrẽ iuuenem, qui cum a Priore suo missus esset ad terminum cum socio exiẽs conuentũ, valedicendi gratia domum parentum intrauit. Cumq. mater filium, quem plurimũ diligebat, inuitaret, & cogeret ad bibendum, ipse nullatenus acquieuit, nolens tam honestum statutum Ordinis etiam in domo parentũ violare. Mater ergo non ferens eos absq. vale dictione iter facere, vasiculum mero implẽs, puerum extra ciuitatem ad campum per viam qua itineraturi erant destinauit. Vt qui intra ciuitatem nequaquam consentiebat bibere, saltem vel extra ciuitatem in prateolo pausandi gratia suam lassitudinem recrearent.

Ne quis

Ne quis extra horam aliquid alimentorum sumat. Cap. VII.

QVod idem Præceptor noster prohibeat, ne extra horam prandij aliquid alimentorum sumatur, quod est tertium respiciens victum communem, expresse patet in Regula, vt iam dictum est. Et est secũdum traditionem sanctorum Patrũ, quorum vitam imitari Augustinus semper æstuabat, vt ipsemet dicit in suo Speculo manuali. Sicut enim dicitur in Institutis Patrum, *Fratres in Ægypto summa cautione hoc seruabant, ne quisquã extra commune mensam quidquã cibi penitus ori suo indulgeret: ita etiã vt incedentibus per hortos, & pomeria quidquã de fructibus degustare, vel etiam manu contingere sacrilegium putaretur.* Quæ autem reputetur hora legitima declarat Vgo in expositione Regulæ: *Extra horam* (inquit) *credimus esse vsque ad tertiam horam. Nam vsque ad istam horam non decet fratrem comedere, aut bibere, si non ægrotat. Non ieiunantibus nec tamen infirmantibus rectam horam reficiendi intelligimus ab hora tertia vsque ad sextam. Ieiunantibus ab hora nona vsque ad vesperam.* Et sic obseruabant sancti Patres Eremitæ in Ægypto, qui vt plurimum ieiunabant semel in die reficiendo, & hoc communiter hora nona, quæ conuenientior est ieiunantibus propter orationes nocturnas; ne videlicet in eis propter aggrauationem stomachi impedimentum aliquod sentiamus; quod illi frequenter incurrunt, qui refectionem suã vsque ad vesperam protrahere consueuerunt, vt dicitur in collationibus Patrum, quamuis tamen quidam ieiunarent vsque ad vesperam. Quidã vero biduanis, & triduanis ieiunijs vacabant, ita quod per duos vel tres dies non nisi semel comedebant, vt habetur in Vitas Patrum. Nonnulli etiam ex magna mentis abstractione cibum corporalem sumere sæpe obliuiscebantur. Ob quam etiam causam septem paximatij panes in sporta die sabbati reponebãtur, vt refectio prætermissa nõ lateret, & etiam vt numerus panum finitus congregationis solennitas in die dominica solitarium latere non posset, vt dicitur in Collationibus Patrum.

Lib. 4. c. 18

Cap. 3. ver. primum vitium.

Collat. 2. c. 24. & 26. &c.

Refert B. Augustinus in quadam epistola ad sororem suam sanctimonialem virginem de B. Monica matre sanctissima eorum quod tanta gratia ieiunandi ancilla Christi alias præcellebat, quod diebus, quibus ad cœnam vocabatur, tamquam ad amaram medicinam accedebat. Et subdit ibidem, quod ipsa interdum refecta refectione illius panis, qui de cælo descendit, post sumptionem sacramenti tan-

ta satietate repleta fuit, quod per diem & noctem absque omni corporali cibo perseuerauerit. Hęc Augustinus. Nec mirum, quia legitur de B. Ioanne Eremita, quod tribus annis stans in rupe absque omni cibo corporali perseuerauit orans, diebus autem dominicis sumpta Eucharistia, vt supra lib. 2. cap. 19.

Par. 2. §. 42. Legitur in vitas Patrum de Abbate Siluano, quod dum cum discipulo suo Zaccharia ad quoddam monasterium peruenissent, fecerũt eos monachi antequam egrederẽtur mane parum commedere. Post quam ergo egressi sunt, inuenit discipulus eius aquam, & volebat bibere. Cui Abbas Siluanus ait: Zaccharia, hodie ieiunium est. At ille dixit: Numquid hodie non comedimus Pater, & dixit Senex: Illa esca Charitas erat filij: Nos autem ieiunium nostrum teneamus. Ecce quomodo iste pater comestionem extra horam factam habuit pro non facta, volens adhuc continuare ieiunium suum vsque ad horam legitimam. Ad idem exemplum supra lib. 2. cap. 5. ibi cum legitur.

Porro cum B. Augustinus horam comedendi non specificet in Regula, recurrendum est in talibus ad communem consuetudinem Ecclesiæ, siue ad statuta, & constitutiones laudabiles cuiuslibet Ordinis, in quo quis vocatione diuina Deo decreuit militare. Itaque secundũ statuta, & consuetudines Ordinis eremitarum S. Augustini diebus, quibus ieiunatur hora legitima comedendi est hora [a] nona. Alijs vero diebus, quando non ieiunatur, fratres bis reficiũtur in die, scilicet in prandio, quod fieri debet post tertiam, & in cœna, quæ fit post vesperas. extra istas horas si quis frater præter casum infirmitatis aliquid alimentorum sumpserit, siue prædictas horas ex sua gulositate sine causa legitima præueniendo; siue etiam præter horas legitimas pluries in die comedendo, sciat se facere contra tenorem Regulæ sancti Augustini secundum quam se viuere professus est. Qua ex re multos vidi bonos fratres huius sanctæ religionis, qui siue in domo, siue in via existerent, etiam tempore calorum, nec panem, nec vinum, nec ceruisiam, nec racemos, nec pyra, nec poma, aut fructus alios, neque quicquam aliud alimentorum aliquatenus extra horam sumere consueuerunt. In quo reprehensibiles ostenduntur illi fratres, qui quacunque hora diei, & quotiescunque eis obiectum gustui delectabile offertur, more pecudis comedere non formidant. Quod ex vitio gulæ procedere dubium non est. Sunt enim gulæ [b] tria genera secundum Vgonem. Vnum est quando cibo vel potu immoderate quis vtitur. Alterum, quando quis nimis delicatum cibum desiderat. Tertium, quando extra horam cibum vel potum vult sumere. Vnde sicut ait Ioan. Cassianus in Collationibus Patrum, Collatione Abbatis Moysis: *Festinandum nobis est, ne appetitu corporea*

Vgo in exposit. Reg. cap. 3. ver. primũ. Vitium gulæ triplex. Collat. 2. c. 17.

reæ voluptatis in dissolutionem noxiam dilabamur, & ante præstitutum tempus, vel cibo nos indulgere, vel modum eius sinamus excedere.

Refertur in Vitas Patrum de quodam Fratre, quem ita impugnabant dæmones, vt statim hora diei prima tantam famem, & defectionem corpori eius faceret, vt penitus sustinere non posset. Dicebat tamen in corde suo, quia qualitercunque oportet me, vel vsque ad tertiam expectare, quia nullatenus decet monachum ante hanc horam cibum sumere. Cumque facta esset hora tertia idem dicebat cogitationibus suis, etiam & nunc violenter oportet me sustinere vsque ad sextam: horam adueniente autem hora sexta infundebat panem in aqua dicens: dum hic panis infunditur, oportet me expectare etiam horam nonam, cum hora nona aduenisset, secundum consuetudinem compleuit omnes orationes suas, & psalmodiam secundum Regulam, & ponebat panem, vt comederet. & hoc per plurimos dies sustinuit. Quadam ergo die similiter ab hora prima vsque ad nonam fecit. Cumque hora nona sedisset vt cibum caperet, vidit de sportella, vbi panis depositus fuerat, surrexisse fumum magnum. Et ex illo die, nec esuries, nec defectio corporis ei facta est, sed potius ita corroboratum est corpus eius, vt etiam nec post biduum delectaret eum cibum sumere. Quod vtique ex eo meruit, quia restitit impugnationi dæmonis, ne extra horam cibum sumeret. par. 2. §. 3.

Item dicitur in Collationibus Patrum de abbate Serapione, cui existenti in iuuentute cum abbate Theona hæc consuetudo sibi per inimicum ingesta fuerat, vt quotidie post refectionem factam cum sene hora nona vnum paruulum panem sibi seruaret occulte manducandum, super quo furto grauius cruciabatur in mente postquam panem comedisset, quàm in eius vsu fuerat iocundatus. sed tamen vna vice compunctus peccatum, quo quotidie latenter comederat, cum lacrymis est confessus. Cui senex: Absoluit te hodie confessio tua a laqueis inimici, & validius eum tua confessione prostrauisti, quàm ab eo fueras superatus. Et iccirco iam te post hanc confessionem tuam ille nequissimus spiritus inquietare non poterit. Necdum senex verba compleuerat, & ecce lampas accensa de sinu confitentis egrediens ita cellam fetore sulfureo impleuit, vt vix in ea senex cum iuuene remanere possent. In quo Dominus & virtutem confessionis, & veritatem dictorum senis voluit declarare. Collat. 2. c. 11.

Erat quidam Frater, qui cum frixuras quasdam in refectorium deferret, pruriente gula vnam in ore proijciens furtiue comedit, moxque eum tantus ardor libidinis inuasit vt sufferre non posset, tantam enim tentationem carnis ipse in vita sua numquam fuerat expertus, & sic post buccellam intrauit in eum Satanas.

Item 4. Dialogorũ beatus Gregorius refert de quodam monacho magnæ æstimationis, qui cum esset in extremis, Fratribus omnibus coram se congregatis tremens dixit: Quando me vobiscum ieiunare credebatis, occulte comedebam, & nunc ecce ad deuorandum draconi sum traditus. Et his dictis statim defunctus est.

AD CAP. VII. NOTÆ.

a Est hora nona.] *Hanc esse legitimam horam ieiunij, non tamen secundum subtilem temporis inspectionem, sed parum ante vel post docet S. Tho. 2.2.q.147. ar. 7. quæ postea vsu redacta est ad meridiem. Id quod fusius explicat Marcell. Francoli. de temp. hora. canonic. cap. 36. & 37. Io. Trull. lib. 4. c. 7.*

b Gulę tria genera.] *S. Tho. 1.2.q.72. ar. 9. et 2.2.q.148. ar. 4. B. Io. Clima. de gula grad. 14.*

De lectione mensæ, & silentio. Cap. VIII.



AD bonam etiam ordinationem vitæ communis pertinet, quod in mẽsa communi semper sit lectio cum Fratres conuescuntur, quod est quartum de supra memoratis communitatem victus concernentibus, de quo Præceptor noster in Regula sic ait: *Cum acceditis ad mensam donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite: ne sola vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.* Vbi in hoc quod præmittit; *Cum acceditis ad mensam*, & non dicit, mensas, innuit a mensam debere esse communem (aliàs quomodo lectio locum haberet, Quo excluduntur mensæ partiales, quæ in quibusdam inordinatis monasterijs fiunt) salua charitate ad infirmos exhibenda, quam tam Regula, quam Constitutiones Ordinis admittunt. Per hoc autem quod addit, *Donec inde surgatis*, innuit quod lectio continuari debet per totam mensam, idest quamdiu Fratres sedent ad mensam. In eo vero quod subdit: *quod vobis secundum consuetudinem legitur*, innuit, quod lectio mensæ non solum a suo statuto nouo, sed & a præcedente Patrum consuetudine inoleuit. Legitur enim in Institutis Patrum non de Ægyptiorum, sed Cappadocum typo processisse. Et beatus Hieronymus in quadam Epistola scribit de Origene, qui ante Augustinum fere ducentis annis fuerat,

Lib. 4. cap. 17.

Epistola 8.

quod numquam sine lectione sacræ scripturæ cibum sumere solebat.

Fuit autem hæc sancta obseruantia a sanctis Patribus introducta propter tria, sicut dicit Ioan. Cassianus in Institutis Patrum, videlicet, propter compescendam otiosam confabulationem. Propter cauendam noxiam contentionem. Et propter capescendam spiritualem exercitationem. Et hæc eadem tria tangit B. Augustinus in antedictis verbis Regulæ.

Lectio ad mēsam ob tres causas introducta, Prima Instit. Pat. lib.4. c.17.

Et primum de compescenda otiosa confabulatione tangit in eo quod dicit: *sine tumultu,* id est, in silentio. Quod melius exprimit in alia Regula vbi dicit: *Sedentes ad mensam taceant audientes lectionem.* Reg.2.

Exemplum in Institutis Patrum, vbi dicitur, quod apud Ægyptios tantum silentium tenebatur in mensa, vt in tanta numerositate Fratrum nullus, nec mutire auderet, sed sedebant omnes cucullis vltro oculorum palpebras demissis, ne scilicet liber aspectus haberet copiam curiosius euagandi, nihil amplius quàm mensam, & sibi apposita aspiciens. ita vt quemadmodum, vel quantum comederet alius, nullus inuicem notaret. Hæc ibi. Simile in Regula Pachomij. Sed hic mos trahendi, scilicet caputium ante oculos in mensa, & si non sit cæremonizatus in nostro Ordine, importat tamen nobis moralem instructionem, vt, videlicet, Frater in mensa non girouage circumspiciat, sed intentus lectioni, si alteri iuxta se melior portio apponatur, cor non apponat; & contentus de sibi appositis putet feliciores qui in sustinenda parcitate fuerint animo fortiores: vt dicitur in Regula. Exempla ad hoc habes infra cap. 13.

ibidem. Vit. Pat. par. 1. in vita Pach.

Quanta autem sit [b] virtus silentij tam in mensa, quàm in alijs locis, & horis ad hoc deputatis, beatus Pater Augustinus ostendit in Sermone ad Fratres Eremitas sic dicens: *Silentium Fratres carissimi inter cætera vobis in Eremo summe necessarium est. Omne, quod non ædificat, in periculum vertitur dicentium, & audientium. lingua enim nostra sensum nostrum sequatur & rationem, non voluntatem. Non enim debemus tantum oculos clausos tenere, & seruare, sed & linguas intra dentes seruare illæsas: sermo enim vnus vanæ conscientiæ index est.* Et infra: *O monache considera te redditurum rationem de omni verbo otioso, & tanto magis, quanto minus mundo es obligatus. Non enim in foro, sed in cella habitare debes; non familiam regere habes. Non est igitur necesse tibi multum loqui, nec inter homines conuersari.* & infra: *O monache, diligenter attendas: Nam qui non refrenat linguam suam, huius vana est religio: Qui non custodit linguam suam, monachus non est. Eia ergo Fratres mei, amate silētium, & ponite custodiam ori vestro.* Hæc Augustinus.

Serm. 3. ad Fratres. Iacobi 1.

Vnde etiam magister Alexander olim Prior generalis Ordinis vir-

Alexandri de S. Elpi-

dio Generalis, de silentio sententia.

tutem silentij considerans in quadam admonitione sua sic dicebat: Antiqui Patres institutiones obseruantiæ regularis instinctu Spiritus sancti prouide, & salubriter ordinauerunt, vt certis locis, in choro, in cœnobijs, & religiosis mansionibus silentium teneretur. Ex quo nascitur quies, mentium surgit profectus studentium, deuotio contemplationis sumit augmentum, & iuxta propheticum verbum, vt dicitur Cultus iustitiæ silentium. Fit Frater per silentium cultor, & obseruator iustitiæ, per quam in se honeste viuere, alterum non lædere, ius suum vnicuique tribuere informatur. quæ quidem informatio ad perfectionis statum prouehit quemlibet taliter informatum. E contra ex solutione silentij oritur inquietudo mensium, discurrunt Fratres vnus per cellam alterius, cessat studium, nascuntur lites, crescunt iurgia, contemplationis deuotio impeditur. & sic Frater inquietus, totaliter indeuotus effectus cum deberet ad perfectionem religionis scandere cadendo per quoddam præcipitium de religioso totus efficitur secularis. Hæc ille. Ad hoc valent duo exempla scripta supra lib.2. cap.27. in fine.

Isa.32.

De F. Francischino de Rauenna.

Item ad idem est exemplum in Fratre Francischino de Rauenna, qui præter multas alias virtutes, cum presbyter esset, in eo relucentes, hanc virtutem habuisse fertur, quod quamuis portarius esset in eodem conuentu, numquam tamen silentium soluere in claustro, & in alijs locis pro silentio deputatis voluit. sed si quis cum eo loqui habuit, illum ad locum licitum ad loquendum duxit: Quæ sancta obseruantia nullatenus sine alijs virtutibus esse potuit, sicut Deus in fine illius demonstrauit; multis enim miraculis claruit, & claret vsque ad præsens. Inter quæ hoc vnum narro. Quod cum quidam honoratus ciuis esset contractus manibus, & pedibus, ac toto corpore, ita quod se mouere non poterat, & vouisset se cum certis insignijs deuotionis suæ ad sepulchrum viri Dei. Veniens ad sanctum sepulchrum, mox nerui sui mirifice distenti, & resoluti sunt, ita vt sanus ad domũ suam cunctis mirantibus ambularet; vehiculo apud sepulchrum dimisso. Multa alia miracula per eundem sanctum Fratrem diuinitus operata in conuentu Rauennati sunt scripta.

Causa 2.

Secundum, scilicet, De cauenda noxia contentione Augustinus innuit in eo quod addit: *& contentionibus*. Solent enim plerumq; contentiones in conuiuijs generari, vt dicit Ioan. Cassianus ibidem. Et ad huiusmodi occasionẽ valet lectio mensæ, cui cum omnes intendunt, non contendunt. Et quod dicitur de contentionibus, quæ fieri solent de absentibus contentiones de præsentibus, & vtrumque vitium Augustinus multum detestabatur in mensa sua. Vnde hos versus in mensa sua habebat.

Instit. Pat. lib.4. c. 17.

Si quis

Si quis amat dictis absentum rodere uitam:
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Vnde de eo legitur, quod cum aliquando sibi familiarissimi episcopi ad detractionem linguam laxassent, adeo dure eos redarguit, vt diceret, quod nisi desisterent, aut versus illos deleret, aut de mensa recederet. Quod profecto aliquando contigit, vt surgens cubiculum suum ingrederetur cum in mensa aliquis plus iusto loqueretur. Si quis etiam commensalium suorum in aliquod iuramentum vel leue verbum laberetur, statutum fuit, vt vnam de statutis perderet potationem. erat enim secum commorantibus, & conuiuantibus poculorum numerus præfixus, vt dicit Possidonius. Possidonius cap. 25. In vit. S. Augustini.

Simile quodammodo exemplum est de Domino Ludouico Brandeburgensi Episcopo, qui fuit totus Zelator nostri Ordinis. Cum enim quadam vice in mensa sua quidam multum detraherent Ordini nostro, & ipse curialiter singula excusaret; nec illi desisterent, tandem zelo accensus prorupit in hæc verba: Si non licet me panem meum cum pace comedere, surgam de mensa; quia nolo talia verba de probis viris audire. Quo audito singuli perterriti siluerunt; nec amplius ausi sunt in præsentia sua similia verba euomere.

Tertium, scilicet De capescenda spirituali exercitatione innuit idem Augustinus ibidem subdens: *Ne solæ uobis fauces sumant cibum*, & cætera. Et hæc est potissima ratio lectionis mensæ; quam ideo ita lucide exprimit. Dignum enim, & rationi consonum est, vt cum corpus reficitur cibo materiali, anima reficiatur cibo spirituali. Ille etenim cibus, scilicet corporalis sumitur per os, & fauces; Iste autem sumitur per aures, quæ in hoc sunt ori similes, quemadmodum radices in arbore. Quia sicut anima dignior est corpore, ita cibus animæ, qui est verbum Dei, præstantior est cibo corporali, Quapropter recte dicit Augustinus: *Ne solæ uobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei uerbum*. i. cum esurie, & auiditate audiant verbum Dei. Causa 3.

Exemplum in Vitas Patrum de illis, qui cum tanta dulcedine mentis psalmis, & lectioni sacræ scripturæ & orationi insistebant, quod de cibi corporalis sumptione penitus fuerunt obliti. legitur enim ibidem quod quidam de sanctis senioribus salutationis causa profectus est ad alium seniorem eremitam, qui cum omni gaudio suscepit eum; pro cuius aduentu senior parauit ad refectionem lenticulæ cibum coctum; dixeruntque inter se, vt prius de more complerent orationes, & psalmodiam, & postmodum cibum caperent. Cumque ingressi fuissent psallebant, totumque psalterium compleuerunt, Nam de scripturis sanctis tanquam le- Par. 2. 5. 5.

legentes duos prophetas absentes recitarunt. Itaque dies abierat, Nox similiter recedebat: dum ergo orarent, & intente psallerent, illuxit alias die, & tunc intellexerũt, quia iam nox transisset. Iterũ autem inter se de verbo Domini loquentes, & spirituales sibi sensus exponentes factum est, vt circa horam nonam salutarent inuicem, atq; ita reuersus est senex, qui venerat ad cellam suam. Nam ex refectione cibi, qui paratus fuerat, obliti sunt accipere dum cibum spiritualem acceperũt. Vespere autem facto inuenit senior ollam plenam sicut parata fuerat, & contristatus dixit: Heu quomodo obliti sumus accipere pulmẽtum istud? Econtra sunt nonnulli, qui ex magna intentione lectionis, vel fortitudine imaginationis eo auidius comedunt sicut refert Augustinus lib. 2. De Academicis quęstionibus de Licẽtio ita referente: *Multos, et maxime patrem meum sæpe animaduerti eò edaciorem, quò restrictior curis esset*. Vnde subdit August. *Quod quidẽ apud me ipsum mirari soleo. Quid enim sibi vult, quod tantum cibum pertinacius appetimus cum in aliud intendimus animum*: sunt etiam alij plerique, qui ex magna auiditate ita cibo corporali intendunt, quod ad lectionem minime attendunt. Sed inter ista medium tenuisse virtutis est, vt videlicet sic quis intendat lectioni, ne vel excedat in auida cibi sumptione; & sic incumbat comestioni, ne distrahatur a lectionis attentionẽ. & hoc esse de intentione B. Augustini verba sua inducta manifestant, cum ait: *Cum acceditis ad mensam donec inde surgatis, &c.*

Cont. Academ. c. 4.

AD CAP. VIII. NOTÆ.

a Innuit mensam debere esse communem.] *Hoc ipsum colligit Ambros. Corriola. commentar. 23. & Io. Trull. lib. 4. c. 8.*

b Virtus silentij.] *Io. Clima. grad. 11. Pratum spirituale, c. 65. 66. & 67. plura exempla apud And. Eborensem tom. 2. titulo de taciturnit.*

c Ad detractionem.] *Videndus Io. Clima. grad. 10. de detract. S. Bernard. Serm. 40. in Cantic. Porro de hoc ipso vitio luculentissimum edidit commentarium Martin. Nauar. in c. inter verba. 11. q. 3.*

De ieiunio & abstinentia, atque victu Fratrum. Cap. IX.

Ad Gal. 5.



Via vero *caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus vero aduersus carnem*, ne concupiscentia carnis possit præualere, debent spirituales viri per virtutem spiritus carnis concupiscẽtiam reprimere. Quod quidem fit per ieiunium,[a] & abstinentiam

nentiam. Ideo Præceptor noster in Regula ait: *Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit.* Qualis autem esse debeat victus Fratrum huius religionis, licet beatus Augustinus non scripserit in Regula, facto tamen, & exemplo ipse docuit in sua propria obseruantia, vt ipse in Sermone *De prudentia* ad Fratres Eremitas ait: *In hac solitudine Fratres mei constituti toto affectu orare debemus & pati, patienter enim singula portare debemus. Nec dicere præsumamus: Ecce legumina ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, aquæ potum non sustinet pectus, caules melanconiam nutriunt: Coleram porri accendunt: Pisces mihi non sapiunt. Nolite hoc dicere Fratres mei, Nolite vel cogitare: Non enim seculum reliquimus, vt delicate pasceremur in Eremo. Et licet in Eremo non semper comeditur lac, butyrum, caules, vel legumina, licet hoc non sumatur nisi solennibus tantum diebus, & illis quibus visitamini a sancto Sene Episcopo Valerio, sed cunctis diebus alijs herbas crudas, panem bordeaceum, & aquam sumatis: tamen non sufficit tantum sustinere corpore, sed & mentem illæsam seruare debemus.* Item in Sermone *De tribus generibus monachorum* ad Fratres eosdem idem Pater sic ait: *Non manducamus carnes, nisi cum hospites veniunt; sed tantum olera, & legumina absque oleo, & butyro, sicut ante uobiscum cum gaudio consueueram. Igitur Fratres mei licet me in cathedra Episcopali uideatis, paupertatem mihi caram sponsam tenere congratulor.* Ecce qualem vitam Pater noster Augustinus duxit cum suis Fratribus ante episcopatum, & in episcopatu. In alia tamen Regula, quæ incipit: *Ante omnia Fratres*, ipse indulget vt Sabbato, & Dominica, qui volunt vinum accipiant, sed qui antiqui sunt bibere compellantur, vt in Sermone *De margaritis regularis institutionis*. Item Vgo expositor Regulæ in libro De claustro animæ lib. 2. cap. 7. sic ait: *Tria sunt in cibo consideranda, Quid, Quando, & Quemadmodum. Videlicet cibi species, hora, & mensura, ne illicitum, aut extra horam, aut ultra mensuram aliquid sumamus. Illicitum comedit Adam in paradiso, Gen. 3. & a Deo expellitur. extra horam Ionathas, & a patre maledicitur 1. Reg. 14. Populus uero Israel ad sepulchrum concupiscentiæ, ultra mensuram, & occiditur Num. 11. Transgreditur Adam præceptum Dei. Frangit Ionathas, quod obseruabat multitudo populi. Decipitur populus Israel saturitate cibi. sic igitur transgressio meruit expulsionem, & negligentia uoti communis maledictionem, saturitas mortem. Quæ autem cibi species competant, subdit ibidem: Fructibus* (inquiens) *arborum, & nascentis terræ utantur, butyro, aut oleo, aut lacte non sagimine pulmenta eorum condiantur. A carnibus abstineant, nisi aut necessitate, aut dispensatione extra conuentum alicui concederetur. Vino licet uti, & fructibus in conuentu. Sed*

Serm. 4. ad Fratres.

Serm. 1. ad Fratres.

Ser. 1. & 28. ad Fratres.


Tres circũstantię considerandæ in cibo.

tamen uitandum uobis est; nec quod misericorditer conceditur, ut a quibusdam fieri solet, quasi ex debito requiratur. Hæc ille. De hora dictum est in præcedenti capitulo. Sed de mensura subdit ibidem. *In mensura debet esse æqualitas non quantitatis, sed sufficientiæ.* Vnde beatus Augustinus. *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes. Hęc inęqualitas est ęqualitas non quantitatis, sed sufficiētiæ. Tunc enim res æqualiter diuiditur cum ille, qui diuidit prout cuiq. opus est, partitur.* Hæc Vgo. Verum quia modernis temporibus ad tam strictam vitam sustinendam natura fragilis est, maxime quia, vt supradictum est, consuetudo necessitati multa addidit. Iccirco ad illam rigorosam obseruantiam Fratres hodie ex legis obligatione non tenentur. licet enim B. Augustinus cum suis sic seruauerit, ad sic tamen seruandum in Regula legem alijs non imposuit. Quare æstimo hodie Fratri sufficere ad salutem si Regulæ, & constitutionibus Ordinis in cibo & ieiunio obtemperauerit: Nam Constitutiones plura determinant in specie, quæ Regula præcepit in genere.

AD CAP. IX. NOTÆ.

a Per ieiunium & abstinentiam.] *S. Basil. in regulis Instit. interrog. 16. et lib. de uera uirginit. S. Ambros. lib. 10. epist. 82. et lib. de Elia et ieiunio. S. Hieronym. ad Eustochium. Ceterum plura exempla SS. Patrum huc spectantia, licebit uidere apud Eboren. tom. 2. de Sobrieta. et de castigatio. corporis per ieiunium.*

De bona & sancta singularitate Fratrum. Cap. X.



SEd quia nonnulli statuta ieiunia, & abstinentias scriptas interdum seruare negligunt; vel, & vltra illa supererogare satagunt, si quis præterquam statutum est in ieiunijs, & abstinentijs supererogare voluerit, vt secundum Gregorium tanto a licitis abstineat, quanto se illicita meminit commisisse, commendabile quidem foret, dummodo cum discretione, & de licentia superioris, ac sine Fratrum scandalo fieret. Vnde si quis hodie in Ordine velit beatum Augustinum, & Fratres suos primitiuos in cibo & potu & in ieiunio, vt in præcedenti capitulo scribitur, ac in alijs supererogationis operibus imitari, valde bene po-

S. Greg. in pastor. 3. par. c. 31.

ne poterit seruata semper triplici circumstantia iam prędicta: De quibus in sequenti capitulo plenius dicetur. Dico autem opera [a] supererogationis in Ordine omnia illa, ad quæ quis non obligatur ex præcepto, aut statuto Ecclesiæ, aut ex regula, cōstitutionibus, seu statutis sui Ordinis; qualia sunt ieiunia, & abstinentiæ speciales; Orationes peculiares, & castigationes carnis in vigilijs & disciplinis, cilicijs, & alijs asperitatibus vltra communem obseruantiam Ordinis scriptam, quę sibi quilibet assumere potest quantum valetudo permittit, sicut illi Patres primitiui monasterij B. Augustini in eremo fecerunt: De quibus ipse Pater Augustinus in Sermone, *De tribus generibus monachorum*, dicit, quod non solum pauperes esse voluerunt, sed etiam supra id, quod in speculo nostro. i. in Regula nostra edidimus facere voluerunt. Nec hoc discrepat a Regula, immo optime concordat cum ea; ait enim: *Carnem uestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, et potus quantum ualetudo permittit*. Vnde quilibet poterit sibi facere Ordinem istum rigorosum, & asperum. Nec oportet quempiam de Ordinis laxitate causari, ac per hoc ad strictiorem Ordinem quasi ob frugem melioris vitæ transire; sicut nonnullos suggestione diabolica de hoc tentatos agnoui, prætendentes se velle ad arctiorem obseruantiā conuolare, qui nec vnquam eiusdem sui Ordinis mitiores obseruantias adimpleuerunt.

Quæ dicatur oper supererogationis.

Ser. 21. ad Fratres.

In trāseuntes ad aliā regulam.

Beatus Nicolaus de Tolentino vltra communes abstinentias, & ieiunia Ordinis multa supererogationis exercitia habuit. Nam per triginta annos numquam carnes, oua, pisces, aut aliqua pinguia manducauit, nec lacticinia, nec fructus sanitatis, nec etiam infirmitatis tempore compertus est comedisse. hic cum quadam vice infirmatus fuisset, & fratres de sua debilitate dubitarent, vocant medicos, quos ipse volebat vitare, spem suam ponens in medico animarum Iesum Christum, qui desperantes de eius vita præsenti in tanta debilitate, consulunt vt carnes comedat leuiores. Quorum consilio nullo modo annuens, medicos abire fecit. Prior autem suus videns periculum, hortatur ipsum, vt acquiescat consilio medicinæ, Cui, & Fratribus alijs vir sanctus humiliter respondit: Vt quid bone Prior, & fratres, mihi molesti estis?

De S. Nicolao de Tolentino.

An ignoratis, quod corpus istud miserum ad escam, quam semel gustauerit delicatam rursus redire satagit parcite igitur, quæso, mihi; melius est enim huic carni ponere frenum, quàm ei relaxare habenas, ne in peccatorum foueas animam obruat condemnandam. Igitur Prior viri sancti proposito non valens resistere, Priorem generalem, qui tunc in loco erat, adijt exponens ei fratris periculum, firmumque propositum, & medicorum consilium.

Prior

Prior igitur Generalis fratrem infirmum visitat,& post multa admo nitionis exempla præcepit ei per obedientiam salutarem, vt consilio medicorum obediat,& carnes comedat. At vir sanctus non audens non obedire, carnes tamen nititur fastidire. Vocato igitur Priore dixit ad eum: Priori generali omnino est obediendum, hoc est enim quod promisi,hoc est quod Saluatori meo, suæque sanctissimę genitrici,& beato Augustino obtuli, & vsque ad mortem seruare cupiui. parantur igitur sibi carnes;quas paratas Prior,& infirmarius sibi offerunt comedendas. At vir sanctus inter gulam,& obedientiam,quasi inter duo pericula constitutus pręlia diuersarum cogitationum intra se habuit. Demum accepta paruula particula,semel tantum gustauit de carnibus,dicens: Ecce obediui.me amplius de vitio gulę molestare nolite.Et sic maioris medici adhærens consilio,consuetis sine pinguedine cibis & absque medicinæ † [b] pigmentis celebri remedio diuinitus sanatus est. Abstinentiæ adhuc fortius gloriabatur angustijs carnem suam domans quantum valetudo permittebat. Nam & vltra iam dicta,secunda,quarta, & sexta feria ieiunando,in honore beatæ Virginis sabbatho semel in die reficiebatur in pane, & aquā. Sed qui primos parentes gulæ superauerat vitio,& Christum Saluatorem nostrum de eo tentauerat,& hunc quoque nititur superare. Immittebat namque eius memoriæ,quomodo alij fratres tractarentur in cibo; qualiter infirmitates pateretur frequentes, præsertim iuncturarũ dolores,stomachi torsiones; capitis debilitatem, oculorum vel visus offuscationem propter tantæ abstinentiæ feritatem. In his autem, & similibus cogitationibus stimulatus cœpit in se turbari, & dicere: Forte non est Deo accepta mei peccatoris abstinentia, sed tu Deus meus adiuua me, tu susceptor, tu tutor sis animæ meæ, quia nisi tu Domine adiuues me,paulominus habitaret in inferno anima mea. Pijssimus ergo Princeps Iesus Christus nolens suum militem in campo tentationis præliantem perire,apparuit ei in somnis: Nicolae (inquiens) depone mœstitiam,& lætare,quia tua mihi placēt opera,quæ cœpisti. Ad quam vocem euigilans dixit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* Extunc effectus securus tentationes præfatas lætanter sustinuit. Ardentius igitur inhærens abstinentiæ, a febre arripitur, & grauius infirmatur illo procurante inimico, qui in carne sancti Iob acceperat a Domino potestatem, vt quam tentationibus ad gulæ vitium trahere nõ poterat,saltem infirmitatis tædio trahere niteretur.

† aliter absque medicis.

Psal. 121.

Iob. 1.

Videns autem vir sanctus se debilem,adeo quod de vita eius dubitaretur, diabolique tentationem agnoscens,Virgini Gloriosæ & beato Augustino se recomendauit,& mox suaui somno arripitur. & ecce Virgo Gloriosa cum Beato Augustino, quorum meritis e consilio

sanus

sanus effectus est, sicut habetur supra lib. 2. cap. 12. Quid amplius de eius abstinentia dicam? Nam in septimo anno suæ ætatis ieiunare cœpit tribus diebus in hebdomada, in hoc imitans deuotissimũ Antistitem Nicolaum, qui secunda, quarta, & sexta feria a matris vbere abstinebat. Recte igitur infantię non sensit ætatem, qui supra modum, & ætatem senilem abstinentiam peragebat. Mirum ergo non est si sic ieiunat prouectus, ex quo sic abstinebat puerili ætati subiectus. Non solum autem ieiunio, & abstinentia, sed & verberibus pœnisque alijs suum corpus in seruitutem animæ redigebat. Solis autem paleis per aliquam noctis horam contentus ad orationem continue surgebat; ferreaque catenula carnes proprias castigabat. Tunicis asperis & reapetiatis vtebatur: corporisque delitias vitans mollia vestimenta fugiebat illud Euangelij attendens: *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Orationibus instabat die, ac nocte habens in cella sua duos lapides, ad quorum vnum genua flectebat, ad alterum vero brachia, quando nimium lassus erat orationis labore sustentabat, vt si bracchia non affligebantur lassitudine extensionis, frigoris saltẽ castigarentur. Denique vltra has durissimas sui corporis castigationes, quas sibi ipsi continue infligere non desistebat non defuerunt ei etiam sæpe durissima verbera, & plagæ dæmonum, vt habes supra lib. 2. cap. 15. Matth. 11.

De B. etiam Augustino de Terano, quod ipse in cibo, & potu sibi valde austerus erat. Quamquam in seculo fuisset cibis delicatioribus assuetus, quando tamen venit ad Ordinem, numquam quærebat nisi illa cibaria grossa, quibus tunc fratres communiter vtebantur, hoc super addito, quod semper solitũ erat ei comedere semel in die quando etiam stetit in curia pœnitentiarius Papæ, & quando fuit in officio Generalatus semper cibis communibus vescebatur, nisi interdum ratione infirmitatis, seu hospitalitatis alijs cibis eum vti oporteret: semper tamen reficiebatur semel in die, ponderans panem, quem comedebat, videlicet quindecim vncias omni die, in hoc non voluptati, sed necessitati corporis condescendens. De pluribus etiam fratribus eiusdem religionis audiui, vidi, & intellexi varia castigationum genera, quibus carnem suam prorsus spiritui subdere conabantur. De B. Augustino de Terano.

Quorum quidam mira abstinentia carnem suam macerabant. Alij triduana ieiunia certis temporibus obseruabant. Ita quod prima die non nisi vnum bolum panis cum aqua manducabant, secunda die duos bolos, Tertia die tres bolos comedebant. Alij a vino. Alij a carnibus. Alij omnino a cocto, Dei amore abstinebant. Alij vero omnem cibum sibi administratum dimidiabant, vnam dimidietatem comedentes, aliam abstinentiæ causa pauperibus erogandam relin- Multi & diuersi modi quibus Fratres Ordinis olim carnem propriam macerabant.

relinquentes. Quidam etiam diris verberibus cum catenulis ferreis aut nodulis aculeatis, aut etiam virgis semetipsos flagellabant. Interdum vero alternatim duo sancta alternatione se mutuo disciplinabant. Nonnulli quoque cilicijs, vel etiam loricis ferreis ad carnem membra domabant. Plerique etiam circulis ferreis totum corpus ad carnem circumcingebant. Alij funibus de pilis animalium duris, & asperis ad carnem se cingebant. Alij pro strato crates ligneas grossas, & duras sibi supponebant. Alij lapides vel ligna sub stratu suo ponebant. Talibus, & similibus alijs multimodis castigationibus quam plures fratres huius sanctę religionis, quos ego ab olim noui in semetipsis rigorem Ordinis ingrauauerunt, & sic carnem suam quantum valetudo permisit domauerunt, præter alia innumera supererogationis exercitia, quæ plerumque ab humanis oculis sunt abscondita, soli vero Deo inspectori cordium manifesta.

AD CAP. X. NOTÆ.

a Opera supererogationis.] *Si quis de his plane admiranda scire cupiat, legat B. Theodoretum in uit. SS. Patrum.*

b Medicinę pigmentis.] *Alibi legitur,* medicis pigmẽtis, *et rectius.*

De tribus comitibus bonæ singularitatis. Cap. XI.

Tres comites bonę singularitatis.



T autem prædicta singularitas fratrum bona, & sancta valeat reputari, debet habere tres comites, scilicet licentiam: discretionem: & a scandalo cautionem.

Primus comes.

Prima igitur comes bonę singularitatis est licentia superiorum, siue consilium senioris quantũ ad illos, qui non sunt sub obędientia constituti. Illi enim qui sub obedientia militant, cum non habeant sui corporis potestatem, immo nec suæ voluntatis libertatem, planum est, quod non possunt sine licentia superioris aliquam singularem abstinentiam, aut castigationem aliquam sibi assumere. licentia enim est quasi cõdimentum quoddam, sine quo omne opus religiosi parum valet, & quicquid sine ea fit, vanę gloriæ deputatur, non mercedi, vt dicitur in Regula B. Benedicti, & habetur in cap. sequenti. Vnde etiam in Collationibus Patrum Collatione. 2. Abbatis Moysi dicitur: quod regula veræ discretionis hoc exigit: vt nec quicquam noui agere, nec aliquid diffinire nostro iudicio præsumamus; sed nos in omnibus semper seniorum iudicio submittamus, &

In Reg. 5. Bened. cap. 49. Collat. 2. cap. 11.

sica

fic a cunctis insidijs inimici quis tutissimus permanebit. Nullo enim alio vitio tam præcipitem diabolus quem ducit ad mortem, quàm cum relicto seniorum consilio suæ dispositioni vel sensui facit pertinaciter inhærere.

Exemplum ibidem in quodã sene, qui longo tempore Angelum satanæ pro Angelo lucis suscipiens eius reuelationibus crebris deceptus fuit. Ad extremum autem iubetur a Dęmone, vt suum filium, qui secum in monasterio manebat, Deo offerret, quia hóc sacrificio ipsius Abrahæ merito æquaretur. Quod iste fecisset nisi filius videns vincula disponi, cultellum acui aufugisset. Colla. Pat. 2. cap. 7. Gen. 22.

Item exemplum de alio, qui suggestione diabolica deceptus patrẽ occidit. Item de alio, qui suggestione diabolica se circumcidi fecit; quorum vtique nullus tam turpiter fuisset illusus, si illam discretionis regulam obseruassent, quod alicuius senioris consilium in factis suis requisissent, vt dicitur Prouerb. 13. *Astutus omnia agit cum consilio*. Collat. 2. cap. 8.

Secundus comes est discretio, quæ secundum Ioan. Cassianum omnium virtutũ est generatrix, conseruatrix, & moderatrix, sine qua multi conatu feruido laborantes a virtutum culmine exciderunt. Vnde Apostolus ad Rom. 12. de castigatione corporis loquens ait: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placẽtem, rationabile obsequium uestrum.* Vbi Glossa, Rationabile obsequium, vestrum (inquit) cum discretione, ne quid nimis sit, sed cum temperantia corpora vestra castigetis, vt non naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitijs mori. Vnde Præceptor noster Augustinus in Sermone, *De cœna Domini*, ad Fratres suos in eremó dicit sic: *Macerare debemus corpus, non ipsum occidere, sed sustentare debemus cibo & potu quantũ ualetudo permittit: sic enim Deus uult, sic uult Apostolus, sic et uobis fratres mei præcepi. Ideo fratres hortor uos, et moneo, atque fieri præcipio, ut tantum carnem comedatis, quãtum natura portare potest. Nam cum uideam inter uos sexagenarios quosdam, quosdam septuagenarios, quosdam centenarios, uidens eos Dei amore feruentes, corpora eorum crucifigentes, uinum etiam non bibentes, timeo ne potius Deum offendant, quàm placent. Talibus in Christi nomine præcipio, ut saltem diebus dominicis, & solemnibus uinum bibant. Iuuenes autem qui fortes sunt, & iam triumphare de inimico cœperunt, in Christi nomine pœnitentiam agant, ne deuincantur ab hoste: sic enim uolo; sępe sic præcepi seruari: sic non occidemus corpora nostra, sed seruient creatori suo* Hęc Augustinus. sic enim dicitur in Collationibus. Pat. Collat. 2. Abbatis Moysi: *Pernitiosius abstinentia immoderata, quam securitas remissa supplantat. Ab hac enim ad mensuram districtionis intercedente compunctione sa-* Comes 2. Collat. 2. c. 1. & seq. Serm. 28. ad Fratres. Cap. 16. & 17. In fonte sunt alia verba, & alio ordine sententia.

ne salubri conscendi potest, ab illa non potest. Et ad vnum fine nimietas ie iunij, & voracitas tendit. Nam per excessum abstinentiæ quemlibet debilitatum necesse est ad illum statum reuocari, in quo mollis, & remissus per incuriam detinetur. & ideo frequenter videmus, quod illos, quos diabolus per gulā decipere non potuit, per immoderata ieiunia prostrauit. Vigiliæ quoque, & pernoctationes irrationabiles deiecerunt, quos somnus superare non potuit. Ad hoc faciunt exempla supra eodem lib. cap. 4. Et ponit etiam idem Pater & Abbas Moyses exemplum in se ipso. *Memini* (inquit) *me appetitum cibi ita frequēter respuisse, vt duobus ac tribus diebus refectione dilata, nec memoria quidem ullius edulij meam interpellauerit mentem, et rursus ab oculis meis ita somnum diaboli impugnatione subtractum, ut plures noctes ac dies paululum quid somni meis oculis a Domino precarer infundi, grauiusq. me periclitatum somni cibiq. fastidio quàm soporis, et castrimargiæ colluctatione persensi. Quapropter secundum Apostolum per arma iustitiæ inter utramque nimietatem discretione moderante nobis est via regia gradiendum; vt nec arcto tramite abstinentię nos patiamur abduci, nec remissione noxia in gulæ vitium transeamus. Vtrumque enim bellum diabolica tentatione consurgit.*

2. Cor. 6.

Coll. 2. c. 5

Item idem Moyses refert duo exempla de quodam sene, qui quinquaginta annis in eremo constitutus singularem districtionem continue tenuit; qui cum post tātos labores ab insidiatore illusus, rigorem ieiuniorum, & continentiæ sic immoderate seruauit, quod nec in die Paschæ hoc relaxare voluit, nec cum alijs fratribus in quacunque solennitate ad ecclesiam conuenire. Quapropter præsumptione deceptus Angelum Satanæ cum summa veneratione suscipiens eius cōsilio se in puteum profundissimum præcipitauit, quia sibi persuaserat, quod virtutum suarum merito nequaquā posset vlli discrimini subiacere; quod etiā isto exemplo ipsum fallaciter docuit esse probandū.

Collat. eadem. Vit. Pat. p. 3. cap. 43.

Aliud exemplū est de duobus fratribus, qui per vastissimam eremum incedentes firmauerunt se nullam escam sumere, quàm quę diuinitus eis missa esset. Cumque per solitudinem oberrassent nimia fame defecti cuidam genti fortissimæ occurrerunt, quos ad occidendū homines non pręda, sed sola mentis feritas instigabat, qui contra naturam suæ feritatis panes illis obtulerunt, vnus ex eis subueniente discretione velut a Domino sibi oblatos cū gaudio, & gratiarum actione suscepit: Alius vero recusans cibum tamquam ab homine, & non tamquam a Deo sibi oblatum, defectione consumptus est, nequaquā credens instinctu diuino factum, quod gens barbara proprię feritatis oblita panes eis pro gladijs obtulissent.

Colla. 2. c. 18. & 19.

Sed quærit Germanus: *Quis igitur est continentiæ modus, quam æquo moderamine retinentes inter vtramq. nimietatem illæsi transire possimus.*

mus: Ad quem Moyses: *Super hac re inter maiores nostros frequenter nouimus habitum fuisse Sermonem, Nam discutientes continentias diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam iugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem sicci panis, cuius æquissimum modum in duobus paximacijs statuerunt, quos, paruulos panes vix libræ unius pondus habere certissimum est*, Similiter in regula B. Benedicti dicitur: *Panis libra una pro pensa sufficiat in die, siue sit una refectio; siue prandij, & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt de eadem libra tertia pars a cellarario seruetur, reddenda cœnantibus.* Cap. 39.

Simili modo B. Frater Augustinus de Terano in die quindecim vncijs panis contentus fuit, vt supra cap. præcedenti. Sed quia difficile est omnes ad vnam mensuram comedere, ideo Abbas Moyses post prædicta subdit: *Generalis tamen continentiæ modus est, vt secundum capacitatem suarum uirium, uel corporis uel ætatis tantum unusquisque sibi concedat, quantum desiderium satietatis exposcit. Quamobrem hæc est temperata continentiæ mensura, quæ & Patrum iudicio comprobatur, ut quotidianam refectionem quotidiana comitetur esuries, in uno & eodem statu animam, & corpus conseruans, nec corpus ieiunij fatigatione concidere, nec grauari mentem saturitate permittens.* Vnde in institutis Patrum dicitur de quodam sene, qui sexies in die causa hospitalitatis comedit, & tamen semper seruauit esuriem. Hinc dicit Hieronymus. *Parcus cibus & uenter semper esuriens triduanis ieiunijs præfertur.* De B. August. de Terano. Colla. 2. c. 22. & 23. Lib. 5. c. 25

Tertius Comes bonæ singularitatis est scandali cautio, vt videlicet in huiusmodi singularitatibus semper scandalum caueatur. Quia licet opera illa, quę sine mortali peccato ommitti [a] non possunt non sunt pro vitando [b] scandalo dimittenda, nec ea debent pro scandalo vitando committi; quæ sine peccato mortali committi non possunt. Ab his tamen, quę sine mortali peccato committi possunt pariter & dimitti est pro scandalo vitando cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum. Comes 3.

Vnde Apostolus Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum nõ manducabo carnes in æternum.* Vt hoc per Innocentium Papam III. extra De noui operis nunciatione c. cum ex iniuncto, innuitur. Vbi ergo scandalum nasci præsumitur, ibi Singularitas dimittatur in publico, & seruetur in occulto quãtum fieri potest, vt sic frater sit communis in publico, & singularis in occulto. Qualia autem scandala ex huiusmodi singularitatibus prouenire contingat, patebit capitulo insequenti.

AD CAP. XI. NOTÆ.

a Non poſſunt.] *locus hic librariorum culpa erat corruptus: eſt autem reſtituendus ex c. cum ex iniuncto.de oper. no. nunciat. quod deſumptum eſt ex decretali epiſtola Innoc. 3. ad Cantuarien. Archiepiſcop. in hunc modum*: Quòd licet opera illa, quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, non ſunt pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debeant pro ſcandalo vitando cōmitti, quæ ſine mortali peccato cōmitti non poſſunt: ab his tamen quæ ſine mortali peccato committi poſſunt, pariter & dimitti ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiā pro vitando ſcandalo inſiſtendum.

b Vitando ſcandalo.] *Fuſius id explicat S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 7. & 8. & ibid. Caieta. & Domin. Bannes.*

De mala ſingularitate Fratrum in minus accipiendo. Cap. XII.



ET vbi prædicti tres comites non affuerint, ibi ſingularitas in Fratre reprehenſibilis iudicatur. Attenditur autem iſta mala ſingularitas ex parte vtriuſque extremi, quæ ſunt nimis parum, & nimis multum. Vtraque enim nimietas reprehenſibilis eſt in congregatione, ſiue quis minus citra communem vitam in victu, & alijs ſuſcipiat, ſine comitibus prædictis; ſiue vltra excedat. Vno ergo modo mala ſingularitas attenditur in minus accipiendo & de victu, & de alijs neceſſarijs corpori quam habeat cōmunis obſeruantia. Vnde legitur de beato Bernardo, quod cum ipſe quadam vice ſederet in capitulo Portuacenſi pro tribunali, & ei quæſtio proponeretur a Fratribus de ſingularitate cuiuſdam monachi, ait ei: Crederes ne verbo Domini, vel verbo Euangelico non contrario verbis Domini? & ille: Crederem quidem. Tunc Abbas: Et ego dico tibi in verbo Domini, licet peccator, vt ſingularitatem tuam deponas, quamuis in ea videaris ſanctos aliquos imitari; Magis quippe mereberis communi modo viuendi Fratrum. Qui ſtatim acquieſcens Abbati, exuit ſingularitatem omnem, vixitque ſicut ouicula in congregatione communiter. ſummopere ergo cauenda eſt ſingularitas in communione, maxime illa, quæ ſcandalum infirmis parit. De qua etiam idem Bernardus ſuper Cant. Sermone. 19. dicit ſic: *Non uultis eſſe cōtenti in communi uita? Non ſufficit uobis regulare ieiunium, non ſolennes uigiliæ, non impoſita diſciplina; nō menſura, quam uobis par-*

Singularitas ex duplici capite contingit eſſe malam

timur in vestimentis & alimentis : priuata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis quid rursus de vobis vos intromittitis? nam illam, qua toties Deum conscientijs vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum in gratiam habetis. Nonne illa vos docet naturæ non parcere, rationi non acquiescere, senioris consilio vel exemplo non obtemperare, nobis non obedire? An ignoratis, quia melior est obedientia, quam victimæ? Nonne legistis in regula vestra quod quicquid fit sine voluntate, vel consensu spiritualis patris vanæ gloriæ deputabitur? Matth. 9.

Vnde etiam legitur in Vitas Patrum, quod cum in quadam congregatione plures Fratres simul comederent, vnus comedentium dixit ministro; Quia coctum non comedo, affer mihi sal, & ipse præpeditus alteri cum clamore imperauit dicens: Quia coctum Frater ille non comedit, affer illi sal. Tunc B. Theodorus Abbas dixit illi: oportuit te magis Frater carnes comedere in cella, quàm hunc præsentibus omnibus audire Sermonem. par. 2. 5. 50.

Quidam Frater noster solitus erat vltra communia ieiunia Ordinis multa singularia facere ieiunia; ad quem facta est vox dicens: Dimitte tuum ieiunare, & cum cæteris comede. Quod verbum ille Frater accepit quasi ab ipso Domino sibi dictum. Et ex tunc singularia ieiunia non solum in se vitauit, sed etiam in alijs reprehendit. Dicebat enim, quod singulariter ieiunantes multipliciter peccant. Primo, quia a communi mensa se absentant, & interim interdum diuagantur per claustrum; vel inaniter fabulantur. Secundo, quia interim sunt absentes ab oculis Prioris, qui poterit de illis sollicitari vbi sint, vel quid faciant. Tertio, quia tunc comedant in secunda mensa, siue in forestaria semper dissolutius discumbant, quia non ita seruant disciplinam, & silẽtium, sicut in prima mensa. Quarto, quia per vnum ieiunium duas lectiones negligunt, scilicet in prandio, & cœna. Quinto, quia tales nõnunquam de suo ieiunio vanagloriantur, & alijs non ieiunantibus insultant, vel saltem in eorum cordibus superbia spirituali titillantur. Sexto, quia sæpe de eorum singularitate Fratres scandalizantur, & fiunt detractiones, murmurationes, obloquutiones, falsæ suspiciones, & sinistræ interpretationes, quibusdam interpretantibus illa fieri ex hypocrisi. Alij quod propter quæstum, vel applausum hominum. Alij, quod ex fastidio vitæ communis, & appetitu singularitatis. Derogatur etiam per talia non modicum bono vitæ communis. Quæ omnia si quis euitare voluerit, caueat singularitates in publico, & faciat quicquid sibi diuinitus inspiratum fuerit in occulto. Contra singulariter ieiunantes Fratres.

De mala singularitate in plus accipiendo. Cap. XIII.



X alia etiam parte singularitas mala attenditur in plus accipiendo vltra, scilicet communem vitam. Quando videlicet quis non contentus communibus specialia requirit. Quod in Congregatione detesta bile est, nisi etiam habeat comites supradictos.

Legitur in miraculis, quod quidam monachus singularis in quadam reuelatione vidit beatam Virginem cum duabus puellis portantibus pixides electuarij. Regina autem dabat vnicuique de pixide excepto illo, qui hoc videbat. Cumque & idem peteret, vt & sibi daret, Negauit illa, dicens: Tu medice cura teipsum, ego veni consolari eos, qui singularitate sua monasterium non perturbant. Ex qua visione iste compunctus, factus fuit exinde in cibo communis.

Luc. 4.

Quidam Frater noster magnæ puritatis, & zeli sinceri ad religionem suam numquam in mensa communi volebat aliquid comedere speciale; nec de cõmuni ferculo aliquando additamentum, quam adiunctam vocãt sumere volebat, & alios accipientes, & edentes illa, in corde suo reprehendebat dicens, Quoniam tales oportet plus quàm cæteri orare pro eleemosynis, quas præ cæteris insumunt. Et hoc rationabiliter vt supra lib. 2. cap. 25.

Legitur in Vitas Patrum, quod cum quidam magnus pater comederet cum pluribus Fratribus sedens ad mensam, vidit in spiritu quosdam edentes mel, alios autem panem, alios vero stercus, & admirãs deprecabatur Deum, vt reuelaret mysterium huius rei, quia idem cibus omnibus appositus est super mensam, in manducando autem, ille immutabatur: & venit ei vox desuper dicens: Quia illi, qui manducant mel, ij sunt, qui cum timore, & tremore, & gratiarum actione sedent ad mensam, & incessanter orant: Qui autem panem manducant, ij sunt, qui gratias agentes percipiunt ea, quæ a Deo data sunt eis, contenti de appositis. Qui vero stercus manducant, ij sunt, qui murmurant, & dicunt hoc bonum, & illud malum est. Tales beatus Augustinus admonet in Sermone *De prudentia* dicens: *Non dicere præsumamus: Ecce legumina ventosa sunt; caseus stomachum grauat*, vt habes supra eodem lib. cap. 9.

Par. 2. De prudentia, & contẽpl. in fine.

Serm. 4. ad Fratres.

Frater quidam, qui in ordine multis annis caste, & deuote vixerat, sed in cibo & potu multum fuerat singularis, post mortem suam apparuit cuidam deuotæ personæ in quodam cellario turbulentus, rogans

rogans vt oraret Deum pro se. Quod iste in cellario apparuit, dabatur intelligi, quòd propter voracitates, & potationes singulares cruciabatur. Qui tamen postea cuidam Fratri deuoto apparuit dicens se misericordia Dei mediantibus deuotorum orationibus a purgatorio liberatum.

Item ad idem in Collationibus Patrum dicitur de Serapione Abbate, vt habes supra eodem lib. cap. 7. circa finem.

Sane vbi vita in monasterio adeo esset exilis, quod secundum rectum iudicium rationis quis non posset se transigere secundum eam: In eo casu si Frater quod sibi deest suppleat modo licito aliunde, non est propter hoc de mala singularitate culpandus, dummodo semper sibi adsint tres comites supradicti. Et de hoc vide quod habes supra lib. 3. cap. 13. Sed videant illi, per quorum negligentiam vel incuriam communi vitæ detrahitur, qualiter in conspectu districti iudicis de tantis malis, quæ defectum communis vitæ subsequi dignoscuntur, se valeant excusare. Nam, sicut habetur in Constitutionibus cap. 40. *Ex particulari vita Fratrum conuentus confunditur, & Fratres rapere, & furari coguntur, & ad communem vtilitatem, in qua Ordinis status, & salus animarum, & pax, & tranquillitas corporum consistit, redduntur tepidi, & ad murmurationem, & detractionem, a quibus confusio Ordinis, & perditio animarum dependet, sunt omni hora parati, & prompti.* Cum ergo radix, & fomes illius sceleris sit inordinata, & peruersa vita iniqui Prioris, in officio vlterius tolerari [a] non debet: Sic enim viuens nominari pastor non debet † sed gregis sibi commissi lupus potius deuorator.

In Priores negligêtes ministrare necessaria sibi subditis Fratribus.

† aliter, meruit.

AD CAP. XIII. NOTÆ, ad finem.

a Tolerari non debet.] *In alio exemplari, hæc præterea leguntur:* Sic enim viuens non nominari pastor, sed gregis sibi commissi lupus, & potius deuastator.

De communitate vestium. Cap. XIIII.


SVpradicta autem distributio non solum consistit in victu, sed etiam in vestitu. De quo quidem vestitu præceptoris nostri intentio versatur præcipue circa tria.

Primum est, vt vestes de communi accipiâtur. Secundum, vt in vnum locum habeantur. Tertium, vt non notabiles deferantur.

Tria præcipiuntur pro vestiendis Fratribus.

Ad primum pertinet, quod ipse ait in Regula: *Distribuatur vni-*

Primum. *cuique vestrum a præposito uestro uictus & tegumentum*, & post: *Sicut pascimini ex uno cellario, ita induamini ex uno uestiario*. Et iterum: *Vestimenta uero, & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria,* dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. Ex quibus expresse apparet, quod de intentione Præceptoris nostri est, quod in vestitu prouideri debeat Fratribus de communi. sic enim & idem in seipso seruauit sicut ipse in Sermone De communi vita clericorum, qui incipit, *Charitati uestræ.* dicit: *Nemo* (inquiens) *det byrrum, uel lineam uestem, uel tunicam nisi in communi: De communi accipio & mihi, cum sciam me commune habere uelle quicquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas uestra, quibus ego solus, quasi decentius utar.* Item in Sermone *De cœna Domini* ad Fratres suos in Eremo dicit sic: *Pacem inter uos habete, quia Fratres estis, quia in hac uasta solitudine simul in unum congregati estis, Vno enim pane, uno indumento; uno nigro colore, una aqua simul participamus.* Huic & sanctæ intentioni, & obseruantiæ patris nostri obsequuntur Constitutiones Ordinis cap. 25. vbi statuitur; quod debeat Fratribus de vestibus tempore congruo prouideri. Sed ' si commune vestiarium non habeat vnde dari possit? Hæc est difficilis quæstio. Ad quam dico eodem modo sicut dictum est de cellario supra eodem lib. cap. 5. & cap. proximo præcedente in fine. ibi vide.

Serm. 33. ad Fratres.

Serm. 28. ad Fratres.

Secũdum. Ad secundum, videlicet, vt vestes in vno loco habeantur pertinet quod ipse ait in Regula; *Vestes uestras in unum habeatis sub uno custode, uel duobus, uel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne a tinea lædãtur.* Super quo verbo dicit Vgo in expositione Regulæ: Quod vestes præcipit in vno loco reponi sub vno custode, vel pluribus, duæ videntur esse causæ. Prima, scilicet ne per incuriam neglectæ a tinea corrumperentur, si non excuterentur. Secunda, ne Frater hanc ipsam vestem quam habet, in proprium se crederet habere, si in proprio loco sibi reponere liceret. Secundum hanc intentionem est quod ipse dicit in alia regula: *Nemo* (inquit) *sibi uendicet aliquid proprium siue in uestimento, siue in quacunque re.* Huic sententiæ videntur concordare verba, quæ sequuntur: *Et, si fieri potest, ad uos non pertineat, quod uobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, Vtrum hoc recipiat unusquisque, quod deposuerat, An aliud quod alter habuerat; dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur.* Ideo ait: *Si fieri potest*: vt si cui videatur difficile, liceat ipsum, quod deposuerat vestimentum recipere. Ad maiorem tamen perfectionem pertinet, si ad tantum contemptum peruenisset, vt eo solummodo quod opus est corpori, contentus esset, iuxta quod Apostolus ait: *Habentes uictum, & uestitum, his contenti esse debemus*, non determinat

Cap. 8. ver. Quod vestes.

Cur vestes in communi vestiario seruandæ.

Prima Regula.

1. Tim. 6.

minat quantum, vel quale; sed tantum ea nominat, quæ sufficiunt naturæ. Nam in imperfectis plus semper voluntas appetit, quàm necessitas. Prædictis etiam concordat quod idem Pater dicit in Sermone De oratione ad Fratres suos in Eremo, vbi sic ait: *Et ut bene psallere, & orare possitis absque magno corporis impedimento de bonis Episcopatus Ecclesiæ Hypponensis centum & quadraginta uestimenta cum calciamentis uobis dilectis Fratribus meis deportare feci, ut tempore frigoris, quod necesse fuerit unusquisque recipiat, reponentes ea, & custodientes in communi uestiario cum omni diligentia & charitate, scientes quod uera charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei. sic autem facien tes non deficietis.* Serm. 22. ad Fratres.

Ad tertium vero, videlicet, quod vestes notabiles non deferantur, pertinet quod idem Præceptor ait: *Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis uestibus placere, sed moribus.* Vbi Vgo dicit: *Iste uir sanctus fecit, quod docuit. Scriptum est enim, quia uestimenta eius, et calciamenta, nec nimium nitida, nec abiecta plurimum, sed ex moderato, et competenti habitu erant.* Ipse quoque dicit in præallegato Sermone: *Charitati uestræ: Nolo talia offerat sanctitas uestra, quibus ego quasi decentius utar; offertatur mihi verbigratia byrrum pretiosum, forte decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, idest pauperem hominem de pauperibus. Modo dicturi sunt homines, quia inueni uestes pretiosas, quas non possem habere vel in domo patris, vel in illa seculari professione mea. Non decet: Talem debeat habere, qualem possim, si non habuerit, Fratri meo dare. Talem volo accipere, quia in communi accipio. Si quis meliorem dederit, vendo; quod & facere soleo, ut quando non potest uestis esse communis, pretium uestis sit commune; uendo, et erogo pauperibus, si hoc eum delectat ut habeam, talem det unde non erubescã. Fateor enim uobis, de pretiosa ueste erubesco: quia non decet hãc professionem, hanc admonitionẽ, hæc membra, hos canos.* Vnde Vgo vbi supra: *Talia debent esse uestimenta Fratrum, in quibus nihil notari possit nouitatis, nihil uanitatis, nihil superfluitatis, nihil quod pertineat ad superbiã, uel uanã gloriã.* Simile quodãmodo dicit in Claustro animę lib. 2. cap. IX. *Quatuor sunt* (inquit) *in habitu religionis notabilia. s. uilitas, superfluitas, & pretiositas. In uilitate uanagloria, et simulatio. In pretiositate superbia, aut delectatio. In paucitate, intolerãtia, siue desperatio. In superfluitate, amor seculi, non amor cœli; amor palatij, nõ paradisi notatur.* Et subdit: *De diuersitate uestium a diuersis diuersa dicuntur. Volunt enim quidam inter purpuram et saccum, inter sericum & cilitium, lineum esse mediũ. Nos autem, qui non sumus de domo regia, sed de Ecclesia in medio lanam uocamus, quæ nec asperitate nimia quemquam pungit, nec recedit multum a suauitate lineæ vestis. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

Tertium.

Cap. 6. ver. Fecit iste.

Possid. in vita Augustini. c. 22.

Serm. 53. ad Fratres.

Habitus religiosorum dicit notabilis quadrupliciter.

Cap.6. ver. Fecit iste. † domus.

sunt. Quod etiam verbum pertractans idem Vgo in expositione Regulæ dicit sic: *Mollia dicuntur vestimenta, eo quod mollem animum faciunt. mollibus vestimentis regia delectatur aula* †. *asperis, & humilibus Christi delectatur Ecclesia*. Item in claustro animæ lib.2. cap.25. idem Vgo sic ait: *Qualis debet esse religionis habitus ostẽdit Apostolus 1. ad Timotheum 2. Non in ueste pretiosa, &c. Qui enim mollitiei mulierũ pretiosiorem uestem negat: putas ne monachis pretiosiorem habitum concedat?* Et subdit. *Sed hodie cappa canonici, & cuculla monachi non differunt a pallio militis. Sed, ut ait quidam sapiens: Miles, & monachus partiuntur sibi cucullam, & clamidem: Non multum differt habitus canonici regularis, & secularis. Sed si forte regularem uideas, Archidiaconum, uel Episcopum te uidisse contendas. Sed si forte dices: Delicatis delicata conueniunt, ex Regula testimonium proferens. Ait enim B. Augustinus. Si eis, qui uenerint ex moribus delicatioribus ad monasterium aliquid alimentorum, uestimentorum, operimentorumue datur, cogitare debent quibus non datur quantum de sua seculari uita illi ad istam descẽderint. Consentiamus auctoritati, ut detur delicato quod sufficiat non quod superbiat. Audi & tu carissime beatum Augustinum: Ne contingat (inquit) detestanda peruersitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. Mentior si non uidi quosdam, quorum paupertas talis erat, quando foris erant, ut nec ipsa necessaria poterant inuenire, & quia inuenerunt uictum, et tegumentum, quale foris inuenire non poterant, erigentes ceruicem uoluerunt sociari eis, ad quos foris accedere non audebant. Sed, et egressi de paupere Ecclesia circumierunt ditiores, ut ibi reciperentur. Et qui semper uiles, aut ueteres pannos habere consueuerunt, nunc semper nouos, aut pretiosos habere contendant. Et qui ante conuersionem lectum proprium nusquam habebant, si forte uoluptas eis fuerit eundi alicubi, ornamenta seculi secum portant*. Et infra in cap. sequenti: *Inter illos etiam, qui tunicas induuntur uoluptas pedem posuit; non quod camiseis utantur, sed quodam delicato panno, qui saia dicitur. In ostentatione igitur laneæ uestis asperitatem conuersationis ostendunt, sed in delectatione delicati panni suauiter mollitiem quærunt. Vidi & ego, nisi fallar, monachum camisia uestitum iactantem, & dicentem: Carior staminea, quàm camisia, tunica enim uestiri magna est difficultas. Sed forte dices, quoniam infirmus erat huiusmodi, immo sanus, petulans, et pingui residens equo, abundans rebus, et curias frequentans, qui tamen ante conuersionis habitum non semper lineis induebatur.* Hęc Vgo.

Legitur in Vitas Patrum, quod cum quidam Frater indutus modico cucullo veniret coram Abbate Isaac, dixit ei senex: hic monachorum est habitatio, tu autem secularis es, & non poteris hic esse. Dicebat autem Fratribus idem senex: Patres nostri vetustis vestibus vtebantur,

bantur, nunc autem pretiosis vestibus vtimur; discedite hinc, qui desolari fecistis locum hunc. Et nota, quod, sicut patet in vestitu religiosorum extrema omnia reputantur notabilia, ac per hoc sunt reprehensibilia, scilicet nimia pretiositas, & nimia vilitas. Item nimia superfluitas, & nimia paucitas. Similiter nimia mollities, & nimia asperitas; mediocritas autem commendabilis est.

Quamobrem legitur in Institutis Patrum lib. primo cap. 3. quod antiqui Patres monasteriorū cilicinam vestem tamquam notabilem refutauerunt, tum quia nulla spiritui emolumenta confert, tum quia elationem mentis affert. Tum quia inexpeditum, & inhabilem reddit monachum ad opera monasterij. Et si legamus quosdam sanctos vsos [b] cilicijs, non ex hoc est communis monasterij regula sancienda, nec paucorum priuilegium generali Patrum instituto est præferendum. Hæc ibi. Similiter adhuc si cui Deus dat gratiam, vestem talem, scilicet cilicinam absque prænotatis in conuenientijs sufferendi laudabile quidem est, nec tamen ab omnibus imitabile.

Beatus Frater Nicolaus de Tolentino humilibus suæ religionis vestibus desuper contentus fuit, subtus vero ad carnem asperis vtebatur. Vnde quidam consobrinus suus Prior in quodam monasterio diuitiarum, aspiciens eius paupertatem, nuditatem, & egestatem, eum vt ad se transiret, & vt Ordinem paupertatis desereret, allicere nitebatur. & cum de hac tentatione mœstus se orationi dedisset, facta est ad eum vox viginti Angelorum sibi apparentium, & dicentium: In vocatione, in qua vocatus es maneas, vt supra lib. 3. cap. 12. De S.Nico. de Tolentino.

Fertur etiam de B. Augustino de † Terano, quod vestibus paucis, & communibus vtebatur, vt habes supra lib. 3. cap. 11. Ornamus ergo nos spiritualibus ornamentis, Quia (vt ait Hieronymus: *Non tenera vestis, sed mundicia mentis ornatum facit clericum*. Non enim exteriorem, sed interiorem pulchritudinem requirit Deus, sicut scriptum est: *Omnis gloria eius ab intus*: memores quod ait Apostolus: *Quia exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renouatur de die in diem*, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen. aliter, † nouello. De B. Augustino de Terano. Psal. 44. 2. Cor. 4.

AD CAP. XIIII. NOTÆ.

a Sed si communi.] *Quamuis hęc usq ad uersiculum,* Ad secundum. *non adsint in alijs exemplaribus. huc tamen maxime spectant.*

b Vsos cilicijs.] *Plura de his exempla habes apud And. Eborensem tom.2. tit. de Vestitu.*

Qua

Quæ puncta de Regula & Constitutionibus ordinis ad hanc quartam communionem reducantur. Cap. XV.



AD hanc communionem pertinent omnia puncta Regulæ, & Constitutionum loquentia de distributione, & prouisione necessariorum, maxime de victu & vestitu. Puncta autem Regulę circa quę singula capita huius partis versantur, in eisdem singulis capitibus reperies designata. De Constitutionibus vero hæc capitula pertinent ad materiam huius partis, siue libri, videlicet 22. 23. 24. 25. 26. 30. in parte 40. in fine 45. Quæ quidem singula capitula Constitutionum reducuntur ad illa Capitula singula huius libri, in quibus eorum quodlibet secundum materiæ conuenientiam magis locum noscitur obtinere. 18. Iulij M. D. LXXXVI.

Laus Deo Beatissimæ Virgini Mariæ, B. P. Augustino, B. Nicolao de Tolentino, & gratiæ ipsi B. Iordano huius operis compilatori.





